


MISCELLANEA CURIOSA MEDICO-PHYSICA

ACADEMIÆ
NATURÆ CURIOSORUM,
SIVE
EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM GERMANICARUM
ANNUS SEXTUS ET SEPTIMUS,
Anni M DC LXXV. & M DC LXXVI.
continens
Celeberrimorum Virorum, tum Medicorum, tum aliorum Eruditorum,
In
Germaniâ & extra Eam,
OBSERVATIONES
MEDICAS, PHYSICAS, CHYMICAS,
cum
APPENDICE.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Sumtibus JOHANNIS FRIDERICI Gleditsch/Bibliopolæ Lipsiensis,
ANNO M DC LXXXVIII.

POTENTISSIMO

AC

INVICTISSIMO

ROMANORUM

IMPERATORI

LEOPOLDO I.

PERPETUO AUGUSTO

GERMANIÆ,

HUNGARIÆ,

BOHEMIÆ,

DALMATIÆ,

CROATIÆ,

SCLAVONIÆ &c.

REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

BURGUNDIÆ,

BRABANTIÆ,

STIRIÆ,

CARINTHIÆ,

CARNIOLÆ,

&

LUTZENBURGI,

WURTENBERGÆ

ac

SILESIÆ

DUCI,

COMITI TIROLIS

&c, &c.

AU-

AUGUSTISSIME CÆSAR,



Olem, ſiderum Regem, olim Perſæ, quem vel ſolum vel ſummum Numen, MITHRAM dictum, credebant, divino honore colentes, quotidie orientem reverenter ſalutabant, laudum præconiis immenſa caloris & lucis beneficia proſequebantur, ac ritu devoto dexteram ori admoventes oſculum labiis imprimebant.

Ignoſce, CÆSAR INVICTISSIME, ſi TE, qui ſummum in Orbe Chriſtiano imperium geris, *Naturæ-Curioſi* toties accedere audentes, iterum auguſtum NUMEN TUUM, ceu SOLEM ſuum, ſalutatione ſupplici venerantur.

In Gloriam Tuam, coruſcantium Clementiæ Gratiæq; TUÆ radiorum ſplendore illuſtre Nomen nacti, ſocoque in rimandis Naturæ inexhauſtis penetralibus conamina ſua foventes, deprædicandam aſſurgerent, niſi vererentur, ne eo ipſo Soli lumen inferre velle viderentur.

Ad Thronum itaque Majeſtatis TUÆ ſupplices adrepunt, & in ſubjectionis devotiſſimæ ſignum *Ephemeridum ſuarum Annum VI. & VIImum* modò ſubmisſiſſimè deponunt, Bonitati Tutelæq; TUÆ Studia ſua identidem conſecrantes.

Vive, IMPERATOR OPTIME! Majeſtatis TUÆ radiis invictiſſimis hoſtiles inſultus, Germaniæ Horizontem obnubilare conantes, fortiter disſipa! ac citra Occaſum Auguſtiſſimæ Dom⁹ TUÆ, Meridiani Solis inſtar, celſiſſima Imperii culmina perpetuo tene!

S. CÆS. MAJEST.

ſubjectisſimi

Naturæ Curioſi.

CATA-



CATALOGUS

Doctrinâ & Genere Praecellentissimorum Virorum,

qui Annum VI. & VII. Ephemeridum Germanicarum Curiosarum Observationibus suis Physico-Medicis gratiosè communicatis, condecorare dignati sunt.

1. D. Daniel ANGELUS, *Illmi Comitis Odoardi de Pepolis, Castilionis, Baragaciæ, Sparvi &c. Comitis & Senatoris Bononiensis Medicus.*
2. ANONYMUS.
3. D. Jacobus BARNERUS, *Practicus Lipsiensis, Collegii Augustani Adsessor.*
4. D. Bernhardus BELOW, *Regiæ Maj. Suecicæ Medicus ordinarius.*
5. D. Johannes BUTZ, *Physicus Geyslingensis.*
6. Dn. Andreas CNöFFELIUS, *S. R. Maj. Pol. Secretarius & Medicus Aulicus: Illustrissimi Princ. & Episc. Varmiensis Archiater, Consul Marieburgensis.*
7. D Johann: DOLÆUS, *Medic9 Aulicus Nassoviensis.*
8. D. Joh. Sigismundus ELSHOLTIUS, *Ser. Electoris Brandenb. Medicus ordinar.* Academicus Curios.
9. D. N. FABER, Physicus Heilbrunnensis.

10. D. Joh.

10. D. Joh. Michaël FEHR, *Consul & Physicus Svinfurtensis*, Acad. Nat. Curios. PRÆSES, *dict9* Argonauta.
11. D. Martinus FOGELIUS, *Gymnasii Hamburgensis P.P. & Medicinæ Practicus, nuper defunct.*
12. D. Joh. Christianus FROMMANNUS, *Gymnasii Coburgensis P.P. & Medicinæ Practicus.*
13. D. Christianus Fridericus GARMANNUS, *Physicus Chemnitzensis, atque ejusdem districtus diversarum præfecturarum Medicus*, Academicus Curios. *dictus* Pollux.
14. D. Ehrenfridus HAGENDORNIUS, *Practicus Gorlicensis*, Academicus Cur.
15. D. Ludovicus HANNEMANNUS, *Physices P. P. Kiloniensis*, Academicus Cur.
16. D. Fridericus HULDENREICHIUS, *Physicus Uracensis.*
17. D. Alphonsus KOHNIUS, *Physicus Ulmensis.*
18. D. Fridericus LACHMUND, *Practic9 Hildesiensis.*
19. D. Joel LANGELOTTUS, *Serenis. Holsatiæ Ducis regentis Archiater.*
20. D. Christophorus LIPSTORPIUS, *Stadæ Physicus*
21. D. Daniel LUDOVICUS, *Archiater Ducalis Saxo-Gothanus.*
22. D. Caspar MARCHIUS, *Serenis. Electoris Brandenb. Consiliarius & Archiater*, Academicus Cur.
23. Dn. Ericus MAURICIUS, *Cameræ Imperialis Assessor.*

24. D. Chri-

24. D. Christianus MENTZELIUS, *Serenisſ. Electoris Brandenb. Archiater*, Academicus Cur. *dictus* Apollo.

25. D. Georgius Abrahamus MERCLINUS *Junior*, *Practicus Norimbergenſis*.

26. D. Joh. Matthias NESTERUS, *Archiat. Beruthin.*

27. D. Johannes PATERSONIUS Hain, *Phyſicus Eperienſis in ſuperiore Hungariâ*.

28. D. Christianus Franciſcus PAULLINUS, *Comes Pal. Cæſ. Poeta Laur. Illuſtr. Fructiferæ Societatis Collega dictus* Vigilans: *p. t. Reverend. ac Celſiſſ. Princ. & Epiſc. Monaſterienſis, & Adminiſtratoris Corbeienſis Medicus juratus & ordinarius Corbeiæ ad Viſurgin &c.* Academicus Cur. *dictus* Arion.

29. D. Carolus RAYGERUS, *Phyſicus Poſonienſis*.

30. D. Salomon REISELIUS, *Phyſicus Wormatienſis*, Academicus Cur. *dictus* Amphion.

31. D. Lucas SCHROECKIUS, Senior, *Reipubl. Auguſtanæ Phyſicus juratus, Collegii Medici p. t. Decanus*.


32. D. Lucas SCHROECKIUS, Lucæ F. *Phyſicus Auguſtanus*.

33. D. Godofredus SCHUBARTUS, *Practicus Bregenſis*, Academicus Cur.

34. D. Simon SCHOLZIUS, *Phyſicus Thorunienſis, S. R. Maj. Poloniæ Medicus*.

35. D. Gottfridus SCHULTZIUS, *Practicus Vratiſlavienſis*, Academicus Cur. Eph. Coll.

36. D. Georgius SEGERUS, *S. R. Maj. Poloniæ Medicus, Physicus Gedanensis & Gymnasii ibidem P. P.*
37. D. Petrus SPECHT, *Reg. Maj. Sveciæ Medicus.*
38. D. Matthias TILINGIUS, *P. P. Rinthelienssis*, Academicus Cur.
39. D. Joh. Georgius VOLCKAMERUS, *Reipubl. Norimberg. Physicus primarius.*
40. D. Henricus VOLGNAD, *Practicus Vratislaviensis*, Academicus Cur. *dictus* Sirius, & Ephem. Collector.
41. D. Georgius Wolffgangus WEDELIUS, *P. P. Jenensis*, *Medicus Ducalis Saxonicus*, Academicus Cur. *dictus* Hercules.
42. D. Daniel WINCKLERUS *Principum Ligio-Bregensium Consiliarius & Archiater.*
43. D. Gottofredus Christianus WINCKLERUS, Danielis F. *Practicus Bregensis*, Academicus Cur.



CATALOGUS OBSERVATIONUM ANNI SEXTI ET SEPTIMI EPHEMERIDUM GERMANICARUM.

*
* *

D. SA-

62. De

152. De

140. De

165. De

INDEX TABULARUM ÆNEARUM ANNI VI. & VII.

Monendus est Bibliopegus, ut Icones M, P, Q, incuria chalcographi in unam tabulam incisas, dividat, & unam quamque earum seorsim folio chartæ mundæ agglutinet, sicque M p. 152. P. pag. 284. Q. pag. 323. inserat.

Der Buchbinder muß die Figuren M, P, Q, von einander schneiden/ und jede besonders auff ein weiß Blat Papier geleimet/ an gehörigen Ort einlegen; nemblich M pag. 152. pag. 284. und Q pag. 323.

EPHE-





EPHEMERIDUM PHYSICO-MEDICARUM CURIOSARUM. ANNI VI.

OBSERVATIO I.

D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII

DE

RAPHANO MONSTROSO.

RAphanus hic monstrosus anno 1558. Harlemi in terrâ sabulosâ inventus. anno verò 1642. ab ingenioso pictore, Jacobo Pinoy, vivis coloribus depictus, & D. D. Paulo Glandorpio, nuperrimo anno 1672. in originali (ut vocant) à consultissimo Dn. Secretario, Simone Zuckerbecker, Amico vetere, communicatus est.

(*In literis ad Coll. Ephem. mense Majo Ann.* 1647.

OBSERVATIO II.

D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII

DE

CONQUASSATIONE SANGUINIS THESES.

CUm cordis usus sit triplex, 1. sanguinis alimentaris præparatio, 2. spiritus vitalis elaboratio, 3. utriusque per pulsum in universum corpus distributio, id quod præstat *Motu* perpetuo, *Calore* animali vivifico, *Fermento* seminali; In eodem occurrunt,

 1. *Mo-*

1. *Movens primarium, Anima*, quæ hoc loco audit Vis Pulsifica; sicut dum corpus vivificat Anima; dum vult, Animus; dum scit, Mens; dum recolit, Memoria; dum rectum judicat, Ratio; dum spirat, Spiritus; dum sentit, Sensus &c. dicitur.

2. *Mobile*, seu sanguis.

3. *Via* seu vasa, advehentia, venosa, & evehentia, arteriosa. Præter hæc verò tria etiam necessariò attendendus est.

4. *Motus*, qui fit cum κλόνω, seu CONQVASSATIONE. Sanguinis enim in corde motus nil aliud esse videtur, quàm conquassatio quadam continua, ut partes heterogeneæ dispositionem nanciscantur, debitis locis secernendæ, & purus sanguis arteriosus ad partes veniat.

Non intelligitur *Conquassatio*, verbi gratiâ 1. *Chymica*, quo modo conquassari dicuntur medicamenta: Nec 2. *Physica & Mathematica*, quâ ratione conquassantur nubes & aër; sed talis, quæ non solùm propulsando sanguini apta nata est; verùm ut in œconomicis solet lac conquassari & concuti, pro segregandis partibus heterogeneis, ita hæc omnisque etiam reliqua sanguinis in aliis visceribus depuratio instituitur, tùm, ut sanguis aptior fiat suis usibus, alendo & reficiendo corpori, tùm ut consistentiam debitam servet illibatam.

In simili, ex parte, conquassatione œconomicâ occurrit dilatatio & constrictio, ut, quod modò in altum adscendit lac, iterum deprimatur. In corde est systole & diastole, quibus modò dilatatur, modò constringitur, & ad vasorum parietes alliditur, eoque magis attenuatur & subtilisatur sanguis.

Sic cum chylus cordi per venam cavam infunditur, conquassandus est, ut uniatur cum sanguine, & fiat rubicundus. Color autem rubicundus maximè est diffusivus sui, & facilè admittit alios colores, modò non sint oppositi, sed subalternati.

Sic alliso tali modo sanguine, seu conquassato ad segregationem disponuntur partes heterogeneæ & distinctæ in eo existentes alibi postmodùm secernendæ; homogeneæ verò, imprimis spirituosæ magis uniuntur & colliguntur. Humor enim alimentaris princeps est sanguis, ministerialis serum mite seu lympha. Uterque hic se unà exercet, & alter alteri suppeditat debitum.

In Pulmonibus omnes ferè hactenus statuerunt, fuliginum fieri separationem; sed per fuligines latiùs intelligendi sunt vapores. Dico, hic

co, hic separari exspiratione partes magis aqueas à sanguine, quod quilibet experiri potest, si afflet speculum, vel halitum colligat. Prout ergò se habet sanguis, ita & hi vapores: si scilicet salinæ, impuræ admiscentur particulæ, & illæ hic excluduntur, quæ quidem ab aqueis his recipi possunt atomis; hinc malignitas solo halitu communicari potest: hinc phithsis, imò etiam, quod observavi, hæmoptysis, sunt contagiosæ.

In hepate, transcolato sanguine, bilis separatio fit, seu particularum magis sulphurearum & acriorum volatilium, quæ colliguntur in vesiculâ felleâ.

Lien serositatem quandam acidam & mordicantem in recessu habet, unde sanguis per ipsius parenchyma filtratus debitam acquirit consistentiam, & aliqvo modo inspissatur; vel è contrario, ne fiat nimis subtilis, impeditur. Ne verò nimis coaguletur, natura copiosis illum instruxit arteriis. Hinc etiam coagulo hoc affectus sanguis, citiùs postmodùm deponit locis seu emunctoriis debitis sordes.

Per Renes præter aqueas partes lixivæ & volatiles magis segregantur, ne sanguis fiat fluidior: ubi notari potest, urinam post paucas horas à cibo redditam planè aqueam esse, nec sal in se continere, nisi paucissimum; coctione verò peractâ magis magisque salina evadit.

In emunctoriis capitis magis pituita; per cutis spiracula aciditas superflua segregatur.

Impossibile verò est, nisi conquassetur & concutiatur hôc modo sanguis, ut excrementitii tales humores secerni queant, ut moto lacte, simplici quidem motu, nunquam emergit butyrum & serum.

Fingamus, lac devehi ab arteriis & revehi à venis, seu ductibus & canalibus similibus infusum, nunquam inde separabuntur partes reliquæ, nisi conquassatio & concussio accedat.

Operæ pretium est, videre, quidnam conjungatur cum conquassatione lactis: ut partes separentur. *Motus* adest *continuus*, idem in corde: Depressio & sublatio systolen & diastolen cordis exactissimè repræsentat. *Movens* adest manus, in corde movens anima. *Calor* quasi motu hoc conciliatur, qui separat heterogenea & congregat homogenea. Cor fons caloris, ubi ergo hic residet, ibi & separatio fiet, in partibus enim cæteris non est, nisi per κοινωνίαν & restrictè.

Hinc actuatio & medicamentorum & alimentorum explicari potest.

ceſt. Ex iis, ſive per ſe liquidis, ſive cum liquoribus nativis communicatis vis ingreditur cor; concutitur ibi & conquaſſatione magis elicitur, quicquid in eis boni hæret, cætera ad ſegregationem disponuntur. Et, niſi conquaſſatio hæc fiat, medicamenta minùs ſortiuntur effectum. Purgantibus aſſumtis manifeſtè ſentitur, Cor conquaſſationem moliri majorem, motu concitatiori evidentem.

Idem ab aliis medicamentis maximè volatilibus manifeſtò ſentiri ſolet, à fixioribus, abſorbentibus minùs.

Quoad alimenta, bilis & ſuccus pancreaticus videntur facti eſſe ob id etiam, ut chyli confectionem extra ventriculi pomæria continuent, adeoque menſtrui cujusdam vices ſubeant, cumque chymus in ventriculo à reſolutione factâ ſenſim aceſcat, hinc diluitur à pancreatico ſucco, à bile verò partes acidiores præcipitantur, hinc utrique ſpiſſeſcentes cum excrementis ſolidis excernuntur.

Sicut enim cor & ſanguis. ita & ventriculus & inteſtina ſunt cauſæ ſociæ. Natura non niſi nectar & Ambroſiam, ſeu Q. E., ex aſſumtis delibat & in uſum ſuum convertit; terreum quod eſt, per longos inteſtinorum gyros, teſtudineo gradu propellit, ut, ſicubi quid boni adhuc inſit, evaporet, & in civitatem adſcribatur, donec in craſſioribus jam ſcybala fiant inutilia & fœtorem concipiant, ſicque per janitorem, rectum inteſtinum, eliminentur.

Quin hoc modo alios quoque excrementitios humores ad infimum ventrem deturbat, qui partim ſuum uſum habent; vel in ſtimulando leniter inteſtina, vel putredinem aliquandiu protrahentia, & balſamicâ vi conſervantia, vel SEPARATIONEM UTILIUM SEQUIORUM adjuvantia & diluentia, ut bilem, humorem pancreaticum, pituitam, ut alia in locum exhauſtarum particularum ſuccedant, jam officio functa, ut pars ſecedat, pars evaporationi, diluendo, continuandæ faciat.

Deductus per publicam & regiam viam chylus ad cor, ſequeſtratis jam craſſioribus, opus adhuc habet, ut deponat, quas ſecum habet, excrementitias particulas. Liceat hoc loco paulò latiùs vocare excrementa, non inutilia ſolùm, ut urinam & materiam tenuem per ſudorem diſſipandam; ſed utilia quoque, ut ſemen & lac. Certum eſt, hæc debere ſeparari; ſed quomodo id fit? Conjuncta cum ſangvine unam conſtituunt maſſam, homogeneam, κατὰ φαντασίαν. Sangvis ergò

ergò hic debito modo est præparandus, antequam talem naturam & formam, puta, lactis, seminis, bilis, induat. Ejus verò prima rudimenta ponuntur in conquassatione, quâ aliæ atq; aliæ imprimuntur figuræ.

Semen totum spumosum est, quod iteratæ sæpiùs conquassationi sangvinis debetur, quæ necessaria erat, ut tàm nobile corpus exsurgeret.

Cum nimio potu ventriculus gravatur, ut solet in ebriosis & bibacibus, in conquassatione sangvinis solum ferè emergit serum, cum paucâ bile, hoc delatum ad loca debita, nec evacuari, nec recipi potest, hinc restagnat, & varios morbos producit.

Quando multæ particulæ calidæ junguntur sangvini, ex conquassatione multa emergit bilis: inde icterus, quia non potest recipi omnis, quæ generata est bilis, in vesiculâ, ergò restagnat, & ad omnes defertur partes.

In febribus multa materia cordi infunditur, quæ segregari apta non est, hinc conquassatur à corde, quousque vincatur. Duratio conquassationis talis facit paroxysmum, in intermittentibus, modò longiorem, modò breviorem, prout materia vel copiâ, vel qualitate, acris, acida, viscosaque peccat.

Conquassationem hanc aliquatenus continuari in arteriis totius corporis vero est simile, ut scilicet separationi magis apta reddatur materia quælibet. Sic plures arteriæ ingrediuntur vasa spermatica, crassiores tamen & majores, ut conquassatio eò meliùs fiat.

Saccharum, mel, cineres, &c. injecti lacti nunquam butyrum & serum inde separari sinunt, sunt enim naturæ salinæ, & hinc uniunt invicem partes oleosas & serosas. Probabile est, & in sangvine simile quid ea præstare, unde, cum segregari nequeant, particulæ impuriores, sed viscedine quâdam inquinentur; vulgato termino bilescit sangvis, oriuntur obstructiones, verbo dulcia hæc & salina conquassationem, & exinde resultantem separationem nonnihil impediunt.

Quid verò est obstructio, nisi quando materia apta non redditur separationi, hinc eâ ad partes delatâ, recipitur quid pro quo, unde meatus & viæ sæpè coarctantur, & limosæ impuritates accumulantur.

Contrà verò acida conquassationem videntur promovere. Infuso spiritu salis, vitrioli, aceto & aliis similibus, lac facilè coagulatur, & in butyrum & serum facessit. Acida pariter in corpore nostro separatio-

nem conquassativam, seu conquassationem separativam adjuvant, licet diverso effectu; pro ipsâ sanguinis dispositione, modò coagulent sangvinem, si sit fluxilior, & salibus lixivis abundet; modò dissolvant, vi incisoriâ, coagulatum, ceu ipso *Hippocrate* teste, & experientiâ, acetum sanguinis grumos dissolvere observatur.

Et hoc pacto explicari potest, quid sit transmitti materiam à corde, vel toto corpore ad partes, & si inibi sensim colligatur, per συναθροισμὸν id fieri dicitur; si desubitò ἀθρόως καὶ βιαίως, ῥευματισμὸς audit.

Quomodo enim cor transmittere potest, nisi priùs conquasset & excutiat sanguinis particulas, quo facto mittere segregatas potest, quocunque tùm ipsius humoris conditio & qualitas, tum partis recipientis intercapedo & dispositio permittit.

Necessarium autem est, hanc vitiosam materiam alicubi generari, quod fieri nullibi potest, quàm in ipso corde, ex suggesto tùm chylo, tùm per venas reducentes sanguine.

Totum itidem corpus mittere dicitur, cùm depulsa in omnes partes materia locum cœco impetu quærit, ubi deponatur: invento tali, ceu in sede quadam decumbit, & pro imperio partis tonum labefactat.

Hoc etiam est διαχώρησις, διάκρισις & ἀπόκρισις humorum *Hippocratica*, quatenus nondum excussis & segregatis à corde particulis allotriis placidâ defluit sanguis pace, segregatis verò & sejunctis turba oritur, pro copiâ, qualitate & dispositione pororum earundem.

Ut verò missis pluribus, quæ ex hoc fonte deduci queunt, ipsa res meliùs pateat, certum est, quòd dato & concesso sanguinis in circulum motu, hæc ipsa tamen circulatio non sufficiat, nec animum curiosum exsaturet, nisi conquassatio hæc statuatur.

Circulatio enim, ùt circulatio, sanguinem non reddit aptum ad segregandas particulas heterogenes; sed has aptas redditas ad excretiva loca vehit, quo facto, quodlibet loco proprio excernendum deponitur, & transcolatur.

Neque novum id adeò est, quin apud ipsum *Hippocratem* hujus exstent vestigia, v. g. *l.* περὶ γονῆς *c. 1. t. 11. seqq.* hanc conquassationem concedit, affirmans illud de semine, ὅτι κλονέεται ὑπὸ τῆς κινήσεως καὶ ἀφρέει. Subjungit *t. 12.* καθάπερ καὶ τ' ἄλλα ὑγρὰ ξύμπαντα κλονεόμενα ἀφρέει. Recensens ibidem *c. 4. t. 3.* quare pueri careant semine? *ait*, venulas

venulas ipsorum esse tenues & repletas, & pruritum ipsis non similiter accidere, καὶ διὰ ταῦτα οὐδὲ κλονέει ἐν τῷ σώματι τὸ ὑγρὸν ἐς ἀπόκρισιν τῆς γονῆς, *& proptereà neque conquassatur in corpore humidum ad genituræ secretionem* &c.

Gemina his etiam sunt illa *Helmontii l. blas humanum* §. 23. *p.* 147. ubi, neque enim sat est, *inquit*, fermentum efficienter esse effectivum, ut sanguis animetur, & vertatur in spiritum, illumque in sinu lævo cordis habitare: nisi motus concurrat pulsatilis, assimilatus motui, quô lac acidulum verâ transmutatione in butyrum mutatur, &c.

Consentit *Lowerus tract. de corde c. 2. p.* 127. Quò sæpiùs, *scribens*, in corde sanguis CONQUASSATUR, ad vasorum parietes alliditur, in habitu corporis à contractione musculorum agitatur & concutitur, & denique per poros corporis urgetur: eò magis attenuari, & à stagnationibus istis liberari, necesse est; in quas aliter pars sanguinis nutritia satis prona est, &c. &c.

OBSERVATIO III.
D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULINI.
DE
SUDORE VERMINOSO.

Stupendos equidem sudores alii, mellis enim sudorem recenset *Rhod. C. III.* 58. epotæ cerevisiæ *Salm. C.* 2. 28. viridem, *Borell. III.* 56. nigerrimum *Zac. III. pr. Obs.* 73. vini rubri *Barthol. C.* 4. *h.* 61. *Sachs. Ampel. p. m.* 395. arenularum *Barthol. C.* 1. *h.* 34. *J. D. Horst. Man. ad. Med. p.* 1. *c.* 2. *p. m.* 123. urinæ *Salm. C. II.* 28. statuarum *Barthol. C. VI. h.* 93. *Theatr. Europ. T. VI. p. m.* 632. croceum *Hildan. C. VI.* 77. oleosum ac pinguem *Mollenbr. in Misc. Cur. ann. II. Obs.* 19. Sudorem septem annorum, *Tulp. III.* 42. sanguineum, *Arist. III. A.* 9. *L. III. P. an. c.* 5. *Maldonat. T. I. in Evang. Matth. c.* 26. *Fernelius L.* 6. *path.* 4. *Tulp. II.* 31. *G. Horst. p.* 2. *Obs.* 15. *Drexel. p.* 2. *delic. gen. hum. c.* 2. *Donat.* 1. *M. H. c.* 2. *Thuan. L.* XI. *hist.* Barthol. *hypomn.* 4. *de cruce Christi. Libav. disp. de lachr. cruent.* §. 4. Becker. 1. *Med. Micr. c.* 5. *Jonston. thaumat. nat. Cl.* X. *c.* 3. *G. Fabricius L. III. Annal. Misnic. Theatr. Europ. T.* 2. *p. m.* 115. *Mercurial. L.* 4. *V. L. c.* 12. At verminosum sudorem, excepto *Henrico ab Heer in Miscell. Curios. Ann. II. Obs. modo citatâ*, à nemine unquam obser-

observatum memini. Accipe igitur, Excell. Dne, rarissimam historiam. In Pomerania paucis abhinc annis rusticæ filius, 12. anno ætatis variolis corripiebatur. Paupercula mater, ob rem domi angustam, vetulam consulit, hujusque consilio filio Thericam propinat in aq. card. bened. ægrumque ad sudorem componit. Quid fit? paulò post ægrotans in universâ cute intolerabilem sentit pruritum, rogat itaque matrem, ut fortiter ipsum fricet. Ipsa annuit: pruritus augetur. Tum æger: quæso, accuratiùs inspice corpus meum: recipit, mordet, vellicat, pungit & quid singula? Genitrix perlustrat nudum filii corpus, & ecce! minutissimos vermiculos albos, nigra puncta in capitibus gerentes, è poris partim egressos, partim egressuros deprehendit innumeros. Vidua prorsus attonita rem inauditam vicinis expositura nudum derelinquit filium, reversa semianimem reperit, qui tandem, syncope superveniente, eodem die finem vitæ fecit, ut ex ore amici cujusdam eruditi, viri rerum naturalium studiosissimi & fide plenissimi, habeo. Vides, Excell. Dne, Langium Prof. Lips. in judiciosissima disputatione de morbillis, an. 1660. habita exploso veterum errore, rectissimè docere: Variolas & morbillos nil aliud esse, quam pullulaginem verminosam. Et ita omninò est, si conferas *Obs. Rhod. C. III. 64. Borell. c. II. 72. & Obs. microsc. 31. Bartholin. C. V. h. 29.* plures ut taceam.

(*In literis ad D. Wedelium, Hafniâ Danorum.*)

OBSERVATIO IV.
D. SALOMONIS REISELII
DE
LITERIS INTRA IPSUM FAGI FISSÆ TRUNCUM INVENTIS.

INter naturæ lascivientis ludos, quorum exempla passim occurrunt, meritò adnotandus est iste.

Neo Hanoviæ ante annos ferè octodecim frustum è Fago, dum inter medullam & corticem finderetur, ostendit, literas majusculas Romanas in utroque intùs latere. Pro ostento statim habitum omnes oculos & omnia ad se provocavit, ita quidem, ut pro infausto signo juxta eum aliis, eodem tum anno 1654. incidentis magnæ Solaris Eclipseos prognosticis, in publica concione sit allegatum, donec ex aliis eodem cursu invectis similiter inscriptis frustis (quod testantur, qui adhuc vivunt) miracu-

miraculi ſpecie extinctâ, re tamen ſaltim non ab omnibus cognita aut dijudicatâ, tandem veluti rarum quid ad Cancellariam deferretur. Ubi retentum diu, demum anni 1672. Auguſto menſe ad *Illuſtriſſimi Comitis Hanovienſis Dn. Friderici Caſimiri, Clementiſſimi Domini mei* Technophylacium delatum eſt, cujus figura & vera magnitudo facilè apponi poſſet, ſi mereretur in æs incidi, quam verò interim penna ſubſtituat.

Fruſtum ipſum à majori trunco reſectum in aſſeres duos fiſſione diviſum eſt, iisq; conjunctis iterum, unicum fuiſſe agnoſcitur, tres ſpithamas longum, palmô unô craſſum, & triangulare eſt. In diviſionis lateribus inſcriptio per lineas quinque ſibi ſuppoſitas, Latinis literis pollices ſeu uncias duas longis, verùm fiſſione mutilatis, Germanâ lingua, imperitâ manu facta eſt, quarum prima ſignata literis NES prænomine Joha-NES integram vocem conjecturâ ſecum fert; ſecunda CAS finis eſt cognominis neſcio cujus; tertia DEM articulum τὸν notat; quartâ TEN ſyllaba ultima diei ſeu primum ers-TEN, ſeu tertium drit-TEN, ſeu alium ſimiliter terminantem numerum ſupponit; quinta denique IS, & reſtauratâ totâ voce April-IS menſis nomen definit, quod hoc tempore plerumque ludant in cortice ſucculento Satyri & Fauni; Idiotæ autem, qualis eſt hæc ſcriptura, reliquorum menſium hibernorum caſum, ſcilicet caſum Genitivum in IS deſinentem, non facilè formare ſciant. In lateribus diviſionis dixi, utriuſque puta parietis, ſeu ſuperficiebus fiſſuræ, literæ videntur: in altero rectæ & pronæ, in altero verſæ & ſupinæ: Illic diſtinctæ colore pallido inter obfuſcos & per longitudinem ligni, quaſi effluentes circumcirca radios hîc nigriori inter genuinum arboris hujus colorem diſcrimine notatæ; Illic lineolis per cuſpidem cultri ductis, quaſi ſulcos inciſionis adhuc oſtendentibus; hîc extrorſum elevatis & exaſperatis. Illæ in ipſius ligni ſuperficie, colore ſolô, perfectè & diſtinctè (exceptâ ſolâ A, quæ medio ſui angulo corticem affixum habet, in oppoſito latere foveolam relinquens) præter tenues dictas inciſas lineolas ſignantur; hîc ex cortice nigro illinc abrupto & alicubi rimulis & ſulcis diffracto & hiante, in aliud lignum immerſo & velut ab artificis manu infixo & adglutinato conſtant, quod evidenter in litera D. apparet, quæ facilè à reliquo ligni revelli poſſet, ſeparatione ſcilicet per dehiſcentem rimulam jam incepta & obſervabili. Præter has literas, literarumque notas & veſtigia & radios utrinque

una videtur ligni species, unus color, arctissimaque conjunctio, apparentibus quippe hinc nodis, illinc foveis & sinubus; illinc sulcis & alveis, hinc prominentibus festucis.

Extus autem cortice nudatum est lignum, videturque alio adhuc asfere tectum prius fuisse, quàm cortice, quia ex abruptis ejus circulis crassities reliqua facilè conjicitur, & corticis externi nulla restant indicia, qui quidem aliàs vel vi detrahi vel sponte propter reficcationem resilire potuerat.

Quantum ergo suspicari possum, constat, literas vere in corticem incisas, nudatâ reliqua areâ, quæ aëri exposita nigrescere cœpit, superstites & eminentes extitisse, quibus postea aliud lignum, quod supra literas nodosum adspicitur, accrevit, ita firmiter, ut pro unico haberi facilè posset, nisi discrimen facerent partim diversæ fibræ seu undæ, seu venæ, & circuli, qui in interiori æquales & rotundi, in exteriori inæquales, tortuosi, ampliores & aliter ducti; partim inclusum alicubi corticis ipsissimi frustulum; partim quòd fissio facilius in coalitûs lineâ, quam alibi aliquoties frustrà tentata, transierit. Quæ omnia melius occurrunt oculis, ubi serrâ per transversum in inferiori parte recentem divisionem feci. In superiori verò pariter dissectâ non cognoscitur cortex, vel discrimen aliquod, cùm totum lignū uniùs plane coloris & æquales quoq; circuli ii tamen abrupti majorem ligni revulsi partem præsupponant.

Disquiritur adeoq; *quomodo externum lignum & corticeis literis & interiori ligno accreverit?* Aliqui putant à cortice proprio aucto & recrescenti tecta esse, quod in arboribus juvenculis & pinguibus, & præsertim fago fieri contendant. Quod verò hic vix locum habet, quia exterius lignum quoad colorem & texturam interiori planè simile, benè crassum adhuc, sed fissura diminutū & sine dubio cortice tandem suo tectum, novum penitùs & diversum lignum, conjicio, & dubito, an cortex ipse facilè tàm lignosus intus evadat, de quo tamen inquirendū: An decorticatꝰ alius truncꝰ vicinꝰ, vel studiô combinatꝰ, vel sponte sese maritârit, literasq; adeò & stipitem quasi conubio texerit, in medio relinquo.

Hucusq; designatam Historiam cum figura & conjectura & dubitatione meâ *Regiæ Societati Anglicæ*, quæ circa vegetationem singularissima collegit, & partim edidit, ut exasciandam humillimè proponeret, tradidi Adsessori illius dignissimo, *Dno Guilielmo Schrödero*, prid. Kal. Octob. dicti anni, ostenso simul ipsô lignô, ne de rei veritate oculus dubitare posset. Quæ quod summo honore laudata Regia Societas serenissimâ

fronte

fronte acceperit, & haud à vero abludere videantur, nomine ipsius Societatis Clarissimus *Dn. Henricus Oldenburgius Londino 16. Jan. 1673.* me certiorem fecit. Unde valdè mihi gratulatus sum de tantâ gratiâ & assensu: magis gavisurus si resolutionem illius simul accepissem. Eam verò cum ex Tripode ipso non audiverim, sperabam ex *Actorum Philosophicorum* oraculis editis, ubi de succi motu in arboris partes plurima consignata sunt, discere. Sed cum nec integra ad manus essent, neq; ea omnia ex Anglico idiomate translata, hæsit animus. Interim famam harum literarum olim alibi etiam percrebuisse post communicationem ligni mei felicissimus Francofurtensium Practicus *Dn. D. Sebastian Scheffer,* in memoriam revocabat, servatasque à Clarissimo suo parente iisdem quidem signis, sed sine notatione temporis, loci aliarumve circumstantiarum in museo suo monstrabat. Præter id verba Danica literis Latinis expressa: JENS HAMERS HOLTER AFF KONGEN ARBEDT FOR EN TIFF in trunci cuneo discissi internâ facie Hafniæ in Regia Technicotheca servati, & *Obs.* 55. *Anni II. Ephem. Naturæ Curiosarum* notata legi, majoremq; fidem meis, quoq; fore præbitura speravi: quemadmodum etiam binæ voculæ W s in suo *literato ligno Fagino,* quod *Clariss. Dn. D. Witzelius* Francofurti ostendit mihi, confirmant simili generatione nostrarum fidem & veritatem.

Posteà circa modum coalitionis lucem aliquam fœneratus sum tàm ex *Bacone Verulamio,* quàm *Joh. Dan. Majore.* Ille Naturæ summus interpres *Histor. Natur. Experim. 479. Cent. 5.* hæc habet: *Debetur,* inquit, *& illud aliorum sermonibus, quod tenellæ arbores specie differentes, si contiguæ ponantur, non ligatæ, in terrâ fertili, sæpiusq; irrigentur, ipsâ luxurie incorporabuntur atq; coalescent. Probabilitate id cætera hactenus proposita anteit, cum præpediat ligatura, ne arbor ad naturæ legem intumescat, unione per motum commodiori.* Ad quæ notandum, conjungi quidem arctè arbores, sed non coalescere in unum stipitem, nisi denudato utrinq; omni cortice (tres enim sunt instar cutis, duræ & piæ matris niger seu cinereus, viridis & albus) uti demum utriusq; arboris succus combinari & adglutinari queat: quod tàm in insitione surculi aliunde abrupti aut adhuc in arbore viventis & declinati, in trunculum fissum vel excavatum in tubulatione (Pfeiffeln), quæ est in tubulum excavatum exemtoq; surculo surculi decorticati ejusdem magnitudinis insertio, vel à cortice separatum, quàm in inoculatione (ut liceat sic loqui) gemmæ observandum est, si quis cupiat felicem propagationem.

Hic Naturæ Curiosorum Hesperus lucidissimus *Dissert. Botan. de Planta Monstrosa Gottorpiensi, ubi quædam de coalescentia stirpium & circulatione succi nutritii per easdem §. 23.* ista largitur mihi. *Lignosos etiam arborum stipites & ramos interdum coalescere. Fagos inprimis & Betulas sponte, ut quasi complexus matrimonialis dulcedo sic adumbretur. Quod imitati hortulani, cerasorum aut tiliarum stipites ita convolvunt, ut coitum, quem vocant, viperarum, vel columnas in spiram contortas referant, & ruptis mutuo corticibus, crescenteq; ligni mole, firmiter tandem coalescant.* Et §. 24. *Nec minus arma interdum ac tropæa inventa inter findendum semimiraculosè fuerunt longè sub cortice, & circa internodia, nisi planè in aliqua medietate ligni. Quod inde accidit, quia dum recreverunt arbores & extensæ iterum in longum latumq; sunt, arma istiusmodi, ob duritiem coëxtendi inepta, introrsum recepta cum tempore fuerunt, & cortices, vulnera deniq; ac internodiorum vel ligni fissura, coaluerunt.*

Verùm nondum omnes mihi tenebræ hæsitationis de tanta novi ligni supercrescentis crassitie, & latentium literarum origine discussæ sunt, donec *Cives Hanoici duo omne dubium sustulerunt.* Alter auditâ super eo ligno quæstione, quam proponebam, dixit, se hujus ipsius frusti signati arborem matrem ante dictos octodecim vel plures annos in silvâ Rodebachiensi proximâ, ad semitas positam & resciſſam, cujus truncus adhuc superstes posset inibi monstrari, vendidiſſe huic Patrifamiliâs, in cujus domo hæ sint inventæ literæ. Addidit nihil novi hoc esse, & pro fide aliorum exemplorum misit aliud ex crassissimâ fago fiſſum frustum, internè & externè, *cornu cervini figurâ* signatum, ex aucto scilicet & undique supercrescente recente ligno constans. Quod loco picturæ hîc describere conabor graphicè.

Frustum ipsum spithamas quinque longum, septem digitos transversos in medio cum cortice suo crassum, suprà & infrà aliquantò tenuius, est exterior & nova ligni pars per fiſſionem separata ab interno stipite, in quo cornu cervinum incisum fuit, cujus adhuc superstes festuca adhæret. Cornu autem internè cuspidibus quinque formatum totidem palmis altum, palmo uno & ampliùs latum, ex cortice nigro quasi adusto & veluti cineribus, seu situ vel mucagine adsperso, per medium rima fiſſo, distinguitur à reliqui ligni colore.

Quod juxta totius cornu latera cultri crassitie extensum intra duo albidioris coloris ligna obliteratum tandem, ubi paulò suprà vel infrà

apices

apices contemplabis, pro cortice potiùs æstimandum, qualem etiam subtilem & quasi degenerantem corticem medium agnosces in nostro ligno. Per ligni crassitiem dextrâ simul & sinistrâ facie septem integros transversos digitos apicum signa & vestigia tortuosâ & nodosâ viâ penetrant usque ad exteriorem corticem, ubi distingvuntur asperitate seu crispaturâ quâdam, eodem ductu ut internè à reliquo læviori cortice. In dextro intus crassitiei latere, (simul & internâ facie dextrorsum) hæret festuca tenuis rectis fibris, quæ ablata apices hactenùs tectos nunc integros, nisi quantum fissione sunt rescissæ ostendit. Ubi subtus cornu nodosque apicum desinentes infra deletum medii tenuis corticis signum adspicitur, videtur esse unicum lignum, & exteriori ligno seu coaluisse, seu excrevisse fibris rectis & æqualibus. In sinistro latere extùs in cortice sulci asperiorum impressorum apicum quinque notantur: intùs, cuspidum infixarum seu infixarum profunditas & niger color ab alio ligno diversus, præsertim ubi lævigatæ fuerunt scalpro, describitur.

Alter vir gravis, nec tantùm horticulturæ curiosus, sed & naturalium aliorum satagens, incisionis modum & accretionis ita factum esse ex crebris ejusmodi signis, literis, & vulneribus unà cum rusticis ipsis aliquot tùm præsentibus, qui talia quotidiè faciunt & vident, docuit. Quando enim sub literis incisione signatis, vel vulnere fortuitò cortex detrahitur, novus ab exudante succô, feliciùs tamen unô quàm aliô tempore, inibi supercrescit, reliqvus verò & vietus, succo novo annuas in tunicas & circulos adaucto & indurato ampliatur, donec non tantùm literas tegat, sed & multiplicato & in crassitiem magnam crescente ligno defendat. Unde etiam ratio patet, quod circa signa & literas, si sint multæ & amplæ, cortex quidem tenuis medius utrinque videatur, obliteratus tandem & evanescens, quoniam non tàm facilè illic ob læsas ab aëre externo & vulneribus vicinias novus succus adglutinatur, quàm alibi, ubi nullum impedimentum fuit. Porrò si vulnus atque plaga magna sit, ut succus nimius defluat, & ab aëre externo lædatur, perit & emoritur arbor. Etiam si vulnus profundius sit, quàm cortex & in ipsum lignum incidatur, illic nullus cortex, qui lateré possit, supercrescit, sed ipsô novô lignô immediatè tegitur. Utut verò ea dubitatione jam olim vir modò laudatus potuerit & voluerit me liberare, tamen opinionibus duabus præoccupatus, primò literas incisas, in cortice servato mansisse, detracto vicino nudatâque arbore; dein circulares fibras,

veluti ſpermatica arboris ſtamina, non augeri numerô, aſſequi non potui.

Confirmabat denique hanc noviſſimam demonſtrationem alius arcularius, aſſerens fieri facilè,ut arbori denudatæ vel vulneratæ ſupercreſcat veluti cicatrix aut callus,& ſuper hunc novum lignum, etiam detractô ſecundâ vice recentiori cortice,idque juglandibus eſſe familiare,ita quidem ut tertius aliquando cortex lignis intermixtus reperiatur. Addebat,emori quoque facilè arborem cortice ſic latente, fortaſſis propter aquam nigram illic ſedentem & proſtrato ſtipite profluentem. Inſuper,ut apices & literæ tectæ externè hîc notantur, ita quemvis nodum,intùs latentem,exteriùs ſignari in cortice nodoſô & tortuoſô.

Ex novâ ergò hiſtoriâ, ſimilibus circumſtantiis, crebris inciſionum exemplis, tantâque craſſitie ligni hujus recentis cervino ſigno ſupernati concludere licebit & *conſectaria* hæc eruere:

1. Aſſerem etiam alium ſeu majorem partem ligni, cortice tandem ſuô tectam eſſe in noſtro fruſto, imprimis cum & hîc non levia tàm in externâ & abruptâ ſuperficie,quàm in craſſitiei lateribus quamvis rudia eaque tortuoſa & nodoſa literarum ſigna appareant.

2. Eôdem utrinqve modô adauctum ſupercreviſſe lignum exteriùs, ita nempe ut ſingulis annis ex ſucco adſcendente & adglutinato tunica una adcreverit in pectinem multiplicem cortice ultimùm tegenda, donec ad eam fatalis ſuæ deciſionis magnitudinem ſurrexerit: quàm ſi ex circulis, (qui in *Actorum Philoſophicorum Anglicorum* 1669. *n.* 43. *interſtitia ſunt tunicarum illarum, quibus arbores annua ſua incrementa in craſſitie recipiunt,*) æſtimes ſeptuaginta in cervino ligno: totidem annis auctam eſſe numeraveris.

3. Inciſis literis & cortice ſolo detracto ſignatis corticem induruiſſe novum, cui antiqvus cortex ſucco qvotannis in novam tunicam & circulum adaucto & indurato, ut in reliqva circumferentia, ſic & ſupra ipſas literas extenſus accrevit & induruit: non autem literas corticeas manſiſſe exertas detractô circumcircà cortice.

4. Licere qvoq; nobis hoc facilè imitari. De quibus ſi qvis dubitet, faciat experimentum,& intra annos aliqvot ejus rei veritatem videbit ipſe vel adeat moræ impatiens ſemitas in ſilvis, & ſpectabit tàm in vulneribus aut ſignis recenter nudatis, quàm novo poſt antiqvum pullulante cortice ejus incrementa usq; ad totius plagæ obvelationem in arbori-

Ad Ann. VI. N°. 4



boribus variis diversô colore & lævore facilè discernendam, & exempla plurima obvia. Verùm qvòd excurrerit hic discursus de literis his faginis nimis longè, condonabit, credo, lector benevolus, si apud *J. G. Schottelii Grammaticam Germanicam* (Teutscher Sprach-Kunst vierdter Lob-Rede) *p. 100. ex Olais* Wormio *& Magno atq; Saxone & Martinio* discat, literas has faginas, Buchstaben/tanqvam membra vocum totiusq; linguæ, priscâ Germanorum voce Letter/litten/lett/significare seu baculum seu scipionem, qvibus innitantur libri vel incedant, Aqvilonaribus pro celebri hodiernarum chartarum genere & Epistolarum loco ad amicos in ipso ligno insculptas missas esse: adeoque non immeritò in memoriam, usum & gloriam illarum revocari, cum & hodienum Icones multæ lignis incidantur, velut in æneis tabulis exprimendæ, & Chinenses suos characteres lignis incidant, publicè edendos.

Post quæ omnia superaddendum duxi, quod supra laudatus *Excell. Dn. D. Scheffer* 13. *Martii* 1674. ad me perscripsit. *Quid agis*, inqvit, *cum ligno tuo? Nec enim quippiam de mirando hoc naturæ opere Ephemerides adhuc dum continent. Apud nos præterito anno in fissuris lignorum binæ occurrerunt ejusmodi species, quarum altera continet stellam hujus figuræ*, (radiorum corticeorum sex, veluti foliorum salicis, sed tamen tribus lateribus constantium, ita ut media fibrâ, sua seu costa, seu lineâ elatiore faciat prisma triangulare, sed utrinqve in cuspidem acuatum, & attenuatum) *in ligno quercino & habetur apud Prænobilem & Amplissimum hujus Reipubl. Senatorem* Dn. Ludovicum Henricum Lersnerum; *alienam exprimet in scriptis Excell. Collega noster* Dn. D. Witzelius.

(*In literis ad Collect. Ephem. Vratislaviam d.* 16. *Jun. Ann.* 1674.

OBSERVATIO V.
D. JOELIS LANGELOTTI
DE
MENSTRUIS ULTRA CONSVETUM NATURÆ TERMINUM SALUTARITER FLUENTIBUS.

NEmo non experimentis vel leviter tinctus intelligit, quantum ad sanitatis conferant naturam disposita benè fermenta, & quantum contrà damnum adjiciant eadem malè temperata.

Matrona quædam sterile experta conjugium dum ordina-

rium

rium patiebatur menſtruorum fluxum, incolumem ducebat & ab omnibus noxis liberam vitam: ſed cum deinde fluxus illi deficiebant, uno ſemper *febrili paroxyſmô, eôque menſtruo defectum hunc luere cogebatur.* Acceſſit tandem renum quoque calculus, ad quem expugnandum cum varia adhiberentur & fortia diuretica, iisdem medicamentis rediit (quod ipſa ægrota meritò mecum mirabatur) fluxus tot annis ſuſpenſus, etſi lege ætatis ceſſandum ei erat; & ſic quoque *febris* iſta *menſtrua* in totum remiſit, illa verò deinceps quoque ſatis bene valuit. Verùm quod declinatæ ætatis ratione haud aliter fieri poterat, ſuppreſſis denuò menſtruis in novam incidit, & ſcorbut cam Cachexiam, quâ graviter afflictata, ſeniôque confecta paulò poſt periit. Unde judicare unusquisque poteſt, quantum illud ſit beneficium, quod muliebri ſexui purgatio adfert uterina.

Quare in illud, quoque unicè, incumbere ſoleo, ut deſtitutum plerumque uteri fermentum & menſium deficientem fluorem, quamdiu natura fert, elixire meo myrrhato revocem.

OBSERVATIO VI.
D. JOELIS LANGELOTTI
DE
GRAVI VENTRICULI AFFECTU, FALSO PULMONIBUS ADSCRIPTO.

CUm ſæpiuſculè FRIDERICO Slesvvici & Holſatiæ Duci, Domino meo Clementiſſimo, glorioſiſſimæ memoriæ, valetudinis laborumque chymicorum cauſſâ adeſſem, ſæpeque per jocum mihi Medicorum errores objiceret, hanc identidem in fidem rei exponere hiſtoriam ſolebat, nimirum Sereniſſimum Patruum ſuum JOHANNEM FRIDERICUM, Archiepiſcopum Bremenſem &c. cum ex tuſſi continuâ & ſiccâ eâque poſt ſomnum invaleſcente, diu laboraſſet, & tandem contabeſceret, à Medicis pro phthiſico fuiſſe habitum, adeoque omnem curam in everrendis ſanandisque pulmonibus collocatam. Et hactenus quidem ea ſederat ſententia; ſed cum deinde poſt mortem in cauſam mali paulò accuratiùs inquirerent, pulmones præter omnem opinionem intemeratâ ſubſtantiâ ſalvos reperêre, aſt, quod minùs crediderant, *ventriculum tam male affectum*, ut facilè iis fidem fecerit omnem ab eo mali cauſam ſubortam fuiſſe: tantam nempe putredinem conceperat, ut etiam ad levem contrectationem in ſquamas & membranulas


AD OBS. Aº VI
N. d.

nulas abiret; tantum quoq; is fœtorem exhalârat. ut chirurgo manum commodanti olfactum omnem abstulerit, ita ut nec medicamentis, nec morâ temporis, quamdiu vixit, restitui in integrum potuerit. Qvi aderant singuli, tantum non animâ defecturi subducere se cogebantur. Et qui non ita pridem vivere desiit Secretarius defuncti Principis, amicus meus, illum fœtorem putidissimâ quavis aurâ olentiorem fuisse non semel mihi affirmavit.

OBSERVATIO VII.

D. JOELIS LANGELOTTI

DE

MIRABILI CALCULI VESICÆ CURA.

CAlculum vesicæ pergrandem, & duos lotones cum dimidio aliquotque granis æquantem pondere, attulit mihi fœmina quinquagenaria Eckelfurdana, quem cum raræ commendent circumstantiæ, æqvum ratus, ut illas quoque curioso vestro adspectui exhibeam. Misera illa consilium rogitans, quâ nimirum ratione vitam tot jam molestiis fractam paulò liberiorem ab iis agere posset, conquesta mihi est, se totos annos duos immanes circa epigastrium dolores sensisse, nec tamen vel propriô aut aliorum instinctu cognovisse, quid ibi malè lateret, sed inprimis propter angustiam rei familiaris, medicorum operâ uti non potuisse. Tandem cum impendente vere melius haberet & cœli temperatior aura spiraret, svasêre vicinæ fœminæ, ut animi relaxandi causâ unà ad navem onerariam noviter constructam pertenderet, in quod facilè consentiens, quantum vires permittebant, comitatum secuta & ad oram navis perveniens cum illam sublatô pede transcendere vellet, divaricatis cruribus medio epigastrio in rude lignum impingit, insidens ei instar eorum, qui equo vehuntur, quô casu ferè exanimata & à vicinis domum deducta, tantis cum doloribus circa inferiorem ventrem conflictari cœpit, ut omnes eam statim emorituram crederent: Sed ipsa illa jam ultimis confecta laboribus naturæ tamen victricis beneficio adjuta, corpus aliquod solidum cum tanto fragore & tonitru, ac si lapidem fulminarem nubila emitterent, naturalibus est ejaculata. Quô sonitu perculsæ assidentes mulier-

 culæ,

culæ, propiùs se lecto admovent, & quid ægræ accidisset, quærunt, quæ ut de dolore dextri femoris querebatur, lodice & stragulis retractis, quò suppetias ferre laboranti possent, reperiunt ibi calculum ingentem in pedem explosum formâ ferè eâ, quæ hic exhibetur.

OBSERVATIO VIII.
D. JOELIS LANGELOTTI
DE
SINGULARI SOLIS CUM CEPHALALGIA CONSENSU.

EX astris solem præcipuè & lunam conspirare cum corpore nostro cumque humorum fluxu, vetus est & vera sententia. Sed eundem illum consensum propter irregulares athmosphæræ motus & tempestatum mutationes sæpissimè variari, unumque præ alio magis affici, id sanè oppidò manifestum, referreque nunc libet, quid circa hunc solis sive effectum sive consensum in duobus præcipuè ægris observare licuerit, Nobili nempe virgine Gallâ, & archimagiro Sereniss. Principis nostri. Utriq; sole oriente intra ipsum ferè temporis momentum dolor capitis succedebat, & cum solis ad meridianum adscensu augebatur, donec in summo cœli vertice consistens doloris quoque ea esset acerbitas, illa exaltatio, ut archimagirus ferè ad desperationem adigeretur. Sed sole à meridiano sensim declinante doloris remissio fiebat, nec tamen antè cessabat, quàm sol horizonte elapsus in noctem vergeret. Duravit hic affectus per dies aliquot, donec ventosæ cum profunda scarificatione universalibus præmissis, virgini applicatæ levamentum doloris præstarent. In archimagiro obstinatior fuit affectus solæque sanguisugæ ab immani isto dolore hominem liberârunt.

OBSERVATIO IX.
D. JOELIS LANGELOTTI
DE
MAGNO HIRUDINUM USU IN CEPHALALGIA.

HIrudinum usum, hisce in oris minimè frequentem, adeò salutarem reperi, ut sævissimas quasque cephalalgias non aliô remedio promtius curaverim. Ex multis, quas novi, historiis

unam deligam, eamque accuratius observatam. Anicula integrô ferè mense dies noctesque gravissima conflictabatur cephalalgiâ: dumque omnia adhiberentur remedia, adeò & spe & successu sum frustratus, ut tandem ad infrequentem, sed perspectum mihi hirudinum usum, confugere necesse habuerim: quibus ipsis tantum ægræ solatii, mihique voluptatis accessit, ut semel iterumque indomitam cæteroquin cephalalgiam sanguisugarum applicatione sanaverim: & in remedii quidem usu hoc se expertam jactabat anicula, quod quamdiu sangvis traheretur, ab hirudinibus floridus, nullam senserit morbi remissionem; sed cum continuatô tractu sanguinem emungerent nigricantem viscosum, à doloribus, ceu fascino quôdam, liberata fuerit. Quid ergò hic decernendum? anne hærebat in sinubus cerebri sanguis crassus & lentus, qui intus conceptô fervore orgasmum & tandem distensione membranarum contumacissimum dolorem intulit? sed nolo me immiscere causis exaggerandis, quas vestræ crisi reservâsse satius est.

Eundem illum hirudinum usum mihi quoque confirmavit illustris Heros, D. Johann von der Wyck / Serenissimi Principis nostri generalis militiæ Præfectus, qui cum aliquando Holmiæ Suecorum dies noctesque sævissima excruciaretur cephalalgiâ, adeò, ut, quæ vis esse dolorum solet, mentis quoque alienationem pateretur, frustrà adnitentibus archiatris, ut Regi suo fidissimum ministrum præsenti periculo eriperent. Tandem verò inter dolorum concertationes ipsi, de salute suâ sollicito, incidit remedium nimirum compertus ille hirudinum usus: itaque ultro applicationem illarum ad arterias temporales vehementius efflagitat, nec mora, applicatis illis sanguinemque trahentibus melancholicum, dolor omnis est consopitus & suavissimi somni successu tot dierum vigiliæ pensatæ. Sed novô quôdam exemplô idem ille heros hirudinum singularem effectum in contumacissimo linguæ tumore est expertus: induruerat lingua ad partem sui dimidiam, idque ex bilis atræ defluxione, ita ut aridi instar ligni immobilis in ore hæreret vixque ulli usui sufficeret. Huic malo profligando tribus insudatum septimanis. venæ sectio cum in brachio tùm sub linguâ incassum instituta; itaque præstantissima remedia infeliciter usurpata; verum solis hirudinibus, quas Medici dissuaserant, linguæ admotis

humor ille crassus viscosusque fuit eductus & æger opportunè liberatus.

OBSERVATIO X.
D. JOELIS LANGELOTTI
DE
SUDORE ATRO ET SANGUINEO.

SUdorem atrum rarissimum deprehendi evolventi observationes quascunque facilè patet. Certè *Marcellus Donatus*, ille, qui magno studio mirabiles nobis collegit historias *lib.* 1. *Histor. c.* 2. nec à se unquam, nec ab aliis observatum esse meminit sudorem nigrum, quare experientiæ defectum ratione ostensurus notat nigrum, & crassum seu melancholicum illum succum usque adeò extenuari non posse, ut per secretoria ista, seu tenuia seri cribella excernatur. Refragatur tamen huic sententiæ *Jul. Cæs. Baricellus l.* 2. *c.* 11. de hydronosa natura possibilemque eâ ratione statuit, si crassus iste succus ab alio seroso fluido diluatur. Atque hanc experientia firmat. Talem enim atri coloris *Hodgesius* in eleganti suo de *nupera Peste Londinensi* observatum adserit, ejusque multò luculentius exemplum præbet magnô suô meritô celebratissimus chymiater & Polyhistor *Olaus Borrichius* in editis non ita pridem Hafniensium actis de fœmina quâdam primariâ ad plures dies atramentum exudante, de cujus causa more suo satis ingeniosè differentem placet heîc audire: *Mihi* (inquit) *in raro hoc phænomeno, salvis aliorum sententiis, non absonum videtur, dilutiorem sanguinis partem à nimio acido, quod in corpore tabido deesse utique non potuit, in nigrorem versam inter sudandum evaporasse.* Adjiciam ego nunc simillimum huic exemplum, quod modò laudatus Illustris Dominus von der Wyck de semetipsô mihi suggessit. Curaturus nempe Stralsundæ, quam ex incommodis castrensibus paralysin scorbuticam sibi contraxerat auri diaphoretici ℈j. assumpsit, cumque in laconico suo, quod commodissimum invenit, se ad sudandum composuisset, adeò statim in sudores defluxit, ut, quæ curiositas est Viri Illustris, lintea & indusium tribus sudati humoris libris aucta notaverit; color autem laticis adeò niger, ut atramentum referret scriptorium & omnino acidam quandam

auram

auram spiraret. Testem oculatum penes se habuit Præcellentiss. D. Christoph. Schmidt, Archiatrum Megapolitanum & chirurgum ordinarium M. Joh. Andersen. Posterâ die repetiit usum ☉ri diaphoretici, sed sudor subsecutus est flavus, & sic convaluit. Aliàs sudorem sanguineum hic loci me observasse memini in filia rhedarii Ducalis, scorbuto laborante, qvæ paulò post vivere desiit.

OBSERVATIO XI.

D. JOELIS LANGELOTTI

DE

EPILEPSIA TRANSPLANTATA IN CANICULAM.

QUod de cane habet *Robertus Flud*, eum in se podagram Domini & afflictionum periodos & morbi formam accepisse, huic ego similem observavi historiam de transplantatâ caniculæ beneficio epilepsiâ. Ancilla gynæcii Husumensis ante annos aliquot subitò in epilepsiam inciderat tantâ cum membrorum convulsione & exagitatione, ut adstantes quosque commiseratione afficeret, nihilque ipsâ certius morte expectaretur, nam & probatissima quæq; remedia frustrà adhibebantur: Adsueverat eodem in grabato canicula dormire ex illarum genere, quæ planè depiles sunt, atque sic plumarum valde amantes: hæc itaq; paroxysmis ingravescentibus nihil magis quàm sui & caloris secura lectum quærit & se laborantis corpori applicat. Verùm illa, cum aliquandiu in lecto esset commorata, ingenti ululatu noxam invasisse corpus videbatur queri, ad quem sonum conversi adstantes productum canem eosdem illos epilepsiæ motus, easdem contractiones repræsentare cum stupore vident, & quò magis animal hoc convulsionibus percellitur, hoc minùs affectam ancillam jamque ad se redeuntem gratulabundi notant. Continuarunt eæ usque dum animam canis efflaret. Ancilla verò insperatô hoc beneficiô liberata nunquam ab isto malo imposterum tentata fuit, nec quoque puerpera, quando nimirum arcana fermentorum semina erumpere solent, quidquam mali sensit, vel in liberos transfusum, id qvod non ita pridem maritus mihi retulit.

OBSERVATIO XII.

D. JOELIS LANGELOTTI

DE

COPIOSISSIMO LIQUORIS LIMPIDI EX AURE SINISTRA PROFLUXU.

CErtus Princeps ſanguinei temperamenti vertentis ſeculi Anno 1662. 12. Octobr. Romæ è cochlidiô 14. pedes longô prolapſꝰ, capitis latere ſiniſtro in inferiores gradus tam validè impingitur, ut ſemianimis absque ſenſu, motu & loquela ad integrum ferè diem jaceret, vena demum aperta tantillum ad ſe revocavit collapſum Principem. Verùm ingens capitis dolor obortus & continuo infeſtus tenore tam malè illum habuit, ut dies noctesqve ſine ſomno tranſigeret, nihil proficiente, quicquid Medicus primò vocatus ad mali emendationem tentarat. Ergò in tanto Illuſtriſſimæ Perſonæ periculo vocati ſunt Medici famoſiores ſeptem, & ipſe inter eos cubicularius Pontificis ſummi Medicus, qui collato invicem conſilio, utendum eſſe trepano unanimes clamant. Fit ſine mora apparatus, trepanum jamjam capiti applicandum erat, cùm Præfectus, qui Principi aderat comes, ex ſiniſtra aure notat ſtillantem quendam ſeroſum laticem: ad quod ſpectaculum Medici invitati & ipſe chirurgus ab opere deſiſtunt, naturæque luſum mirantur. Interim durat exſtillatio liquoris & tamdiu continuatur, donec octo libras impleret. Ajebatque Illuſtris Dominus Præfectus, qvi mihi hunc caſum retulit, duas ad minimum libras primò cum inciperet, linteis exceptas fuiſſe: curioſitate ergò adductus ſingulos Medicorum rogabat, unde tanta liquoris copia emanaſſet, ſed presſit quisque vocem, nec unus eorum auſus fuit indicium pronunciare. Meritò ergò caſum hunc dignum judicavi, quem præcellentiſſimis Curioſis Germaniæ ſiſterem, ut ii, cum Itali noluerint, pro eâ quâ pollent penetrandi acie luſtrandum eum ſuſcipiant, & quos hic natura illa ἀπαίδευτος καὶ ἀμαθὴς aditus ſibi invenerit, liquidò aperiant.

OBSERVATIO XIII.

D. JOELIS LANGELOTTI

DE

FOETU MORTUO FELICITER EDUCTO.

Fœ-

FOEmina quædam honesta 35. annos nata, jam trium liberorum mater, quartum uterô concepit & ad quintum gestationis mensem benè se habuit, quando more apud nos recepto ad vicinam mulierem mortuam capulo inferendam invitata accessit, & ad horribilem cadaveris vultum adeò exterrita fuit, ut illicò magnum senserit corpore horrorem, ex qvo inclinans ad deteriorem statum, nec tamen vel cum febri, aut aliis gravibus symptomatis conflictata, quæ fœtum mortuum comitari solent, firmiter credidit, quem perceperit ante horrorem imaginarium fuisse, & nauseam corporisque gravitatem à solo mensium defectu orta esse. Itaque cum menses ferè duodecim essent elapsi, petiit à me medicamentum emmenagogum, quod ultrò, cum me adstipulantem haberet, obtinuit. Erant verò familiares mihi *pilulæ de sagapeno sale ♂tis duplicato & sale succini* permistæ, quô remedio nihil unquam potentius ad reserandas uteri obstructiones comperi. Istis assumtis cum εὐφορία est purgata, sed circa quartam pomeridianam ægrotare cœpit, idque gravissimè & cum animi deliquio. Misi absque mora *aquam* meam *melissæ compos.* cum *spir. cornu cervi succinato*, ex cujus usu consecuti sunt uteri motus, verique parturientium nisus. Sollicitata obstetrix officium fecit & paulò post fœtum eduxit, omnibus quidem numeris absolutum & masculum, sed *exuccum & carnis instar fumatæ duratum*. Mirum sanè id mihi notatuque dignum visum, cum fœminam semper ad humidum temperamentum, cachexiamque scorbuticam propendere judicarem. Deinde cum nullæ adhuc apparerent lochia, sed tamen vires se recipere putaret, post mensem à partu consiliô meô pilularum usum repetiit, idque cum longè optatissimo effectu, statim enim menses sunt secuti. Firmata deinceps valetudine bis etiam utero gessit & feliciter peperit.

OBSERVATIO XIV.
D. JOELIS LANGELOTTI
DE
MIRANDO ANTIPATHIÆ EXEMPLO.

MIratus sæpè sum latentes quorundam individuorum proprietates, inprimis quod nonnulli à certo cibi genere abhorreant, quô alias plerique & pro necessitate & animi voluptate vehementer capiuntur. Vidi illustres personas cum nihil

nihil non generosissimi potus suppeteret, solam aquam in deliciis habuisse. Nota est mihi fœmina, eaque opulenta, quæ vinum, cerevisiam, omniaque delicatiora aversata præter lac vaccinum pro potu nihil appetebat. Novi virum quendam nobilem subalbido illo crassoque aurantiorum & limoniorum cortice delectatum esse, flavô acidôque, sociis concesso. Castanearum adstringentem facultatem nemo non experitur, attamen notavi, alvum quibusdam inde motam fuisse. Vivit etiamnum in aula N. N. Nobilissima Domina 73. jam annos nata, quæ cum sæpiusculè in animi incidat deliquium, nullô alio refici cupit, quam *aquâ merâ*, cætera omnia ceu damnosa respuens. Sed quid diutius hisce immoror, cum apud alios copia ejusmodi exemplorum reperiatur, sed unum duntaxat addam, quod nunquam satis mirari potui, fuisse virum, qui ab omni sexu fœmineo abhorruerit, adeò ut ne adspectum ejus sine insigni animi corporisque commotione ferre potuerit. Visum sibi talem esse, Chiliarcha Beckmannus, comes mihi quondam in itinere Anglicano gratissimus, testabatur. Is invitatus à Præfecto militari fortalitii N. N. & filiabus ejus formæ morumque elegantiâ eximiis assidere jussus, cum humanissimum se præberet, nulloque non facetiarum genere cum iis certaret, conversus ad hunc Beckmannum præfectus; quid, inquit, cum video te adeò virginum delectari consvetudine; quid si tibi hominem ostendam non plebejum, sed nobilissimâ satum gente, eumque strenuum militem, qui ne adspectum ferre mulierum potest. Ergo capitaneum illum vocari jusserat mandata daturus. Accessit, & in conclave admissus ad adspectum formosissimarum virginum adeò commoveri visus est, ut statim exalbesceret, fronteque sudorum rivi descenderent, jamque animo defecturus erat, nisi missionem dedisset præfectus. Hoc tum temporis recentissimè sibi visum ceu incredibile & raris dignum annalibus mihi retulit Beckmannus, vir antiquâ virtute & fide, sed planè diversus à suprà dicto Nobili, sexûs nempe fœminei perpetuus cultor.

[*In literis ad Collect. Ephemerid. 26. Jun. Ann. 1674.*]

OBSERVATIO XV.
D. EHRENFRIDI HAGENDORNI
DE
TREMORE LINGUÆ POST TERTIANAM ADMIRANDO.

Ex

EX malè curatis febribus varia fubnafci confectaria, ipsâ febre longè pejora, paffim ex praxi conftat. Memini, me aliquoties poft *Tertianam* peffimè & per modum empiriæ tractatam, *fluxum aurium purulentum, alibi verò ipfiffimam* obfervaffe *furditatem*. Quid? quod ante triennium in puella quadam rufticâ *Anafarcam* viderim fubfecutam; ubi hoc memorabile fefe mihi tunc obtulit; quòd exhibitis contra Anafarcam præfidiis, unde etiam evanuit, mox febris folitô redierit paroxyfmo: curatâ verò per antifebrilia febre, Anafarca poftliminiò ægram fatigârit. Inter fingularia, puto, referri jure poterit ille *tremor lingvæ cum fpafmo faciei conjunctus*, quem die 1. Maji 1674. in puerulo quodam ruftico, annum cum dimidio tunc agente, obfervare licuit. Hic per aliquod tempus febrili quodam conflictatur paroxyfmo, tertianam mentiente. Parentes, ut id hominum genus affolet, at nefcio quæ externa mox acceffum faciunt. Ceffavit quidem inde paroxyfmus, fed in ejus locum fuccedit tremor modò dictus linguæ, puerulo antehac infolitus. Adfertur itaque ad me alioquin optimè fanus, panemque fimilagineum me præfente comedens. Intueor eundem curiosè, animadvertique *velociffimum adeo frequentiffimumque linguæ motum; ut viperam linguâ velociter vibrantem eum imitari dixiffes*. Palpitante fic lingvâ & mufculi fubfultârunt faciei. Quæfivi in caufam, an inter externa ☿ialibus fuiffent ufi, an frigidam fronti in paroxyfmo, ut folent, applicuiffent? fed nullam dare potuerunt. Hinc nervina mox in ufum traxi, juffique, ut de pulvifculo, quem ex C. C. antepileptico cum fpecifico cephalico concinnavi, manè & vefperi, quantum cufpide cultri capi poteft, ex rob fambuci exhiberent; linguæ verò mufculisque faciei frequenter illinerent aqv. apoplecticam meam cum fpit. ✱. fuccinato juftâ proportione remiftam. Ita ex his unicè integreque convaluit puerulus.

OBSERVATIO XVI.
D. EHRENFRIDI HAGENDORNI
DE
BALSAMO TERRÆ CATECHU VULNERARIO.

PRæter alia complura, quæ circa hocce fubjectum hactenus feci experimenta, etiam hoc mihi fefe obtulit. Scilicet aliud quafi agens

si agens affudi *Terræ Catechu* pulverisatæ lixivium ⊖lis ♀ri proportione circiter quadruplâ. Vidi in momento veluti lixivium hocce purpureô tingi colore, atque in se Terram Catechu quasi absorbere, ut nihil sedimenti in vitro, ceu aliàs in ejusdem tincturis fit, vidisses. Miratus ego tàm subitaneam Catechu metamorphosin, gustavi liquorem, qui præter lixivii saporem dulcore quôdam remistus erat. Adservavi eundem per aliquot dies in loco temperatiore, & totus in gelatinam abiit rubicundissimam, butyri instar tractabilem.

Diutiùs verò adservando animadverti denique evaporatâ humiditate ejus suâ sponte concrevisse in florem plumâ leviorem, cum intermistis quibusdam particulis salinis, à ⊖ ♀ri: Liqvor hic egregium præstabit usum in ulceribus antiquis abstergendis & ad cicatrisationem perducendis. Sed de hoc aliisque ex Catechu mihi natis experimentis, *propediem*, si DEUS permiserit, hominesque faverint, *peculiari opellâ dabo plura.*

(*In literis ad Collectores Ephemerid. d.* 18. *Jul. Ann.* 1674.)

OBSERVATIO XVII.
D. JOHANNIS SIGISMUNDI ELSHOLTII
DE
EQVISETO SUBTERRANEO.

QUi de natura plantarum universali accuratiùs scripserunt, inter cæteras divisiones hanc urgere solent, quæ stirpem omnem in radicem partitur, & superficiem. Per *superficiem* autem intelligunt, quicquid supra solum eminet: caulis nimirum, folia, flores: quâ de re conferri inprimis meretur *Joh. Costæus Laudensis lib. de Univers. stirp. natur.* Et sanè constitit hactenus isti distinctioni suus honos, constitissetque porrò etiam, nî novarum rerum adeò ferax seculum nostrum *subterraneas prodere plantas*, insuper inciperet. Earum quippe radix non tantùm, sed unà etiam caulis, & folia intùs latere, ac per tellurem cuniculis actis serpere deprehenduntur. In capulo talem observaverat nuper Excell. *Erasmus Bartholinus*, studiorum olim in Italia socius, atque jam tùm singulari eruditione clarus. Et quamvis ad certam ipse speciem non retulerit novam illam stirpem, veluti ex Tom. II. *Ephemerid. Germ. Obs.* 170. patet; neque ex icone ibidem addita facilè quis divinaverit: conjecturas tamen de ori-

gine suas sat ingeniosè proponit, habitô respectu sive ad substerni cadaveribus solitos lupuli salictarii flores, sive ad asseres capuli ipsos: cumprimis quod hujusmodi ramulos aut sarmenta circa conditoria, crebrò se invenisse, vespillo præsens testabatur.

At verò, nasci plantas subterraneas etiam in *libera terra*, & quæ conditoria nulla continet, certum est. Prænob. atque Exper. Dn. D. *Christianus Menzelius*, Consiliarius & Archiater Electoralis atque Collega noster honoratissimus, *Hippurin subterraneam*, in agro Berolinensi haut procul ab urbe reperit, cui caules erant aliquot spithamas longi per tellurem reptantes, qui ipsi tamen cacumina in superficie brevia saltem hinc inde ostentabant: radicibus profundè adeò descendentibus ut finem attingere non liceret. Asserit autem simul, fuisse, *Equisetum arvense longioribus setis*, quod *Caspar. Bauhinus in Pinace* IX. loco recensuit.

Sed prætereà idem prorsus equisetum, affirmat, sibi occurrisse sub terra, dum fornicem sepulchralem pro se & familia sua hic in cœmeterio templi, quod à SS. Trinitate nomen olim accepit, construi ante annos aliquot curaret. Radices id, prioris instar, altissimè egerat, ramis passim per humum subrepentibus ad binos usque cubitos, priusquam cymæ alicubi emergerent. Quemadmodum igitur dantur Nymphæa, Sagitta, Potamogeton, Ranunculi atque id genus aliæ stirpes *aquaticæ*, quarum pars saltem major radices fundo infixas obtinet, extremis per aquæ superficiem natantibus foliis: ita dari etiam plantas *subterrestres*, & superficietenus solummodò minimâ sui parte eminentes, haut est absurdum. Ne quid de metallorum, mineralium, gemmarum, lapidum & lapidescentium, imò lignorum, ossium, cornuum, concharum, fossiliumque aliorum in terræ gremio multiplici adeò proventu, hôc locô dicamus: cum ea sola animo perpensa, de stirpium quoque intra terram ortu admirationem facilè tollant omnem.

Dum hæc commentamur, in mentem veniunt Autores nuperi, qui de rebus subterraneis scripserunt: Speciatim inclytæ famæ *Athanasius Kircherus* opere incomparabili, quod *mundum subterraneum* nuncupavit, itemque *Johan. Joachimus Becherus in Physica* sua cognomine: at evolventi illos, non sunt visi de equiseto jam descripto, nec de hujus generis stirpibus aliis quicquam adnotâsse.

OBSERVATIO XVIII.
D. JOHANNIS SIGISMUNDI ELSHOLTII
DE
SALE EX AERE, ET SULPHURE EX SOLE COLLIGENDO.

ABstracto vitrioli spiritu, quæ restat materia, vulgò *colchotar*, sive caput mortuum nominatur, & aëri libero exposita, salem vi quasi magneticâ (quem *Magnetismum* hodiè nonnulli vocant) attrahit pro novo & adhuc præstantiore stillando spiritu: quæ methodus jam sic satis innotuit. Idem perfici potest *calcinatis silicibus*, qui noctu per æstivos menses sub tecto expositi, salino liquore humectantur: Continet enim athmosphæra sive circulus aëris circa terræ globum motu perpetuo delatus, exhalationes varias quà terrâ, quà mari ascendentes: inter quas tamen *nitrosas* ob copiam prævalere verosimile est, utut vitriolaceæ, salarmoniacæ, sulphureæ & congeneres non sint excludendæ.

At verò, ex ipsius *solis* radiis, *sulphur* legere, id demum mysterium est prioribus seculis, excepto fortè ignem cœlitùs rapiente Prometheo, ignotum. Vasorum vitreorum peculiari quodam modo factorum & artificiosè dispositorum ope, collectos solis radios in *pulverem fusci coloris*, aut purpurei in rubrum vergentis, præcipitatos fuisse, testatur *Kenelmus Digbæus Demonstr. immortal. anim. rational. Cap. VII*, hoc insuper subjiciendo, quod istac operatione per calidiorem anni tempestatem aliquibus diebus duæ ferè unicæ illius pulveris purpurei colligi potuerint. *Subjicimus nos:* Quod si duo hæc principia (sal nimirùm aereus, quo de sub initium, & sulphur hoc solare) secundum artem conjungerentur, nisi *Lapis* ille *Magnus* atq; adeò expetitus felici hoc connubio nascatur, egregiam tamen quandam Panaceam inde proventuram valdè est probabile. Lectu certè oppido jucunda circa hoc argumentum complectitur *Auctoris incerti* libellus recentissimus, qui nuncupatur AURUM AURÆ *vi Magnetismi universalis attractum.* Magnetismum autem suum artifex ille non per vasa vitrea Digbæi, sed ope *nitri fixi* conficit, utiturque istoc Magnetismo promiscuè tàm ad attrahendum salem aëris, quàm solis sulphur. Utrumque enim æquè benè præstare, protestatur.

(In


Ad OBS ANN.
VI. N F.

(*In literis ad Coll. Ephem. d. 21. Aug. Ann.* 1674. *Berolino Vratislaviam.*)

OBSERVATIO XIX.
D. GODOFREDI SCHUBARTI,
DE
NATTA.

PRæterito die 13. Septembr. ♃. hora 9. matutina, præmissis universalibus, fœminæ 27. annorum cum marito septuagenario, ad 6. annum in sterili matrimonio viventi, assistente chirurgo solertissimo, delineatam hanc Nattam ab uteri sinistro labio, pediculo lato pendentem, exscidi, quâ peractâ sectione pependit ℥xivß pond. civ. Caro præcisa erat alba, pinguis, spongiosa, sero citrino repleta, à quo fortè enata, accreta, & hactenus sustentata, nam in dissectione, præter venulas dictâ lymphâ plenas, nec venula, nec arteriola, & hinc ne guttula sanguinis apparuit. Serum autem quoque nutrire, admotum igni concrescere, agglutinari, membraneumque fieri, sat notum, unde non impossibile ex sero superabundanti ejusmodi tumores produci. Sedulò inquisivi in arteriam illam à *Clariss. Hornio in Microtechn.* §. 33. *p.* 90. tumoris nutriculam, ac in fundo siram, sed frustrà. An etiam nervis, præter vasa lymphatica, ad mentem *VVarthonii adenograph.* c. 37. *p.* 245. aliqvid concedendum, hæreo, nam subinde acutissimum dolorem affiicti patiuntur, ut hæc nostra fœmina attestatur, cui præterea dicta Natta singulis mensibus instante menstruo fluxu cum dolore intumuit, fluentibus verò modicè mensibus detumuit. Intumuit autem cum dolore ob copiam & affluxum seri & distensionem tuberum appictorum, quâ de causâ tunc temporis se vix loco movere, scalas verò ascendere nullo modo potuit.

(*In literis ad Collect. Ephemerid. Bregâ Vratislaviam.*)

OBSERVATIO XX.
D. JOELIS LANGELOTTI
RARÆ CITRA SUFFOCATIONEM SUBMERSORUM HISTORIÆ.

TRonningholmiæ Suecorum, ubi splendidissimum vereque regium Reginæ est palatium, vidi senem hortulanum 65. anno-

rum, valentem adhuc satis benè; qvi cum ante 18. annos alii submerso opem laturus paulò incautius per glaciem progrederetur, & ipse in aquas 18. ulnas profundas decidit, perqve 16. integras horas erecto corpore stetit, antequam rescitum, ubi extrahendus esset. Dixit verò mihi, se statim toto corpore obriguisse, omnemque sensum amisisse, usque dum caput suum conto paullò durius peterent; ex ore vero bullam satis amplam, quamprimum demergeretur, prorupisse, quæ immune id ab aquarum irruptione servavit, auribus iisdem planè repletis. Extractum statim pannis arctissimè obvolverunt, & sic ad lenem ignem sensim sensimque refocillarunt. Longâ nempe experientiâ Sveci compertum habent, nullum submersorum servari, qui statim libero aëri exponitur.

Aliud mihi, longeq; rarius exemplum, in schedâ his inclusâ, manu suâ consignatum communicavit *Clariss. Dominus Tilasius*, Regiæ Bibliothecæ Holmiensis præfectus, de muliere sibi notissimâ per tres dies sub aquis demersâ, retulitque eam consimili modo liberatam fuisse.

Omnem verò fidem excedit, quod Nobilissimus *Burmannus*, nuper è Gothiâ occidentali Holmiam redux, non mihi solùm retulit; sed posteà quoque coram *Illustri Domino Præside Kielmanno à* Kielmans - *Eck* firmissimè asseveravit, se in pago Boness parœciæ Pithoviæ concioni funebri senis cujusdam septuagenarii, *Laurentii Jonæ*, interfuisse, quâ Parochus in personalibus, ut vocant, retulit, eum adolescentem septendecim annorum, aquis submersum, septimâ demùm septimanâ repertum, consimili modo, uti superius enarravi, ad vitam revocatum fuisse.

Quî verò fieri poterit, ut homo sine aeris beneficio tàm diu ignem vitalem in aquis gelidissimis, multoque nitro refertis, quales in Svecia observavi, conservare possit? Hæreo utique, nec mihi, etsi volatilium quorundam & insectorum exempla occurrant, plenè satisfacere possum. Meritò ergò ad perspicacissimos Naturæ Curiosos confugio, eos obnixè rogans, velint aliquando super his sententiam suam exponere, quæ forsan multorum in salutem cedere poterit.

Scheda Clarissimi Domini TILASII, Bibliothecarii Holmiensis Regii, hæc habet:

In provincia Dalia, quæ Wermslandorum vulgo dicitur, mulier quædam Margaritha Larsdotter nomine, ter aquis submersa fuerat, & quidem primâ vice adolescentula triduum integrum sub aquis duravit,

reli-

reliquis duabus vicibus citius è periculo liberata. Mortua est Ann. 1672. nata septuaginta quinque annos.

(In literis ad Collectores Ephemerid. d. 26. Novembr. Ann. 1674.)

Judicia & conjecturas rogatu & svasu Magnif. Dn. D. Langelotti, à viris quibusdam eruditis conscriptas B. L. infra suis locis inserta inveniet.

OBSERVATIO XXI.

D. BERNHARDI BELOVV.

DE

PRÆPARANDI SALEM VOLATILEM NASTURTII AQUATICI MODO.

Ad

DN. D. JOELEM LANGELOTTUM.

CUm non ita pridem de variis rebus, & inter alia de sale quoque vegetabilium volatili, sermones misceremus, Vir Excellentissime, & me, ante viginti octo annos, fermentationis beneficio, ex aquatico nasturtio id obtinuisse, perciperes, non suadebas solùm, sed urgebas etiam, ut præparandi modum cum curiosis secretiorum medicaminum indagatoribus communicarem.

Etiamsi verò silentii sipario eum involvere, quàm propalare, ob certas causas, maluissem, cum è tam levidensi experimento, emolumenti parum orbi literato accessurum sciam, eo præsertim tempore, quo tot illustria ingenia in naturæ arcanis eruendis tantoperè desudant, mutare tamen sententiam hac vice volui, non gloriosæ aucupandæ studio (à cujus affectatione omnes, quibus hactenus familiariter usus sum, alienum me semper fuisse norunt) sed ut tibi morem gererem, & noviter contractæ amicitiæ pignus apud te deponerem.

Hac verò methodo anno CIↃ. IↃC XLVI. è bello Danico (ad quod à *Clementissima Regina mea*, in ægrotantium quorundam Magnatum gratiam, missus eram) redux, Halmstadii Hallandorum, regio indultu, aliquantisper subsistens, &, ne tempus inutiliter deflueret, herbarum aliquot antiscorbuticarum analysi incumbens, illud consequebar: Jubebam dictum nasturtium, abundanter ibi crescens, contundi, exprimi, expressum, affusâ aquâ puteali, donec inspissaretur, coqui, iterum exprimi, priori succo, cum siccati & combusti magmatis cine-

ribus,

ribus, misceri, in lagenam stanneam, ejus capacitatis, ut quarta pars vacua remaneret, infundi, orificium operculo ligneo, & triplici madefactâ vesicâ, curiosè, ne quicquam expirare posset, claudi, ac in fimo equino per mensem fermentari.

Eo exacto, fermentatum succum, cucurbitæ vitreæ inditum, juncturis bene oblitis, in furno collocabam, & mediocri calore, in primâ statim destillatione, sal volatile elegans, & planè crystallinum, ascendere, & alembici lateribus adhærere, conspicabar, quod, ut meliùs asservari posset, à subsequente spiritu urinoso solvi, & elui, permittebam, quamdiu venulæ in alembico descendebant.

Hic est genuinus sal illud volatile proliciendi modus, de quo, nullum à scopo aberraturum, sed omnes, vestigiis his insistentes, non solùm ex isto, verum reliquis etiam Nasturtiis, Cochlearia, & aliis, sale volatili prægnantibus herbis, idem consecuturos, polliceor.

Mihi quidem deinceps id experiri non licuit, cum Nasturtium aquaticum tam copiosè in viciniâ nostra non proveniat, ut qvantitas succi ejus haberi queat.


Cochleariam autem bis examini subjeci, sed cum fermentatio in loco, longè ab ædibus meis remoto, instituenda esset, & ipse, praxi præpeditus, curam ejus habere non possem, verùm amici cujusdam stabulario concredere illam cogerer, isque in deferventis fimi locum recentem substituere neglexisset, utraque vice frustratus, non decenter fermentatum, sed omninò corruptum, & situ obductum succum reperi, tædioque affectus, labores istos deserui.

In ligneis forsan vasculis operatio non minùs succederet, si modò subtilissimo spiritui, summo, inter fermentandum, conamine exitum quærenti, ne evolare posset, exactè via præcluderetur.

Vitrea autem organa impetum ejus sustinere non poterunt, cum stannea lagena, è crassioribus laminis confecta, ante usum quadrata per fermentationem subrotunda evaserit.

OBSERVATIO XXII.
D. BERNHARDI BELOVV
DE
VERMICULARIS HERBÆ VIRIBUS ET PRÆCELLENTIA.

Vermi-







Anno 1628.











Icones in ramo Mali prope Bloementhal repertæ.

VErmicularis herbæ in scorbuto virtutes, de quibus simul loquebamur, tam insignes in præmemorato bello deprehendi, ut illam, si non omnibus, nonnullis saltem adeò decantatis antiscorbuticis palmam præripere, certus sim, dummodò ab usu ejus vomitus, quem excitare in dispositis solet, sequatur. Magnum enim morbo isto laborantium, & diversorum gravissimorum symptomatum syndrome ferè pessundatorum militum numerum, per DEI gratiam, feliciter restitui, paucis admodum, quos, ante meum adventum, per totam hyemem miserè afflictos, morti vicinos, ipsa salus, ut Comici verbis utar, quamvis maximè voluisset, servare non potuisset, amissis.

Curabam autem herbæ ejus, mundatæ & lotæ manipulos octo in cerevisiæ veteris libris octo, vase tecto, ad medietatis consumtionem, ebullire, & singulis, vel, si vires id non ferrent, alternis diebus, jejuno ventriculo, decocti ejus tepidi haustum, (trium quatuorve unciarum) exhiberi, ac optatum semper eventum deprehendebam, hoc saltem observato discrimine, quod faciliùs & copiosiùs vomentes reliquis citiùs sanitatem recuperarent.

Quibus gingivæ corruptæ erant, aut dentes vacillabant, quod omnibus adeò erat commune, ut nonnullis septem, novem, imò undecim dentes, decidissent, decocto hoc calido, in quo alumen crudum, & mel rosatum, arbitraria quantitate, & pro affectus exigentia, soluta erant, sæpe in die os collui jubebam.

Quinquaginta, & plures, contracturas genuum fortissimas, & talorum ad poplitem retractiones, passi, decocto hoc simplici, aliquoties propinato, & herbâ coctâ, ac expressâ, rigidis in poplite nervis calidè sæpius applicata, fasciisque, ne decidere posset, alligata, DEO benedicente, brevi convalescebant.

Ulcera tibiarum sicca, difficulter aliàs curabilia, post usum ejus internum, simplici decocto elota, iteratâ herbæ, in cerevisia coctæ, applicatione, nullo negotio sanabantur.

Reliqua etiam accidentia, præmissa ῥιζοτόμου hujus exhibitione, convenientibus remediis facilè cedebant.

OBSERVATIO XXIII.

D. BERNHARDI BELOW

DE

MIRA OMNIUM MEMBRORUM CIRCUMGYRATIONE.

ANno ∞ IↃCXLII. Paſtor quidam Parœciæ Ringerum/ in Oſtrogothiâ, duobus milliaribus Sudercopiâ diſtantis, opem meam implorabat, quem miris convulſionibus, per ſesquiannum, adeò divexatum, ut toto illo tempore vix dormire, aut cibum capere, potuiſſet, domeſtici referebant.

Ad ægrum verò accedens, inveniebam eum dextri lateris paralyſi affectum, reſupinum, ſeminudum, (infimum enim ventrem lodice ſaltim texerat) pedibus elevatis, & lecti aſſamentis firmiter applicitis, ſine intermiſſione ferè, & tam miſerabiliter, afflictum, ut cœnare in ejus præſentiâ, nam è regione cubilis menſam ſtraverant, prorſus nequirem. Tantâ enim vehementiâ omnes articuli ſucceſſivè, ter dextrorſum, totiesque indè ſiniſtrorſum, circumgyrabantur, ut ſani brachii fragorem in proximo conclavi, ante cubiculi januam, decem ad minimum pedes ab ægro remotus, non obſcurè interdum perciperem.

Imminentis paroxyſmi prænuncius erat ſanæ manus index, is enim, elevato brachio, convellendam ſiniſtri hypochondrii partem, inter ſuperius ventriculi orificium & lienem, bis tribus vicibus apice ſuo fortiter pulſando, luctæ locum deſignabat, ac ſine morâ ſubjecta viſcera ter dextram, totiesque ſiniſtram verſùs, reciprocè circumagi, illisque liberatis, quantocyùs ſe in thorace ſimiliter inquietari, licèt aſtantium viſum hæc fugerent, patiens referebat. Poſteà omnes brachii articuli, ab humero, ad ultimum uſque indicis condylum: deinceps cervix, & oculi, eodem modo rotabantur. Imò circa verticem quoque ac in reſoluti lateris partibus omnibus, ab humero, ad pedis usque pollicem, ſimilem prorſus motum, quamvis à nobis obſervari id nequiret, ſe ſentire aſſeverabat.

Eo verò ceſſante, alter pollex omnesque conſequenter ſani pedis & lateris articuli, idem patiebantur, donec in loco, ab indice prænotato, deſineret, &, furiis his agitato, delaſſatoque

ægro

ægro aliqualis redderetur quies, quæ tamen levis admodum erat, & adeò brevis, ut vix centum verba inter hanc, & novam similis mali invasionem, profari quis potuisset.

Sciscitanti, quamdiu hanc sustinuisset pugnam, & quænam ejus fuissent præludia, narrabat, se ante biennium è pago vicino, ubi infantem sacro baptismatis fonte abluerat, equo domum revectum, non procul ab ædibus suis, hemiplexiâ, in dextri lateris paralysin posteà desinente, correptum, &, à suis cubiculo illatum, ab usu calidiorum aliquot antapoplecticorum medicaminum, à Sacerdote vicino, & Gallico Chirurgo, subministratorum, in ingentem ventris tumorem repentè incidisse, & instar pilæ majoris, aëre distentæ, inflatum esse, nec ullo artificio, nisi sæpiùs & fortiter contentum in eo spiritum efflando, alleviari potuisse, semper tamen, aliquoties labore isto repetito, ventrem subsedisse, & ad naturalem statum rediisse.

Tandem verò, crebrò ab empiricis illis exhibitis oleis carminantibus, tumorem quidem omninò desiisse, sed motum hunc convulsivum, & membrorum agitationem, eidem successisse.

Rogabant amici, ut auxiliares ipsi manus porrigerem, cum autem, omnibus rationis trutinâ exactè ponderatis, morbum ejus non ex causis merè naturalibus; sed magicâ sagæ cujusdam incantatione, potissimum oriundum, me statuere, sicque naturalibus mediis non cessurum, regererem, facilè quidem assentiebatur æger, ante biennium æditui sui, veneficii insimulatam, & baculo à se percussam uxorem, se non inultam id laturam, interminatam sibi esse, recordando, instabant tamen, ut, flebilis ejus conditionis misertus, appropriata nihilominus quædam remedia præscriberem, fore dicentes, ut, si non omninò virtute eorum convalesceret, mitiùs tamen forsan deinceps affligeretur.

Quod cum denegare illis nequirem, generosa & selecta nonnulla medicamina hîc fieri jubebam, utendique modum & seriem astantes docebam. A quorum usu etiamsi indomitus affectus non in totum cederet, multum tamen à ferociâ suâ illum remisisse & longiores inducias concessisse, ipse æger lætabundus fatebatur.

Cum verò remedia illa munificentiâ viri cujusdam primarii nactus esset, & deinceps, ipse pauper & inops, plura id ge-

nus obtinere non posset, reliquam spem, morbo recrudescente, majoresque vires acquirente in sola Numinis misericordia, collocans, &, per dimidium ferme annum supplicationibus & precibus publicis in omnibus provinciæ istius templis, pro benigna ejus dimissione, ad DEUM fusis, placidè expirans, miseram hanc cum feliciore vitâ commutabat.

Et hæc est, Vir Excellentissime, quam in chartam conjicere me volebas, de mirâ illâ membrorum omnium circumgyratione, incultiore quidem stylo exarata observatio, quam pro accuratissimo tuo judicio lucem videre publicam, vel oblivione obliterari sinas.

(In literis ad supra laudatum Dn. D. Langelottum Stokholmiæ mensis Septembris 12. Anno 1674. & deinceps mense Novembri Vratislaviam missis.)

OBSERVATIO XXIV.
D. PETRI SPECHT
DE
QVIBUSDAM EXPERIMENTIS CHYMICIS.

PLacebat in claves naturæ & artis celebratos solventia illa Helmontii famosa, tartari salis spiritum liquoremque Alkahest inquirere. Variè primo salis sub tartari volatilizatione occupatus, & eam, 20. retro annis per fermentationem cum tartaro crudo successivè lixivio salis tartari inspersо, tentavi, at sine successu, qvam tamen tibi feliciter cessisse intellexi, ex vitro in arena distillabam, sed blandiore calore non nisi phlegma stillabat, fortiori, fermentatione alembicum petebat materia: sic at eum ego obtinui. Tartarum calcinavi ad nigredinem, ita ut nullum in igne amplius emitteret fumum, nec fœtorem, adstabat in alio furno collocata in arena cucurbita, aquæ cum quantitate indeterminata communis, huic aquæ injiciebam per vices, sed tamen sine magno temporis interstitio candentem, ut eum igne eximebam, tartarum calcinatum, aptabamque statim alembicum, & distillationi subtilissimum, nec insuavis odoris obtinui salis tartari spiritum, quem à sale novo tartari rectificabam ad phlegmatis separationem: Hunc & laborem cum spiritu vini, loco aquæ experiebar simili modo ascendebatque in principio subtilissimus salis tartari

spiritus,

ſpiritus,cum vini ſpiritu. Spiritum ex tartaro, fæcibusque vini diſtillatum,& ab oleo graveolenti accuratè, ſeparatum, rectificatumque ad phlegmatis ſeparationem,æqvè purum obtinui ac ille erat ex ſale tartari nec guſtu,odore,& virtutibus,ullam obſervare potui differentiam.

Diſtillabam ſemel ex vini fæcibus ſpiritum, capiti mortuo affundebam aquam communem,quo ſalem fixum extraherem, erat aqvæ quantitas librarum ultra 20.Lixivium verò ita debile reperi, ut evaporationis laborem non mereri mihi videretur, decantatam itaqve aquam effudi, in magnæ vitreæ cucurbitæ inferiorem partem, qvæ fortè ex fractura ad uſus conſervata mihi erat. Seponebam in locum, tectum qvidem,ſed aëre pervium; ſtabat ſic neglectum à me lixivium, per annum circiter, cum occaſione aliqvâ vitro uti vellem, in qvo lixivium aſſervaveram,reperi cum admiratione totum illud lixivium qvantitate ea ferè, qvæ initio ipſi fuerat,in ſolidiſſimum ſalem,glaciei ad inſtar, conſtrictum.

Junxi & ſalem tartari cum Mercurio ſublimato communi, partibus anaticis, & diſtillando ex arenâ, in retortæ collum ſublimabatur ſal aurei coloris.

Ex terræ gleba cremabili,qvæ conflagrata albicantes dabat cineres, qvibus in Hollandia ignes ſuos faciunt, ſalem per aqvam pluviam extraxi, coagulavi, phialæ indidi, clauſi, & cineribus lento calore digerendum poſui; fluebat ſal leni calore inſtar ceræ, ubi phialam aperui, in momento totum vitrum replebatur candidiſſimo ſale nitroſo ex aere attracto. Liquorem Alkaheſt, ſalinum eſſe & anomalum, ut judicavi,ex variorum & naturâ pugnantium ſpirituum connubio illum credidi exſurgere. Confeci ergò quantitatem ſatis amplam ſummè volatilis & fuſilis illius ſalis ex urinæ & vini ſpiritibus rectificatiſſimis, invicem mixtis,hunc ſalem à Mercurio ſublimato toties ſublimabam, qvoad ille nullum amplius penes ſe retineret, tum ab illo rectificatiſſimum tartari ſpiritum aliqvoties cohobavi - - - tandem vini ſpiritum alcholizatum de eo ter vel qvater ſevocavi, fundebatur ſublimatus ille leni calore,inſtar ceræ, & à metallis ſublimatus illa penetrabat,ut diffluerent in cellâ in liqvores.

Vitriolum ad rubedinem calcinatum ſimili planè modo tractabam; cum ſpiritum vini ab illo ſevocabam, adſcendebat unà cum illo in

in alembicum Mercurius currens, vitriolo sic præparato per retortam in arenâ igne satis moderato destillabatur spiritus smaragdini coloris, aciditatis gratissimæ, unaqve in retortæ collum sublimabatur sal viride; indeque nec spiritus nec sal ullum cupri saporem referebat, caput mortuum verò cineritii erat coloris, in toto omnis rubedinis expers.

Mercurium sublimatum ante sic tractatum miscui cum hæmatite pulverisato, & ex igne aperto spiritum inde destillare volebam, sed igne adeò intenso, ut retorta liqvaretur, nec spiritus, nec Mercurius prodiit, sed fixus remansit cum hæmatite.

OBSERVATIO XXV.

D. PETRI SPECHT

DE

RARA REPENTINÆ MORTIS CAUSA.

GAllus qvidam, qvadragenarius circiter, nomine Paris, sigillorum sculptor sine pari, dissolutam diu vitam vixerat; sanus hic sibi & aliis visus, festo Nativitatis Christi, cum amicis quibusdam lætus, ad multam noctem bibens & saltans, malè se habere cœpit, & cubiculum petens in lectum se conjecit; famulus dormire eum ratus, in qviete eum reliqvit, at mane mortuum reperit. Contigit hic casus in Westrogotiâ in arce Leckoe Illustrissimi Dni. Magni Gabrielis de la Garde, Magni Regni Sveciæ Cancellarii, Domini mei clementissimi, qvi attonitus ob tàm improvisam rem, jussit, ut caussam repentinæ istius mortis perqvirerem. Dissecto cadavere, infimi ventris viscera omnia sana reperta; thorace reserato, apparebat massa qvædam nigra, sacci ad instar in medio pendens, qvæ pericardium erat, continens membranam cordis, parenchymatis penitus consumti loco, sanguine nigrante repletam. Pulmo dextrâ parte totus consumtus; sinister integer qvidem, sed fuscis plenus maculis.

(*In literis ad Dn. D. Langelottum, & mense Novembri Vratislaviam ad Coll. Ephem. transmissis.*)

OBSERVATIO XXVI.

D. JOHANNIS MICHAELIS FEHRI

DE

ANEURISMATE ET VARICIBUS.

IN gratiam alicujus hæmoptyici, de nobilitate sanguinis humani lusimus aliqvando ita: Pur-

Purpureus cruor eſt, qvô vivimus atqve movemur
excellens animæ vis hominisqve ſalus:
Alveolis natura ſuis hunc fundit in artus
corporis, & dulci membra liqvore rigat;
Fervet opus, ratioqve valet pollentqve lacerti,
cumque novis certat forma ſerena roſis:
At ſi vi morbi aut fortunæ lædimur ictu,
liberaque alveolis purpura dicta fluit,
Exanimes ſubitò tetricus color occupat artûs,
oraque ſunt cerâ pallidiora novâ.
Languet opus, ratioque ſtupet, torpentque lacerti,
omnis & à fuſo ſanguine vita fugit:
Diſcite mortales pretioſo parcere ſucco,
tàm vitæ fons eſt, quàm necis author idem.

Gratioſus ſcilicet ille naturæ filius, *ſanguis*, tàm ſacrorum, quàm profanorum oraculorum unanimi ſuffragio nobiliſſimum animæ domicilium perhibetur, & ipſiſſimum eſt calidum nativum, ſuis undique ſpiritibus & humido radicali ſeu balſamo vitæ perfuſum; Quò clariùs autem ejusdem excellit nobilitas, eò gravius quoque homini ex ejusdem profuſione imminet periculum: Quapropter ſummâ ope niti decet, omnes eos, qui Medicinæ ſacris initiati ſunt, ut pretioſisſimus hic theſaurus ac κειμήλιον, omnibus gazis anteferendum, ſartum tectum in humano corpore conſervetur, nec temerè aut frivolè profundatur, quod quibusdam ſanguiſugis, tonſoribus & balneatoribus cum imperito vulgo, qui omnem malitiam unà cum ſanguine eliminari & exſtirpari poſſe autumant, frequens eſt: aut ex errore arteria tundatur, unde *aneurismata*.

In illuſtri loco hujus viciniæ, Anno 1655. tonſor quidam fœminæ jam ſexagenariæ arteriam pro venâ hepaticâ in dextro brachio ſecat, ſtatim ſangvis profluit cum ſaltu floridus, brachiumque intumeſcit cum quâdam renitentiâ, empiricus hic ſanguinis copiâ ſat largâ, pro more, emiſsâ, quaſi re benè geſtâ vulnuſculum deligat: Intereà tumor ob ſanguinis per arteriæ oſtiolum in muſculorum ſpatia effuſi copiam indies attollitur, nec ullis fomentis diſcuti poteſt; Ipſo tandem medicaſtro

ex

ex desperatione fugiente: Menstruô post spatio alius adsciscitur chirurgus cum Medico, qui periculi magnitudinem attendentes, statim adstringentibus & arctâ ligaturâ tanto malo obviam decenter eunt, sed post festum & casso effectu, vesiculæ enim plures & tubercula quasi anevrismatica circa medianam & cephalicam hinc inde oriuntur, quæ tractu temporis sponte rupta tantam sanguinis effundunt copiam, ut selectissimis remediis sisti non posset fluxus iste per 4. septimanas; eò qvod ob ingentem tumorem arteriæ orificium etiam sagacissimis oculis non pateret, donec in putredinem gangrænosam abeunte toto brachio sanguis grumosus, ovorum gallinarum magnitudine frustillatim ac insigni cum foetore exiret, ac omnis caro musculosa, quæ interim omnimodè computruerat (præter tendines nervosas arteriasque, ossa ac periostia) diffluerет ad humerum usque. Tum demum in conspectum veniens arteriæ osculum convenienter obturatum, & caro ablata sarcoticis, probaque diæta spatio bimestri integrè restituta fuit ad miraculum usque; Constitit autem hæc venæ sectio plus minus centum imperialibus. Ist eine theuere Aderlaß. Similem, sed funestam arteriæ, pro venâ, sectionem peregit in quodam Nobili quidam tonsor Bambergensis, qvi ideò à defuncti propinquis in jus vocatus, sed intercessione Medici Ordinarii in tantum absolutus est à poena, (non à culpâ) ex imprudentia (dicentis) peccavit, non datâ operâ *cist. med. p.* 75. Horstius ejusmodi errorem feliciter correxit, laudanô opiatô, superimposito emplastro stictico Crollii; *post. Observ. p.* 350. Eodem ferè modo curatum est hîc anevrisma non minùs periculosum, quod foemina qvædam filium proprium, jam septem annos natum baculo ad sinistram capitis partem capillatam, quà carotidum transitus est, graviter percutiens, excitaverat, unde tumor pulsatilis, avellanæ primò magnitudine, nigricans, mollis & digitis cedens statim oboritur, & octidui spatio in tantum augetur, ut dimidiam capitis partem à sutura sagittali per tempora & frontem ad oculum usque sinistrum occuparet. Consulti Medici anceps remedium certissimo vitæ periculo præferendum censentes, matre simul & chirurgo tumoris apertionem urgentibus, scalpello vulnusculum infligunt, floridique sanguinis parte qvâdam emissâ, quâdam verò arctissimâ ligaturâ & stypticis cohibitâ, dum crebrò id agunt, brevi restituunt & solicitæ matri sanum per D. G. reddunt filium hunc unicum, idque eò qvod in teneris adhuc omnia tenera & coalitu facilia, vel qvod arteria

læsa

læsa os subjectum habuerit durius, ut arctissimè potuerit constringi, hinc arterias temporum & frontis feliciter aperiri posse asseverat *Riolanus in Enchirid. Anat. pag.* 332. Videatur *Schenck. lib.* 5. *Observat. Fabric. Hildanus* aliique.

Super his quæsitus *Clarissimus Bartholinus, P.P. Hafniensis & Archiater Regius* die 27. Octobris Anno 1662. Anevrismatis (respondet) lætum exitum viderunt pauci, adeò ægrè ferunt arteriæ habenas sibi laxari. Nonnunquam tamen naturæ robur vitium superat, medicique manibus auxiliatur: Arcta ligatura miraculi instar subinde patentem hiantemque arteriam constringit, sed operæ eventum in minoribus tantùm experimur. In majoribus enim, quia tunicæ crassæ, facilè, nec rumpuntur, nisi à vehementi causâ, nec ruptæ consolidantur, propter perpetuum spirituosi sanguinis affluxum quotidiè increscit anevrisma: Faciliùs quoque in arteriæ tunicâ dilatatâ, quàm prorsus ruptâ sperata consolidatio succedet. Denique à sanguine quoque, seu calidiore, adeoque ad impetum promptiore, seu frigidiore & crassiore, ad motum segni pars curationis dependet vel interitus: Nos hîc nuper lethale anevrisma vidimus in juvene nobili ex læso femore, nec mirabamur, quia arteriam magnam cruralem ruptam in apertione vidimus, unde in tantum tumorem femur excreverat prorsus quasi scirrhosum, ut non tantùm ea copia sangvis ex aperto post mortem femore effunderetur, quæ tres mensuras nostras impleret, sed ex sinubus inter musculos vastos efformatis sanguinem grumosum parenchyma hepatis maximi formâ & magnitudine referentem extraheremus. In isto vivo nec sectio tuta erat aut possibilis propter magnæ arteriæ & inter musculos delitescentis ingentem rupturam, nec ligatura sufficiens. Certè DEUM precari soleo, ut hujusmodi casûs vel avertat, vel meæ curæ subtrahat, de quibus Patroclis illud ex *Stobæo sermone CX.* usurpârim: Collegisse, nempe, ista tàm gravia, multaque non verba, sed mala in adeò breve vas fortunam. *Hactenus Bartholinus.*

Sed quod arteriis anevrismata, id venis sunt *varices*, nodosæ scil. venarum dilatationes, à stagnante ad valvulas & detenta ibi sanguinis crassiore parte oriundæ, hinc melancholicis sunt familiares & salutares, quos ab insaniâ liberant: *Hipp.* 6. *aph.* 21. & potissimùm


 tissimùm

tissimum in cruribus parte corporis decliviori hospitantur, quandoque etiam in temporibus, ventre & scroto, unde hernia varicosa. Plinius quidem mares tantum hoc malo affici credidit, sed is ridetur à mulierculis præsertim gravidis aut aliàs succiplenis, quibus in femore & cruribus illæ sæpius in ultimis mensibus admodùm molestæ sunt, qvas ideò vocant die Kinds-Adern / adduntque, si in sinistro eæ appareant femore, fœmellas, in dextro autem masculos promittere, quod tamen experientiæ non respondet: post partum prodeuntibus ritè lochiis sponte obliterantur: *Hartmannus in Praxi* unguentum è butyro majali vel oleo rosaceo c. succo cancrorum commendat, quod profuit cuidam matronæ à septimo mense cum ejusmodi malo conflictanti; sudore nonnunquam minuuntur tempestivo; confert quoque arcta ligatura & venarum compunctio. *Riol. Enchir. Anat. pag.* 408. Sectio periculosa esse fertur, quin & ruptio quandoque lethalis, quod illa septem menses gravida *Anni Ephemerid. nostrar.* III. pag. 380. experta est. Ex venæ cruralis sectione quidam solatium quærunt, quod hîc in melancholico quodam observavi, qui crebrâ ejus sectione diu se à tantâ molestiâ immunem præstitit, sed is Anno 59. ob nimios in vindemiâ exantlatos labores phlebotomiâ cruris neglectâ plurimùm sanguinis grumosi ἄνω καὶ κάτω rejecit, placidâ morte paulò post subsequente, nulloque extrinsecus vestigio rupti varicis apparente; Internas ergò, quas omnibus venis ob valvularum præsentiam communes esse volunt, ruptas tantæ sanguinis profusioni authores exstitisse, quis est, qui dubitare ausit?

Vidi quoque in non gravidis, sed sanguineis eas ruptas esse cum euphoria, vel tenuissimo potiùs ac impervestigabili osculo per anastomosin apertas ex consternatione ob incendium vicinum oborta, metuque excusso sponte iterum coaluisse, quod & *noster Jason, Johan. Laur. Bauschius*, ὁ μακαρίτης, *in suo hæmatite* confirmat *pag.* 26. & similem historiam narrat *Panarol. pentecost. pag.* 35. Venæ saphenæ quoque sectionem profuisse testantur *nostra Ephemerid. A. III. pag.* 91. Sed cavendum, ne in ulcus diuturnum degeneret ejusmodi vulnusculum, quale notavit *Horst. Observat. post. pag.* 360. & *Fabric. Hildan. Cent. Observat. quarta.* Antiqui excisione ac ustione varices tollere ausi sunt, sed satis cum periculo. Videatur *Sennert. Instit. p. m.* 1008.

Ad Ann. VI N.e.





(*In literis Swinfurto Vratislaviam 11. Decembr. Anno 1674.*)

OBSERVATIO XXVII.

D. JOHANNIS MATTHIÆ NESTERI

DE

FOETU MONSTROSO.

PRæterlapso anno rustici & fabri ferrarii cujusdam uxor in pago Cöln prope Misniam, puellam peperit, unico equidem capite vittâ muliebri quasi adornato, ast cum quatuor pedibus, brachiis & manibus duabus, ventribus verò ac thoracibus ad umbilicum usq; tàm arctè in unum conglutinatis, ut ne lynceis oculis ullum in illis observari potuisset discrimen, uti schema hoc transmissum, à Dn. Fratre meo Philippo Erhardo Nestero, Sereniss. Sax. Elect. ad Albim scholæ Oeconomo, mihi communicatum, abundè satis demonstrat. Deforme profectò est spectaculum. Simile monstrum, ni fallor, à *Valleriolâ* & *Cardano* etiam describitur. Ita ludit interdum natura nostra, & tales aliique errores circa conformationem fœtus accidunt. Sic nuper monstrosus infans, posthumus quidem, natus est in pago quodam sesquihorâ Barutho distante, qui præterquam quod admodum gibbosus erat, antrorsum etiam valde elevatum & exporrectum habebat pectus. Vidi etiam nuperrimè virum quendam, qui à pueritiâ totus incurvabatur, ut brutorum instar vultu prono incederet, duobus scipionibus innixus, nec oculos sursum extollere posset.

(*In literis ad L. Christianum Fridericum Garmannum, Barutho Chemnitium, d. 13. Decembr. Ann. 1675.*)

OBSERVATIO XXVIII.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

MORBO A SPECTRO.

NObilis quidam Silesius, sine omni diætâ vivens, crapulæ indulgens, diei maximam partem dormiens, noctem verò totam edendo potandoque consumens, ex ipsâ faciei inspectione videbatur cachecticus. Perpetraverat ante aliquot annos homicidium, noctu ebrius oberrando, strictoque gladio quemvis obvium petendo. Tandem contigit, ut anno vi-

cesimo quarto supra millesimum sexcentesimum Nobilis audiret mediâ quadam nocte curruum equorumque strepitus; aperiri videntur portæ domus, creduntur advenire non infrequentes ibi alias hospites. Ideo surgit de lecto ille, de fenestrâ prospicit, opinatus adequitare hospitem non minorem equo, cui insidebat, procero, & caput suum tangere. Exhorrescit hinc homo toto corpore. Manè immensum tumorem capitis & sentit ipse, & mirantur astantes. Accersitur pagi vicini balneator, applicat cataplasma ex emollientibus: erumpit tandem materia per nares, per aures, per duo in malâ sinistrâ foramina, in ipsum quoque palatum & pulmones. Vocor tandem & ego, summam virium offendo imbecillitatem, video materiæ purulentæ exitum non esse in inferiore, sed in superiore malâ, musculos ipsos albos & quasi excoctos, totam cutem verò quasi separatam; sequenti nocte materia summo impetu in tracheam irruens hominem suffocavit.

(*Ex communicatione Dn. D. Gottofredi Wincleri, Danielis filii.*)

SCHOLION.

Theodorus Byzantinus, referente *Wiero de Præst. Dæm. l. 2. c. 25. p.m.* 232. in eâ fuit sententiâ: Viros fortes rarò vel nunquam spectra videre, & hoc ideò, quod ipsi ob innatam constantiam hæc minimè imaginentur. Sed hoc intelligendum esse de spectris falsis, quæ in imaginatione à timore impressâ consistunt, reverâ autem non sunt, puto. Diabolum verò modò hanc, modò aliam speciem, imò Angeli lucis, assumere, & sic spectrum verum exhibere posse, notum & experientiâ multiplici confirmatum est. Itaque & hoc spectrum pro vero & non imaginario habeo; strepitus enim curruum equorumque, quo somno obrutus ebrius expergefactus, imaginarium quid haud esse potuit. An verò Diabolus etiam virtute naturali ejusmodi tumorem capitis producere potuerit, videndum? *Wierus loc. cit.* putat: Dæmones humores & spiritus interiorum & exteriorum sensuum movere posse. Imò Sennertus scribit: Diabolum humores parvos in corpore latentes agitare, vel etiam bonos corrumpere, in varias partes immittere, atque ita naturalem eorum constitutionem mutare, imò violenter quædam, permissu DEI, in corpore humano pervertere; præterea affectus varios, spiritibus & humoribus motis excitare &

hoc

hoc modò varios morbos inducere posse. Videatur *Praxis ipsius l. 6. P. 9. c. 5. p. m. 408.* Cum itaque Nobilis hic cachecticus fuerit, Diabolus virtute naturali, vel saltem mediante terrore materiam peccantem & humores vitiosos facilè agitare, agitatosque in caput immittere potuit. Ubi ad majorem corruptionem haud parùm contribuit, & tandem materiam fluidam reddens, eamque exagitans tracheæ influere fecit, & sic hominem suffocavit. Terror quid efficere possit, notum est, ita ut etiam à spectrorum terrore pestis observata, ut testatur *Ingolstetterus in Cist. med. p. m.* 414.

(*D. Gottofredus Christianus VVinclerus, Danielis F.*)

OBSERVATIO XXIX.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

HÆMORRHAGIA INGENTI VI VEL VII DIE POST ACCEPTUM VULNUS.

IN conflictu exercitus Electoris Saxoniæ cum Cæsareo propè Lignitium, Nobilis quidam Misnensis, supremus excubiarum Præfectus in quadam legione militum pedestrium, vulnus sclopeti acceperat in sinistro crure. Ecce autem post 6. vel 7. diem media nocte subitò copiosus supervenit ex vulnere sanguinis fluxus; quâ novitate ille perterritus media nocte me ad se vocat, de vitâ suâ anxius. Ego verò illum bono animo esse jussi, id enim crebrò accidere in vulneribus sclopetorum, & provenire, quia sedatâ jam inflammatione, vasorum ora dilatantur, & hinc sanguis, qui priùs inflammatâ parte & condensatis vasis retentus fuit, effluit liberiùs. Quo de eventu etiam Glandorpius in Speculo chirurgico. Et ita etiam docuit eventus, facilè enim sedatus est iste fluxus sanguinis, ægerque idoneis remediis convaluit.

SCHOLION.

Chirurgi inter se digladiantur, num combustio sit vulneribus sclopetorum conjuncta, vel non? Paræus combustionem satis firmis confutat argumentis, & demonstrat: Glandem non posse ustione escharam inducere. Concedit id quidem Quercetanus, quoad glandem, non verò quoad pulverem pyrium; & distinguit distantiam loci, à quo provenit & exploditur glans, & simul an obstacula firma vel infirma adsint: idcircò dicit: Vulnera sclopetorum aliquando (si sc. è pro-

pinquo loco explodatur glans) cum, aliquandò (si distantiori loco) sine ustione esse. Et huic opinioni calculum meum adjicere non dubito. Etsi enim Paræus contra rationes à Quercetano allatas opponere possit, sc. incendium vestis & barbæ fieri scruti seu veteramenti glandibus alligati ratione; tamen cum idem incendium fieri videamus à glandibus, iis rebus carentibus, si modo è propinquo explodantur, meritò sententiam Quercetani approbamus. Si itaque hoc vulnus è propinquo illatum fuisset, dicerem post escharam remotam hanc hæmorrhagiam secutam, & saltem è venis, non verò arteriis (ubi periculo non caruisset) provenisse, & inflammationem per istam sedatam fuisse.

(*D. Gott. Chr. Winclerus, Dan. F.*)

OBSERVATIO XXX.

DE

CARNIS VOMITU CUM SANGUINE.

Mulieri cuidam nobili cachecticæ de compressione ventriculi, nauseâ & appetitu prostrato diu conquestæ, remedium à me petenti, præscripsi purgans satis lene. Purgata est ferè sine torminibus; sedatâ nihilominus purgatione vomendi conatus maximus supervenit, evomuitque sanguinis immensi copiam, & cum sanguine frusta duo carnis, quorum unum colore & figurâ, non substantiâ, epar magni lucii repræsentabat; alterum erat fibrosum & quadantenus ad pulmonum substantiam accedens, sed tam grande, ut mirum videretur, quomodo per œsophagum transire potuerit. Delatas ad me cum sanguine carnes, quia primò pro sanguine concreto habebam, sanguine omni effuso, aquâ diligenter ablui, figuram tamen & substantiam modo indigitatam servabant. Easdem posteà ægra exsiccavit & exsiccatas adhuc asservat. Quia verò propter immensam copiam sanguinis epar nimis refrigeratum fuit, posteà pedes & venter intumuêre, sed per idonea medicamenta his quoque vitiis correctis, nunc, DEI gratiâ, matrona vivit sana & incolumis.

SCHOLION.

Hujusmodi exemplum refert *Forestus l. 18. Obs. 19. in Schol.* sed frustum illud carneum exstitit colore album & sine sanguinis profusione fuit rejectum. *Thom. Rodericus à Vegâ ad l. 1. c. 5. de loc. aff. Gal.* annotavit profluvia frustorum carneorum fibrosorum ἄνω καὶ κάτω facta esse. Sed in causis rimandis, vel unde ista caro, uterque pisce mutior,

Vegâ

Vegâ saltem exclamante: *sed rara hæc faciliorem habent, quam causam, admirationem.* Viscerum particulas non fuisse, testatur ægrorum convalescentia iis rejectis. *Amat. Lusitanus c. 7. cur.* 23. enarrat observationem: Excrescentiam carneam ab ore ventriculi pependisse. Quid si ejusmodi polypis similes excrescentiæ sive sarcomata & hæ fuissent? Et nisi quis ad incantationem confugere velit, aliam rationem & causam vix inveniet; præcedente enim exulceratione id fieri posse, negari non potest.

(*D. Gott. Chr. Winclerus, Dan. F.*)

OBSERVATIO XXXI.

DE *STRAMINE ἄνω καὶ κάτω EXPURGATO.*

SArtoris Bregensis filius, puer annorum circiter duodecim, mirabili correptus morbo. Subitò enim convellebatur, nunc brachiis, nunc pedibus, nunc utrisque, salvo tamen capite aut certè parum læso. Multa contra convulsionem adhibita, contra vermes, & quicquid in causam venire posse arbitratum. Tandem præscripsi purgans ad humorem melancholicum potissimùm expurgandum; Ecce magna circa orificium ventriculi sentitur angustia, lipothymia, nausea, sudor frigidus Tandem per os egreditur straminis culmus integer adhuc longior 4. ulnæ parte. Hinc sedatur anxietas, incepit purgatio, dejecit per alvum stramen corruptum & semiputridum, idque per unum & alterum diem, hinc nullis aliis medicamentis adhibitis convaluit. Puto fuisse incantamentum.

SCHOLION.

Cum *Wiero* hîc sentio, sc. meras has fuisse illusiones & præstigia Dæmonis. An enim revera ejusmodi res corpori insint & inde rejiciantur, satis longâ oratione prosecutus est *Sennertus l. 6. P. 9. c. 5. pag.* 413. *& seq. Prax.* Itaque crambem bis coctam afferre nolo. Neganti quidem obstat exemplum, à *Langio Epist.* 38. *l.* 1. prolatum, scil. in rustici cujusdam, qui sibi ipsi violentas manus intulit, ventriculo lignum teres & oblongum, & quatuor ex chalybe cultros, ac duo ferramenta aspera post apertionem reperta fuisse. Sed si præstigiatores manuum agilitate hominum oculos fallere possunt, (sunt verba Sennerti) quidni mille fraudum artifex? Itaque puto post apertionem demùm à Diabo-

lo

lo istas res ventriculo intrusas esse. An verò purgans exhibitum ad sanitatis recuperationem quid fecerit, non dubitandum; materiâ enim corruptâ & semiputridâ ejectâ, cujus commotionis & evaporationis causâ convulsiones ortæ, istæ cessârunt. Glaucoma saltem oculis astantium à Dæmone objectum, ut materiam istam pro stramine agnoverint.

(*D. G. Ch. VVinclerus, Dan. F.*)

OBSERVATIO XXXII.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

EPILEPTICA A SPECTRO.

HOnesta quædam fœmina, morbo satis gravi vix liberata, & adhuc fistula in brachio iterum apertâ molestata, post nuptias peractas vix duas vel tres septimanas meliusculè sese habere visa est. Accidit ex improviso, ut in viciniâ Musica audiretur, juvenculis ejusmodi acceptissima, illa de lecto surgens, fenestram aperit, at mox miseræ ex ipso tecto nigrum quippiam ante oculos pedesque videtur decidere, cum tremore & dentium stridore illa sese ad maritum in lectum confert, statimque de horrore febrili conqueritur. Ego adveniens manè bezoardicum propino, sudorem provoco, cordialia præscribo. Sed illa crebrò in lecto exhorrescit tota, clauditur os, ut ne specillum quidem admitteret, tandem accedit epilepsia ipsa, miseramque post unum atque alterum paroxysmum è medio vivorum summo cum mariti mœrore eripit.

SCHOLION.

Matthias Untzerus l. 1. de Epilepf. c. 16. §. 11. inter causas epilepsiæ externas dæmonem seu spiritum malignum, qui corpus exagitat & materiam ad cerebrum defert, recenset. Et certè Diabolum esse spiritum malignum notum evadit è *Scholio Obs.* 28. ubi è cistâ medica Hornungi attuli, etiam pestem à terrore ortam. Si itaque pestem Diabolus per terrorem potuit inducere, quidni epilepsiam? Huc accedit, quod epilepsia vocetur morbus dæmoniacus, imò Theologus Anglus, referente *Thom. Willis in Pathologiâ cerebri c.* 2. audeat affirmare: plures dæmoniacos in Novo Testamento tantùm epilepticos fuisse. Puto itaque materiam acrem & malignam à præterito morbo

adhuc

adhuc in capite vel ipso cerebro superstitem latuisse, (residuum aliquid materiæ peccantis adfuisse; fistula in brachio testimonium exhibet,) illam verò Diabolum per terrorem spectri agitasse, & malignâ qualitate imbuisse, (malignitatem spectris induci testantur oris & nasi exulcerationes eorum, qui ea viderunt) & sic per irritationem epilepsiam & per illius atrocitatem mortem induxisse.

[*D. G. Ch. VVinclerus, Dan. F.*]

OBSERVATIO XXXIII.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

STEATOMATE SUB MENTO.

ILlustris quædam Domina sub mento tumorem gerebat mobilem instar nucis avellanæ, nolebat admittere sectionem, quapropter discutientia adhibui, primò minor factus tumor, sed mox priorem recepit magnitudinem; applicui hinc fortia maturantia, quorum continuo usu tandem aperta cutis exiguo foramine, dilatavimus vulnus cum radice Gentianæ; deinde tumorem (quia nec dum dilatari vulnus ferro patiebatur, ita enim materia tota cum vesica, in quâ conclusa erat, potuisset eximi) se prodentem aperuimus, nihil egressum est materiæ, sed compressione tandem factâ fortiori, egrediebantur filamenta quædam, qualia in caudâ cancrorum mediâ inveniuntur, & ipsa vesica apparebat flaccida; quia ergo ex ejus retentione metuebamus novæ materiæ generationem, factâ compressione forti partium circumjacentium, eandem quadantenus extra propulimus, propulsam filo serico ligavimus, vulneri unguentum maturativum infundimus, ita tandem filo extra vulnus pendente ipsa vesica separata, extracta est. Quia verò caro, quasi verrucosa videbatur fundamentum vesicæ fuisse, hanc caustico potentiali cum unguento Ægypt. mixto exstirpavimus, hinc vulnus consueto modo consolidavimus. Tumor ab eo tempore non rediit, cicatrix etiam vix videtur vulneris.

SCHOLION.

Causam steatomatis non succum excrementitium, sed planè nutritium & à nutritione totius vel ejus partis, ubi nascitur superflu-

um cum *Platero Tr. 3. c. 3. in Int. de Causis*, statuo; cui sententiæ etiam adstipulatur *Marc. Aurelius Severinus de Absceß. anom. c. 13.* Est verò humor jam assimilatione aptus & saltem crassitie & abundantiâ peccans, ut innuunt citati Authores. Si enim solâ crassitie peccaret & non simul abundantiâ, hunc tumorem non procrearet, sed eò faciliùs assimilaretur & agglutinaretur, humor enim crassior parte illâ, cui agglutinatur, esse non potest. Si quis accuratior inquirere velit, quinam humor ex 4. secundariis hîc in causâ sit? Cambium eligerem; sed cum isti humores saltem imaginarii sint, plura non addo. De steatomate miro & magno videatur *Hæchstetterus Part. 2. Dec. 6. p. 472.* Inerat verò materia sevum referens, non verò ut in nostro filamenta, quod sanè mirum est, sed videtur viam fuisse angustam, per quam materia influxit, etsi materia non valdè differens & saltem fibrosior fuerit. Vidi sectionem steatomatum binis vicibus, sc. unius in brachio, alterius in humero, materia in ambobus erat instar adipis fibrosi. Ad curam quod attinet, satis artificiosè peracta est, & difficultate non caruit, quia ad placitum & nutum Illustris hujus personæ absolvi debuit, quæ aliàs in rustico longè minori negotio perfici potuisset.

(*D. G. Ch. VVinclerus, Dan. F.*)

OBSERVATIO XXXIV.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

CALCULO EX PENE EXSECTO.

NObilis quidam vir sexagenarius, sed robustis viribus, secundis peractis nuptiis villam petens, redux in itinere summum circa pubem sentit dolorem, urinam emingens cruentam mox omnimodâ urinæ obstructione laborans, dolor nullus ferè nisi angustia quædam, summum bibendi desiderium. Intumuit genitale in tantum, ut nullus asinus tantâ conspiciatur mentulâ. Ex fascino illi accidere suspicati sunt multi, cum viri officium nondum rectè se fecisse fateatur ipse; verùm quia de calculo suspicio erat, his nihil commotus. Injecta enemata, potiones propinatæ cum vias dilatantes, tum urinam promoventes, nihil effectum. Applicata fomenta supra pubem, adhibita balnea aquæ dulcis cum herbis convenientibus, frustrà omnia.

Adhibiti cerei & in penem intrufi; nihil obſervari potuit, nec guttula urinæ exiit. Caput ex nimio potu nihilominùs magis magisque intumeſcit, æger ex diuturnis vigiliis & anguſtiâ ſummâ defatigatus, ſuprema expectat. Tandem ſtylo ferreo tentamus canalem penis, qui ſummè tumidus & protractus extra corpus. Invenimus duram materiam, conjicimus eſſe lapidem, eoque magis, quia motu aliquatenùs vehementiore nonnihil urinæ egredi vidimus, Tentamus omnia, adhibemus peni eadem emollientia, infundimus in ipſum canalem lubricantia, & dilatantia, inflare conamur; nihil efficimus. Ultimum reſtat: Sectio. Obſtat ætas, repugnant vires quodammodò attritæ, At æger orat per DEUM ſectionem ſive moriendum ſive vivendum inſtitui. In nomine igitur DEI ſupra duritiem, penem ligamus, ne retrocedere poſſit lapis, deinde in ſuperiore parte penem ſcalpello incidimus, mox in conſpectum venit lapis, ſed tam arctè concluſus, ut ne inſtrumento quidem moveri poſſet. Hæmorrhagia magna non eſt, ſed mox ſiſtitur. Comprimimus inferiorem penis partem, in ſupernâ cum ſtylo ferreo movemus lapidem, proſilit cum ſaltu ſuper lectum, & hinc magna urinæ copia, ſtatimque levamen morbi, penis inflammatio idoneis medicamentis ſedatur. Per urinam verò tempore ſatis longo materia purulenta in maximâ copiâ emingitur, ſignum cum abſceſſu quodam egreſſum eſſe hunc lapidem ex veſicâ, qui quantitatis erat zingiberis radicis. Propter ſenium tamen non planè occludi vulnus potuit, ſed remanſit in ſuperiore parte foraminulum, quod in excernenda urinâ & ſemine ipſi incommodum facit, quia & per foramen conſuetum & per hoc cum urina, tum ſemen effunditur: Alioquin benè ſanus & omnia ritè peragebat.

SCHOLION.

Notus mihi fuit iſte vir, qui 80. ſupervixit annum. Sectio iſta in pene tantum periculi non portendit, quàm in perinæo, modo chirurgus ſit circumſpectus, ne venam vel arteriam lædat. Vocatus ſum aliquando ad filium honeſti alicujus viri, annorum circiter duodecim, qui per dies novem retentione urinæ cum doloribus exquiſitis laborabat, & ab inſulſo quodam chirurgo ut herniofus tractatus erat propter ſcroti tumorem. Adveniens, ſtatim ſuſpicor de calculo, aliumque chirurgum accerſo, mox ſtylo argenteo exploravimus canalem, calculum duriſſimum opinione chirurgi magnitudine caſtaneæ ſtatim animadvertimus; qui firmiter impactus & nullo modo mobilis erat.

Cum extrema adessent, sectionem libenter instituissemus, sed vires erant admodum attritæ, & principium convulsionum conspicuum, itaque Prognostico relictus eâ ipsa sequente nocte convulsus moritur.

(*D. G. Ch. VVinclerus.*)

OBSERVATIO XXXV.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

TUMORE CIRCA LUMBOS A TERRORE.

HOnesta quædam fœmina, agnata mea, Pastoris in oppido quodam Silesiæ uxor, de noctu surgit, alvum exoneratura, nesciens surrexisse etiam ancillæ matrem rusticam, sedentem in camerâ alterâ solo indusio indutam, crinibus canis & dispersis. Hanc dicta Pastoris uxor, spectrum credit, horrescit, contremiscit, febre corripitur; manè rem audiens ipsam, animum quidem recepit, sed tumorem circa lumbos animadvertit, qui cum dolore crescit, donec tandem adhibitis maturantibus purulenta materia exitum nanciscitur, ipsaque debitis remediis sanatur.

SCHOLION.

Materiam peccantem anteà adfuisse, & per terrorem agitatam, robore verò naturæ expulsam esse, puto. Per terrorem humores agitari, nemo est qui dubitat. Per agitationem verò humorum & spirituum varios produci morbos, imò & apostemata interna, tradit *Thom. Fienus de Vir. Imag. Quæst. 10. p. 180.* Si autem apostemata interna producat, quidni, si natura robusta, externa? Cum verò in Scholio ad Observ. 28. & 32. de hâc materiâ actum, plura proferre nolo.

(*D. G. Chr. VVinclerus.*)

OBSERVATIO XXXVI.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

CALCULO IN ORIFICIO PENIS URINAM REPRIMENTE.

Labora-

LAborabat boni parentis filiolus, 8. circiter annorum, variolis, conquerebatur de obstructione urinæ, de causâ eramus solliciti; Puer ejulare, de dolore ex retentione conqueri: videmus in extremâ parte penis variolam, de internâ idem cogitamus. Nihilominùs quæ ad urinæ promotionem facere videntur internè, non negligimus, à balneo & fomentis propter variolas prohibemur. Nihil efficientes; ego tandem ipsum penem inspicio, particulam salis injicere volui, & expultricem stimulare. Video quid albi in orificio, existimo esse variolam pure plenam, acum accipio, tentaturus quid sit? durum offendo, moveo, motumque eximo, lapillus est. Exempto lapillo profluit urina. Æger puer recuperatis viribus sanus evadit.

SCHOLION.

Similem casum refert *Amat. Lusitanus c. 6. Cur.* 91. qui saltem herbam asplenium dictam incisam & butyro exceptam calidè loco affecto apposuit, & horæ spatio æger liberatus est. Calculus vesicæ procul dubio fuit, & non renum, pueri enim rarissimè hoc calculo laborant, & *Cardanus in Comment. Aph.* 26. *S.* 3. semel tantùm vidit. Cum verò in variolis emulsiones expellentes exhiberi soleant, illæ autem simul sint diureticæ, illas simul calculum è vesicâ pepulisse & meatui penis intrusisse, existimo.

(*D. G. Chr. Winclerus.*)

OBSERVATIO XXXVII.

D. DANIELIS WINCLERI
DE
EXCRESCENTIA IN LABIO SUPERIORE.

VEnit ad me ex pago Lossen paupercula anus, inspiciendum præbet labium, quod mirum in modum excreverat, in medio labio ulcus fuerat, ex eo principio caro ista fungosa suum ortum habuit. Nullam aliam spem eam habere, quàm sectionem ostendo. At illa paupertatem obtendit, aliud consilium expetit. Consulo ergo, ut tumorem cum setis equinis fortiter apprehendat, & indies arctiùs astringat. Fecit hoc, licet, ut ipsa posteà dicebat, magno dolore, multis noctibus insomnibus, tandem tamen decidit caro ista superflua. Venit ad me lætior, ego unguenta consolidantia illi

præscribo, quibus adhibitis in totum convaluit, Deoque gratias egit; Quia enim paupercula erat, & lino in fila ducendo se sustentabat, labium ad hunc laborem obeundum maximo erat impedimento.

SCHOLION.

De excrescentiâ ejusmodi carneâ in supremo vulvæ labro orta, exemplum refert *Marc. Donatus Hist. Med. Mirab. l. 5. c.* 3. Curatio cum setis equinis est egregia & admodum conveniens, constrictâ enim arteriâ nutrimentum afferente, ut tumor tabescat necessum est. Unde verò ista arteria originem trahat, quæstio movenda. Arteria enim est pars spermatica, & non generatur extra uterum. *Marc. Aurelius Severinus de Absc. anomal. c.* 13. pro veris arteriis habere non vult, sed putat illas saltem aliquid simile esse, ut venulæ illæ in affectu, qui Arabibus zebel vel sebel vocatur, ubi textura rubra venularum in annatâ oculi tunicâ sive albo oculi videtur. Quod verò ad illum affectum attinet, cum *Sennerto l.* 1. *P.* 3. *S.* 2. *c.* 15. sentio: venulas illas reverâ existere, visum verò effugere, nisi sanguine valdè turgeant. Itaque, salvis aliorum judiciis, putarem: quod crescente istâ hypersarcosi adjacentes arteriæ & venæ simul crescant, ut in pueris & nondum adultis fieri videmus, ubi arterias & venas cum aliis partibus augmentum acquirere nemo negare potest. Hoc quidem secundum naturam fit, sed quid naturam per errorem idem facere prohibeat, non video. Vocatur verò iste tumor encanthis sive hyper sarcosis, & oritur ex ulceratâ parte è materiâ affluente nutritiâ & ad glutinationem superflua.

(*D. G. Chr. Wincler.us.*)

OBSERVATIO XXXVIII.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

PARALYTICO MUTO EX APOPLEXIA CUM FEBRE MALIGNA.

GEnerosus quidam Dominus febre malignâ laborans, stuporem in dextro sentiebat brachio, post biduum supervenit sensuum omnium stupor, qui tamen mox retrocessit, at stupor non tantum occupavit brachium, sed dimidiam partem malæ, ut oris tortura quodammodo appareret, &, quod miserum, lingua dimidia simul paralytica,

lytica, unde ne verbum quidem proferre ad mortem usque, quæ triduô vel quatriduô post sequebatur, potuit, sensûs tamen compos & mentis.

SCHOLION.

Materiam pituitosam hæsisse in cerebro vel circa illud, quæ liquata à calore febrili sensim principio nervorum influxit, & ipsius obstructionem causavit, posset quis inferre cum *Horstio Observ. 16. de febr.* Cum verò hîc saltem stupor fuerit, à principio retrocedens & non permanens, quod materiæ proprium, existimo saltem vaporem narcoticum malignum huic malo causam præbuisse; Ægrotum verò potiùs vi febris malignæ, quàm apoplexiæ ad plures detrusum esse.

(*D. G. Chr. VVinclerus.*)

OBSERVATIO XXXIX.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

URINA CRUENTA, HINC PURULENTA.

HOnestus quidam vir, ex aulæ Bregensis Ministris, diu dolore sinistri hypochondrii laboravit, curatas à quibusdam pro splenetico, excreto verò postmodùm calculo, magnitudine nuclei persici, aliter rem se habere comperit. Post annos aliquot redierunt iidem dolores, suspicio iterum erat de calculo, ideò ad hunc directa medicamenta. Verùm cum urinâ demum magna prodibat sanguinis satis floridi copia, ob quam evacuationem æger debilis redditus in lipothymiam semel atque iterum incidit, de nullo alio conquestus est dolore, nisi de imbecillitate omnium virium. Ad fluxum hunc nimium multa adhibita, tandem loco sanguinis effluxit purulenta quædam materia, quæ indies aucta, donec tota egrederetur alba, nullo ampliùs apparente sanguine. Et tum æger cum talibus urinis etiam supervixit biennium. Posteà redeuntibus iisdem doloribus apostema in dorso è regione renum exortum est, quod licet apertum & consolidatum fuerit, æger nihilominùs tabefactus interiit.

SCHOLION.

Si post mortem apertio corporis licita fuisset, non opus esset con-

jectu

jecturis. Videtur verò per calculum adhuc latentem renem vulneratum & excoriatum, unde à venulâ simul læsâ fluxus sanguinis, quo extravasato & non in totum excreto, imò in grumos redacto & tandem in pus converso, apostema in renis substantiâ exortum; materia copiosè affluxa tandem in musculis adjacentibus fistulam excitavit, unde apostema externum in dorso; ut exemplum invenimus in *Foresto l. 24. Obs. 37. in fine Scholii* de Hadriano Junio Medico. Ægrotus verò consumtionis renis causâ mortuus est, ut similem ferè casum recenset *River. in Obs. commun. à Formio Obs. 27.* Unde verò tabes à renum abscessibus & ulceribus? sciendum, æquè ac in pulmonibus putrescentibus febrim lentam ac putridam, & tandem hecticam à vaporibus putridis per venas & arterias, cordi communicatis excitari in isto affectu; ita ut ab illâ tandem humidum radicale exhauriatur, & homo consumtus fatis cedere cogatur.

(D. G. Chr. Winclerus.)

OBSERVATIO XL.
D. DANIELIS WINCLERI.
DE
DEGLUTITIONE ABLATA IN APOPLECTICO.

SEnator quidam Bregensis apoplexiâ subitâ corruit, rediens ad se, omnes quidem sensus recuperavit, judicium erat accuratum, memoria integra, paralysis in brachio non usque adeò insignis. At musculi deglutitioni inservientes resoluti, adeò ut nihil ferè deglutire posset, imò ne guttam quidem bibere sine metu suffocationis præsentissimæ, in quo statu permansit, donec labascentibus de die in diem viribus exstingueretur.

SCHOLION.

Platerus l. 1. Obs. p. 208. casum ejusmodi, sed cum loquelæ amissione, recenset, ubi ægrota saltem collutionibus oris sanitatem recuperavit; & putat id vitio 6. vel 7. conjugationis nervorum accidisse. Contra *Riverius in Obs. comm. à Pachequo Obs. 26. p. 335.* deglutitionem ablatam pro lethali signo habet, & à resolutis œsophagi musculis procedere putat. Fortassis *Plateri* casus saltem à vapore stupefaciente inductus, Riverii verò à materiâ. Quod ad partem affectum attinet, unum & idem dicunt, cum 6. nervorum conjugatio ramulos suos in œsophagi musculos immittat. Tristissimum ejusmodi casum

sum

sum in matre propriâ summo cum mœrore videre contigit, subitò enim apoplexiâ tacta, cum dextri lateris paralysi, sensibus omnibus ablatis, & resolutis musculis istis, ita ut sine suffocationis periculo ne guttulam quidem assumere potuerit, secundâ die è vivis sublata.

(*D. G. Chr. Winclerus.*)

OBSERVATIO XLI.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

VULNERE PECTORIS.

Miles quidam præsidiarius Bregensis, ab altero vulneratur gladio acuto, vulnere penetrante per veras costas in cavitatem pectoris, non effluit sanguis multus, vulnus à chirurgo consolidatur brevi tempore. Consolidato vulnere æger incidit in febrem cum summâ respirandi difficultate; in consilium vocor, de vulnere certus fio, sanguinem in cavitatem pectoris confluxisse suspicor, V. S. primò omnium injungo, mitigatus calor, melior respiratio. Adjungo roborantia, refrigerantia, pectoralia. Lateri dextro emplastrum maturativum applico, per noctem augetur tussis, expectorat dimidiam pelvim plenam materiæ purulentæ, sanum se affirmat dextro latere, de sinistro conqueritur; inspicio vulnus, tumorem animadverto, locum tenui quasi membranâ clausum, aperiendum iterum vulnus svadeo, renuit chirurgus, tandem assentit, aperit, exsilit tanquam à venâ sectâ purulenta materia, eaque inclinato ægro terram versus benè multa, servatur apertum vulnus, æger super latere affecto jacere cogitur, singulis diebus inclinato corpore egreditur materia, corpus purgatur, injiciuntur abstergentia, adduntur potiones vulnerariæ; æger sanitati pristinæ restituitur.

SCHOLION.

Chirurgus iste admodum ineptus fuit, cum de sanguine extravasato & in pectoris cavitatem influxo minimè sollicitus esset. Si enim vulnus dilatasset & corpus debito modo movisset, procul dubio sanguine effluxo febris & alia symptomata præcauta essent. Curationis methodus est accuratissima. Febris enim ratione V. S. optimè instituta, unde etiam symptomatum mitigatio secuta. Emplastrum

quoque maturativum summoperè conduxit, quia materiam ad exitum aptam reddidit. Apertio vulneris rectè instituta & materia evacuata, quæ aliàs tetris exhalationibus pulmonem putredine inficere, vel contactu diaphragma lædere potuisset. Corpus purgatum, ne humores peccantes affluerent. Abstergentibus locus affectus mundificatus, & potionibus vulnerariis illi pristinus vigor restitutus est. Cum verò materia expectorata in cavitate pectoris hæserit, per quas vias expectoratio materiæ facta sit? inquisitione dignum esset. Torsit hæc quæstio multos ex eruditis viris, præcipuè cum non saltem materiam purulentam, sed & turundam, referente *Tulpio lib. 2. Observ.* 15. è cavitate pectoris rejectam esse certum sit. *Marc. Aurelius Severinus in opere de Abscess. in Consultat. singul.* diligentissimè in has vias inquisivit; idemque prosecutus est in *Epist. Bartholin. Cent. 1. Epist. 68.* ubi illi placuit, hoc tum ad motus perennis vim, tum ad pulmonis superni, tum diaphragmatis inferni complosum referre. Sed hæc, quod ingenuê fateor, captum meum superant. Quæ verò de amaritiei sensu in ore ab injectione amarâ percepto ex *Paræo* affert, saltem à vaporibus, quibus pervia sunt omnia, provenisse, quis affirmare posset. In luto itaque ignorantiæ tantoperè hærentibus auxiliares manus nobis porrigit clarissimus & ingeniosissimus *Harveus lib. de Gener. Animal. Exercit. 3. p. m.* 43. his verbis: *Perforatio pulmonum, à me inventa (cujus modo memini) haud obscura & cœca est; sed in pennatis præsertim, patula admodùm; adeo ut in struthiocamelo meatus plurimos repererim, qui digitorum meorum apices faciiè exciperent.* Et paulò post: *Imò vero dubitare liceat, an non in homine etiam dum vivit, aer per dictos meatus in thoracis cavitatem penetret. Quomodo enim aliter empyicorum pus, & pleuriticorum extravenatus sanguis, illàc effluant? In vulneribus pectoris (illæsis etiam pulmonibus) aer per vulnus foràs erumpat? aut liquores in cavitatem pectoris injecti, cum sputo reddantur?* Hactenus Harveus. Cui adstipulatur Clariss. Bartholinus, Anat. reform. lib. 2. cap. 9. *Membranâ cingitur pulmo tenui, lævi, poris multis insignitâ, qui pori inflato pulmone, follibus, satis conspicui. Quos aliquoties Johann. Walæus pisi majusculi magnitudine in vivorum dissectionibus observavit. Hinc sanies thoracis penetrare potest, & per tussim exire.* Huic sententiæ calculum suum adjicit Clar. Lindenius

Med.

Med. Phys. lib. 2. cap. 6. §. 186. Perforationem talem membranæ pulmonariæ peculiare quid esse & ea cognitâ nulli jam mirum videri debere posse, quæ præter naturam collecta sunt, in cavitate thoracis inde absorberi, & per arteriam asperam expui, esse tamen istum abusum potius dictorum meatuum, & in casu extremæ necessitatis tantum; usum vero esse perspirandi aerem in eandem cavitatem, quo circumfusus pulmonibus, hos refrigeret. Et ita lux tenebris nostris tandem affulsit; Etsi enim in mortuis (subsidentibus omnibus) pori isti non admodùm sint conspicui, tamen cum alibi, (ut in pennatis certò constat) oculis pateant, non video, quâ causâ commotus, quis dubitare velit eosdem in homine existere, & naturam in extremis iis uti posse; cum sæpe meatus obscuriores necessitate adacta sibi inquirat, ut è doctrinâ de abscessibus luculentum evadit, ubi natura oppressa sæpius vias planè invias invenit, per quas materiam ceu sarcinam deponit. Ita ut *Marc. Aur. Severinus de absc. c. 7. p. m. 9.* scribere haut vereatur: *Vias per quas humor deponitur, non æque pernoscimus, sed ignorantiam nostram ingenuè fatemur. Illud afferentes ex Hipp. quod confluxus unus, conspiratio una, consentientia omnia, &c.*

(D. G. Ch. WVinclerus.)

OBSERVATIO XLII.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

ANGINA IN MORBILLIS IGNEIS.

Morbilli ignei admodum maligni apud nos grassantes, invasêre honesti viri filium natu minimum, eo per aliquot dies morbo onerato, & alter in eundem morbum incidit, sed mox de summa deglutiendi difficultate conqueritur, nihil tumoris intra vel extra conspicitur. Triduo vix exacto ante juniorem suffocatur, quem tamen & idem, sed longiore spatio secutus est.

SCHOLION.

Morbilli ignei sunt tumores corporis in cute potissimum conspiciendi, omnium minimi, cum febre continuâ, putridâ, malignâ, & ruboribus totius corporis pruriginosis conjuncti, à sero bilioso, mali-

gno & ſpecificè corrupto, orti. Quam definitionem tradidi in Diſputatione meâ inaugurali Theſ. 2da. Et hi morbilli apparuêre primùm apud nos Anno 1642. poſt obſidionem Bregenſem; Lipſiæ verò paulò poſt, & quod nos in pueris, ipſi in puerperis annotarunt, ut teſtatur Diſputatio ibi habita Anno 1655. à *Dn. D. Welſchio*, vocant verò den Frieſel/ à panni Frieß ſimilitudine. Nomen quidem eſt diverſum, res verò eadem, ut ex definitione ipſorum *c.* 3. *Th.* 5. unusquisque videre poteſt. Symptomata autem iſta periculoſa, ut angina, parotides &c. apud illos abfuerunt. Hæc verò angina vocatur latens, & à Græcis κυνάγχη, ubi muſculi interni laryngis inflammantur, & pro lethali habetur ab *Hipp.* 1. *aph.* 34.

(*D. G. Chr. Wincleru.*)

OBSERVATIO XLIII.
D. DANIELIS WINCLERI
DE
HÆMOPTOICA PASSIONE.

TOrnatoris cujusdam uxor ad phthiſin prona, per os magnam ſinceri ſanguinis copiam rejecit, adhibitis aſtringentibus tam internis, quàm externis, aliquoties ſedatum eſt malum. Cum verò ſæpiùs rediret, viresque decreſcerent, tandem tuſſi ſanguinem expuendo ſemper fluidum, extincta eſt. Suſpicio erat de ruptâ venâ.

SCHOLION.

Hippocrates 4. Aph. 25. dicit: Si cui ſanguis per ſuperiora erumpat, calamitoſum. Id ſanè veriſſimum deprehendet unusquisque in praxi, & præcipuè ſi vena rupta; difficulter enim ſanatur & conglutinatur, & hoc ideo, quia medicamenta viribus integris ad locum affectum pervenire non poſſunt, niſi quis evaporationes à *Benedicto in Theatr. Tabid. p.* 94. 143. 181. commemoratas excipere velit. Quæ certè, ſi rectâ methodo uſurpentur, in morbis pectoralibus multùm conferunt, ut experientiâ edoctus ſum. Curati hæmoptyſi ſæpiſſimè in phthiſin incidunt, propterea quod ſanguis extravaſatus & non totus

rejectus

rejectus in pus vertatur, & pulmonum putredinis & exulcerationis causa existat, ut vidi Anno 1670. die 24. Decembr., ubi fœmina ad phthisin prona maximam copiam sanguinis, ita ut pelvim satis capacem ad medietatem impleret, rejecit tussiendo; sanguis erat egregii coloris & spumosus. V. S. mox institui in brachio, & astringenti sequenti fluxum cohibui: Rec. ▽ burs. past. plantag. portulac. āā ℥j. tussilag. ℥ß. boli arm. præparat. lap. hæmat. præparat, corall. rubr. ppt. āā ℈j. sangu. drac. ℈ß. syr. de symph. myrtill. āā ℥ß. sp. ⊕l. g. vij. M. Deinde cum humores acres & biliosi adessent, & ab erosione hoc malum exortum cognoscerem, sequens purgans præscripsi: Rec. Rhab. fol. sen. s. f. āā ʒj. Myrobal. citr. ʒß. Infunde in decocti Tamarind. s. q. p. n. in express. dissolv. syr. de ros. sicc. ℥j. pulv. galap. gr. vij. sp. ⊕l. g. iiij. M. Dejecit aliquoties, & remisit malum, ita ut non haberet, de quo conquereretur. Interim tamen potiones ex herbis & radicibus pectoralibus recentibus ad expectorationem & conglutinationem præscripsi, ita ut nihil neglectum. Sed tamen postquam per annum & eo diutiùs vixisset, phthisica obiit.

(D. Gott. Chr. Winclerus.)

OBSERVATIO XLIV.
D. DANIELIS WINCLERI
DE
COLICA CUM VOMITU ET LIPOTHYMIA OB HERNIAM.

VErbi quidam divini minister à juventute herniâ insigni laborans, subitò incidit in colicum seu rectiùs iliacum dolorem, cum vomitu crebraque lipothymia conjunctum. Advocor summo manè, de compescendo vomitu & lipothymiâ, quod ante omnia sim sollicitus, rogor. Applicata fuêre ventriculo pro compescendo vomitu multa. Ego herniæ memor, de eâ quæro, at æger valdè intumuisse scrotum, summumque dolorem conjunctum esse fatetur. Ego itaque clysterem præscribo, fomenta scroto admoveo: mox divinâ gratiâ aperitur alvus, cessat vomitus & lipothymia, tumor discessit, ægerque præter opinionem cito, tuto & jucunde restitutus.

SCHOLION.

Rectè *Hipp. l. de art.* dicit: Medicus sufficiens ad morbum co-

gnoſcendum, ſufficit etiam ad curandum. Nemo hîc de herniâ ſollicitus fuiſſet, niſi Medicus tam circumſpectus fuiſſet. Fuit verò colica ab obſtructione ab herniâ ortâ proveniens, quâ causâ per enema ſublatâ neceſſariò & effectus ceſſabat. Mulierem quandam annoſam ileo laborantem vidi, quæ oſſicula parva de gallinis, earum pullis, & avibus amabat comedere, unde obſtructio alvi & ab illâ ileus; omnibus methodicè, ſed incaſſum adhibitis die quinto feces alvi cum lipothymiis crebris evomuit & mortua. Puto valvulam Bauhinianam in principio inteſtini cœci ſitam ab oſſiculis obſtructam fuiſſe.

(*D. G. Chr. Winclerus.*)

OBSERVATIO XLV.

D. DANIELIS WINCLERI.

DE

FALSO GRAVIDA.

FOEmina quædam honeſta juvenis poſt diuturnam menſtruorum emanſionem, iterum eadem ſentit & quidem rubra; apparuerunt ſigna nonnulla, quæ primis menſibus in gravidis ſolent apparere. Putat ſe eſſe gravidam, quicquid dicatur contra de motu infantis. Ventre enim intumuerat & motum aliquem perceperat. Ita nonus menſis & dies expectabatur. Conſulebantur obſtetrices tam Bregenſes, quàm Wratislavienſes; conſenſerunt omnes. Ego contrarium ſentiens expectavi tempus partus. At cum tranſiit nonus, tranſiit decimus menſis, venter iterùm ſuâ ſponte ſubſedit, ſpesque cum prole nulla fuit.

SCHOLION.

Falſa ingravidatio fit; vel à molâ, vel à monſtro, vel ab aqua, vel à flatu. A tribus priùs enarratis non proveniſſe hanc falſam ingravidationem ſatis ſuperque conſtat ex eventu, cum nihil ejusmodi excretum ſit. A flatibus itaque gravidam hanc fœminam aſſerere non dubito. Sunt quidem qui negant: flatus tanto temporis ſpatio in utero contineri poſſe, & inter illos *Platerus*, cui adſtipulatur ferè *Riverius C. 2. Obſ.* 100. ubi quidem concedit: Flatus in utero concludi poſſe, ſed non longo temporis intervallo, quin excludantur & diſſipentur. Sed *Sennertus l.* 4. *P.* 1. *S.* 2. *C.* 10. *p.* 65. *Prax.* omnes has cogitationes tam rationibus, quàm exemplis & Hippocratis authoritate ita refellit, ut nihil reſtitet, ne illi calculum adjiciamus.

(*D. G.*

(D. G. Chr. Wincleru.)

OBSERVATIO XLVI.

DE

TUMORE IN SCROTO.

Consul in urbe quadam, jam senex, alterum inchoârat conjugium, peractis nuptiis in scroto ingentem sensit dolorem cum magno tumore. Per literas expetit meum consilium, se herniosum factum scribens. At ego herniam cum summo dolore conjunctam esse nego, tam subitò & vix fieri, nisi à violentissimâ causâ; quam cum ille negaret, me alterius esse sententiæ, nimirum apostema aliquod adesse vel in teste ipso vel in scroto; rem ergo tentandam potiùs per fomenta, & videndum, an quid possit intrudi in ventrem, si nihil horum fuerit, dolor autem & tumor crescant, locus rubeat, ad maturationem accedendum esse, quem in finem annotavi medicamenta idonea. Quæ adhibita tumorem ad suppurationem tandem perduxerunt, sanitatemque amissam ægro reduxerunt.

SCHOLION.

Turpis senex miles, turpis senilis amor.

Etsi enim violentia nulla hic locum habeat, tamen ab agitatione & motu humorum peccantium, quibus iste scatuit, à coitu facto, hoc malum ortum esse, nullus dubito. Nam senes plerumque in hoc bello se strenuos præstare milites satagunt, & plus faciunt, quàm vires ipsorum permittunt. Itaque, ut turdus, sibi ipsis malum cacant. Casum ægrotantis post nimium coitum refert, *Borellus. c.* 4. *observ.* 87. Imò quosdam coitu extinctos videmus in *Hist. mirab. Marc. Douati l.*4. *c.* 17. Et sunt, qui coitum parvam epilepsiam dicere non erubescunt. Ex quibus liquet, quæ commotio humorum corpori exinde accidat. Motis verò & agitatis humoribus natura insurgens, si fortis, sarcinam in partem ignobilem & ad receptionem aptam deponit, ut hoc exemplo manifestum evadit.

(D. G. Chr. Wincleru.)

OBSERVATIO XLVII.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

TUMORIS IN SCROTO TEMERARIA CURATIONE.

Miles

MIles quidam, natione Italus, insiliens equum, testem alterutrum magnâ vehementiâ ephippio attrivit, subsecutus hinc dolor ingens & propter dolorem affluxus humorum, & hinc apostema; quia vero ille sine intermissione iter suum continuare cogebatur, summum quidem per aliquot dies sentit dolorem, tandem doloris impatiens ipse sibi cum cultro suo scrotum aperuit. Egressa est, ut ille retulit, materia purulenta cum sanguine mista. Bregam veniens me vocat, ego videns materiam esse optimè evacuatam, nihilque ampliùs desiderari, quàm vulneris consolidationem, unguentum mundificans præscribo, emplastrum consolidans superpono. Convaluit ille paucis diebus.

SCHOLION.

Vidit fortassis iste miles aliquando in Italiâ operationem ejusmodi à Chirurgis peragi, eoque cordatior rem aggressus est. Etsi doloris etiam atrocitas aliquem eò adigere possit. Causa hujus abscessus manifesta est & procatarctica, sc. attritio sive contusio, quam inflammatio secuta, quæ neglecta affluxâ materiâ necessariò suppurata est. Fortunâ admodùm secundâ usus est iste homo, ut eo tempore tumorem aperuerit, cum pus jam confectum & ad exitum aptum erat. Itaque cura subsequens nihil difficultatis habuit.

(D. Gott. Chr. Wincler us,)

OBSERVATIO XLVIII.

D. DANIELIS WINCLERI DE *VOMITU SANGUINIS.*

NObilis quædam Vidua annosa, macro corporis habitu, sanguinem cum vomitu rejecit aliquoties, at in minore copiâ, de sinistro hypochondrio conqueritur. Ego primò, cum copia magna non esset, nihil molior, roborantia præscribo; sed cum posteà sanguis non grumosus, sed floridus aliquoties magnâ copiâ rejiceretur, cum summâ virium debilitate, ad astringendum hunc fluxum me converto, hypochondrio sinistro unguentum præscribo & emplastra, interna astringentia non negligo, roborantia cardiaca simul astringentia exhibeo. Et præter omnium opinionem ægram DEI benedictione in integrum restituo.

SCHO-

SCHOLION.

Anno tertio Ephemeridum Obs. 314. Dn. Avi mei in Scholio hoc de morbo mentio facta, ubi consideravi & locum affectum, unde tanta sanguinis copia proveniat, & vias, per quas ejiciatur. Quoad primum lienem indigitavi, & hoc verum esse, luculentum evadit ex hac observatione, ubi dolor in hypochondrio sinistro notatur, ubi lienis regio. Ad secundum quod attinet, sunt qui dubitant per vas breve quicquam injici posse ventriculo, & quidem hac ratione, quod cavitatem ventriculi non ingrediatur, sed saltem in tunicas ejus inseratur. Sed ut hoc in integræ sanitatis statu verum sit, ita in morboso locum habere non potest. Cur enim tam venæ, quàm arteriæ (quibus vas breve constat) non tam hîc, quàm alibi locorum per anastomosin vel diæresin aperiri & per tantam ebullitionem sanguis in ventriculum effundi posset, nil obstare video. In quâ sententiâ confirmor à Thonero *l. 2. Obs. p. 140.* ubi exemplum refert è Valverdâ desumtum de Cardinale Cibone, qui vomitu sanguinis extinctus & apertus, in cujus abdomine videre licuit: Ventriculo compresso lienem turgescentem, è contrario liene compresso copiosum sanguinem per vas breve in ventriculum restagnare. Quod meâ quidem sententiâ omne dubium diluit.

(*D. G. Ch. VVinclerus.*)

OBSERVATIO XLIX.
D. DANIELIS WINCLERI
DE
VOMITU SANGUINIS A MENSTRUI RETENTIONE.

Vidua juvencula, constitutionis macilentæ, retentione menstruorum laboraverat quam cum illa celavit, & tantum de ventriculo conqueritur, per noctem incidit in nauseam, & per vomitum magnam partem sanguinis floridi evomuit in ipsam cameram. Ego manè sanguinem respiciens, & de omnibus diligenter inquirens, menstruum retentum in causa fuisse animadverto, dirigo huc igitur curam, nec infeliciter. Menstruis enim rursus apparentibus, non ampliùs visus est hic vomitus. Illa interim nupsit iterum & aliquoties peperit.

SCHOLION.

Optimè divinus senex *aph. 32. l. 5.* dicit: Mulieri sanguinem evomenti,

 menti,

menti, menstruis erumpentibus, vomendi finis. Cujus oraculi veritas vel ex hac observatione elucescit. Sed per quas vias id fiat, non unicuiq; liquet, cum ab utero ad ventriculum nulla sit via. Cum vero sanguis superfluus in venis retineatur, & ipsi exitus consuetus denegetur, necessum est ut ebulliendo regurgitet ad superiora, & nunc per hanc, nunc per aliam viam à naturâ oneratâ expellatur. An verò è venis mesaraicis in intestina, & per illa in ventriculum, vel per vas breve, ut præcedente scholio dictum, in ventriculum influat, non facilè affirmare audeo, donec per avtopsiam, sc. sectâ & apertâ personâ tali malo sublatâ, hujus rei certior evadam.

(*D. G. Chr. Winclerus.*)

OBSERVATIO L.
D. DANIELIS WINCLERI
DE
EPILEPSIA COECITATE SOLUTA.

Civis quidam honestus, constitutione melancholicus, subitò in epilepsiam incidit, eâ recedente cœcus remanet per dies aliquot. Ego in consilium vocatus, scorbuticam dispositionem animadverto. Quapropter per clysteres materiam à capite revellere studeo, humorem melancholicum expurgo, antiscorbutica exhibeo; post aliquot dies visum integrum cum sanitate integrâ recipit patiens.

SCHOLION.

Crisis fuit, etsi perfecta, tamen admodum molesta. Epilepsia orta ex humoribus acribus scorbuticâ malignitate infectis, quibus in nervos opticos protrusis, epilepsiâ cedebat. Deinde materia peccans revellentibus magis magisque retracta, cum nondum fixam sedem habuerit, & tandem antiscorbuticis sale volatili gaudentibus discussa est. *Fabrit. Hildanus c.* 5. *Obs.* 5. duos ejusmodi casus refert, sc. ab epilepsiâ curatâ cœcitatem obortam, sed ab empiricis medicamentis fortioribus causatam. Etsi non videam, quomodo crisis etiam hoc loco excludenda, cum natura onere levata insurgere & reliquias molestas è corpore propellere soleat, etsi per errorem aliquando in partem nobilem sarcinam deponat. Interim tamen cum hæc cœcitas & prægressa epilepsia à scorbuto originem non traxerint, & fortassis à principio neglecta ad impactionem usque materiæ incurabilem eam fuisse dubitare nolo.

(*D. G.*

(D. G. Chr. Winclerus.)

OBSERVATIO LI.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

HERPETE BRACHII LETHALI.

Nobilis quidam senex conqueſtus eſt aliquoties de pruritu in ſummo capitis vertice moleſtiſſimo. Incidit in febrim malignam cum horrore maximo. Propinantur bezoardica, intumeſcit collum, eryſipelatode tumore deſcendente ad brachium cum vehementiſſimo calore & dolore, apparentibus veſicis ichore mordaciſſimo pleniſſimis. Pergimus in uſu roborantium & bezoardicorum; Brachio repellentia nulla, ſed extrahentia apponimus. At vires ſenſim decreſcunt, ægerq; poſt aliquot dies & ætate & morbo fractus & devictus ad alteram beatam vitam avocatur.

SCHOLION.

Criſis fuit imperfecta, etſi enim pars aliqua malignæ & corruptæ materiæ per herpetis excitationem excreta, tamen reliquiæ adhuc ſufficientes fuêre ad ſuffocandos & extinguendos ætate exhauſtos ſpiritus vitales. Calido enim nativo exhauſto naturæ quoque vires languent, ita ut in expellendo, etſi excitata & ſtimulata, tamen ſegnis evadat. De criſibus & earum cauſis hîc agendum eſſet, ſed cum ipſe *Galenus l. 3. c. 10.* Deos immortales invocet, ſe invitum de iis ſcripſiſſe, & in hiſce propoſitis anguſtiis quoque impoſſibile ſit, aliquid lectione dignum proferre, de iis hoc loco ſcribere ſuperſedeo.

(*D. G. Chr. VVinclerus.*)

OBSERVATIO LII.

D. DANIELIS VVINCLERI

DE

HYDROPE POST TERTIANAM.

Juvenis quidam tertianâ laborans, meſſis tempore in agro nimio æſtu ſitibundus aquam frigidam copioſè hauſit, hinc epate refrigerato in hydropem incidit. Totum abdomen in immenſum intumuit, adhibita aperientia & evacuantia hydragoga alternatim, ſudorifera itidem non neglecta, tandem ad diuretica animum appuli-

mus; multum per urinam evacuarunt materiæ aquosæ, in femore propè inguina prorupit materia serosa, fluxitque benè multa, detumuit, roborantibusque exhibitis integram adeptus est præter omnium opinionem sanitatem hic ægrotus.

SCHOLION.

Quantum nocet aqua frigida ex ipso *Hippocrate de rat. vict. in acut. p. m.* 379. patet. Vidus Vidius quidem *Volum.* 2. *p.* 219. hæc protulit verba: *Præter victum plurimum valent ad refrigerandos & madefaciendos febricitantes medicamenta frigida & humida, sive intus dentur, sive extrinsecus imponantur: proximè autem & nullo interjecto medio opus suum efficiunt sive tactu sentiantur frigida & humida, sive facultate duntaxat talia sint; ex internis medicamentis, quæ tactu frigida & humida sunt, efficacissima est aqua frigida, secundum Gal. l.* 11. *Meth. cap.* 9. *quæ ubi largè & præter consvetudinem bibatur, vim habet medicamenti, convenitq; febricitantibus omnibus, nisi cum febre jungatur alius affectus ipsam rejiciens, ut ventriculi imbecillitas, humorum cruditas, obstructio ac tumor aliquis viscerum.* Hactenus Vidius. Quam cautè & circumspectè aquam frigidam commendet, ultima denotant verba, & quàm rarò, præsertim apud nos, illam exhibere liceat. Nam quis ægrotans non de quatuor istis cautelis vel unicæ saltem subscriberet? Itaque vel hoc exemplo liquet, quantum ingurgitatio aquæ frigidæ noceat. Climati quidem aliquid dandum, & quod in Italiâ & Galliâ licet, certè apud nos non semper in usum trahendum. Historiam eorum, qui aquæ potu frigido periêre, videre licet apud *Marc. Donatum Hist. mirab. l.* 4. *c* 6. Et *Gal. de consvet. c.* 1. recenset historiam de Arione, qui frigidæ inassvetus, ad eam coactus, spasmo correptus, obiit.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

(D. G. Chr. Wincleru.)

OBSERVATIO LIII.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

VARIOLIS CUM PETECHIIS NIGRIS.

VAriolis epidemicè grassantibus etiam hisce correptus est puer 7. circiter annorum, ad quem vocatus circa septimum, vidi variolas paucas, petechias autem nigras innumeras, fœdum præbentes aspectum. Prognosticon de futurâ morte dedi, secuta est die sequente.

SCHO-

SCHOLION.

Noſtrates ſolent has petechias maculas mortis appellare, nec ſine causâ, iis enim apparentibus plerumque eventus triſtis ſequitur. Sed interdum decipiuntur à maculis ſcorbuticis, ita ut ſæpiùs viderim à plebe hâc de cauſâ pro conclamatis habitos feliciter evaſiſſe. Sed aliquando petechias ejusmodi nigras cum totius cutis aſperitate poſt variolas neglectas, & medicamenta ſpreta etſi ferè per menſem poſt illas ſana videbatur, exortas in honeſti viri filia vidi, quæ etiam cum prognoſtico, mortis alumna facta. Putavi materiam à variolis relictam magis magisque corruptam eſſe, donec ad tantum malignitatis gradum perveniret.

(*D. G. Chr. VVinclerus.*)

OBSERVATIO LIV.

D. DANIELIS WINCLERI

DE

PHRENITIDE APHRODISIA.

JUvenis quidam amore puellæ cujusdam ardens, cum ſpe exciderat, in graviſſimum morbum incidebat, febrem nimirum cum vehementi delirio, quo nunc ſe Cæſarem, nunc DEI Filium eſſe ſomniabatur, aciem inſtruebat, nunc remeabat, nunc vincebatur, nunc reſiſtebat, nunc ad judicium perveniebat. Tandem ad ſe rediens adhuc vibices monſtrabat, quas accepiſſe à latronibus ſe dicebat. Balneum expoſcens, quo conceſſo indies ad ſaniorem mentem rediit.

SCHOLION.

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?

Amor etſi à principio nec delirium nec melancholia ſit, tamen, ſi id, quod amat, nanciſci non poteſt, multis ſollicitudinibus & mentis perturbationibus, in delirium & melancholiam degenerare poteſt. Mœrore enim & curis melancholicos humores gigni & coacervari, neminem latet. Accedunt vigiliæ & imaginationes variæ ineptæ, ita ut vel mediantibus hiſce ſolis homo ad mentis vacillationem pervenire poſſit. Balneum verò haud ſine ratione conceſſum, exſiccatum enim corpus humectare, humores fervidos attemperare in hoc malo multùm ad rem facit. Quapropter etiam balnea à Paulo l. 3. c. 17. commendantur in hoc affecto.

 (D. G.

(D. Gott. Chr. Winclerus,)

OBSERVATIO LV.
D. DANIELIS WINCLERI
DE
HÆMORRHAGIA NARIUM.

IDem post biennium in febrem incidit, supervenit hæmorrhagia narium immodica, fluxit sanguis indesinenter, adeò ut æger ad summam virium debilitatem & mortis periculum devenerit, vocor in consilium, genitalibus epithema, internè corroborans & astringens præscribo; sistitur mox fluxus hic sanguinis.

SCHOLION.

Hæmorrhagia fuit critica & febrim procul dubio solvit, cum verò natura in excretionis quantitate exorbitaret, illam inter limites retrahere, necessum erat. Genitalibus refrigerantia applicavit, ideo quod morbi prægressi memor, seminis retentionem & fervorem haud parum ad fervorem sanguini conciliandum facere putaret. Civis fuit Bregæ, qui à retentione seminis fatuus erat, durante viduitate, uxorem nactus statim ad mentem saniorem redibat.

(D. Gott. Chr. Winclerus,)

OBSERVATIO LVI.
D. DANIELIS WINCLERI
DE
SANGVINE VERMIFORMI CUM URINA EXCRETO.

NObilis quidam vir calculosus alias misit ad me, adventum meum expectans anxiè. Venio, monstrat mihi sanguinolentum quiddam, digiti medii longitudinis, vermem repræsentans ad unguem; ipse etiam vermem per urinam se ejecisse existimabat. Ego primo aspectu ejusdem tui sententiæ, tandem patinam aquâ calidâ plenam adferre jubeo, ita enim sanguine absterso rectiùs quid rejectum me aspicere posse autumabam. Allatâ aquâ vidimus falsum illum vermem nihil aliud esse, quàm sanguinem multo muco tenacissimo mixtum.

SCHOLION.

Etsi medicus ut Argus centum gauderet oculis, tamen vix satis circumspectus esse posset, ne ipsi aliquid ab ægrotis imponatur, vel glaucoma oculis ipsius objiciatur. Egregium exemplum extat in vitâ Heurnii, ubi Lipsius rejecta viscidâ pituitâ formam intestinorum repræsentante, putavit se omnia intestina effudisse. Quem Heurnius post inspectionem bono animo esse jussit, & trophæa de morbo ipsius appellavit.

(*D. G. Chr. Winclerus.*)

OBSERVATIO LVII.
D. DANIELIS WINCLERI
DE
UTERI PROLAPSU.

HOnesta quædam fœmina primum post partum uteri laxatione vel prolapsu laborabat, ego quietem illi imperavi, uterum sensim retrudi jubeo, emplastrum adhibeo, balnea astringentia commendo, internè astringentia non negligo. Brevi convaluit, nihil de utero conquesta hactenus.

SCHOLION.

Rectè hic affectus laxatio uteri indigitatur. Uteri enim ligamenta tam facilè non rumpuntur, ut uterus totus prolabi possit. Fundus verò uteri relaxatur, ut inversus quasi saccus propendeat. Ex abortu repentino miram observavi uteri relaxationem sive prolapsum in illustrissimâ Comitissa quâdam, ubi non saltem uterus inversus propendebat, sed etiam simul intestinum rectum detrudebat exterius, ut duplex videretur procidentia. Obstetricem accerso, & malo optimè explorato ut circulum cerâ obductum utero intrudat jubeo, quo facto statim & uterus & intestinum rectum suo loco continebantur. Ablegavi ipsam deinde ad thermas. Dedi verò, ad corpus præparandum ad eas ipsi prius nodulum epotandum, in balneo autem sequens electuarium quotidiè usurpandum. Rec. conf. rof. antiq. torment. ãã ℥jß. diacyd. f. sp. ℥ß. corall. rubr. ppt. ʒß. troch. de carab. Terr. sig. spod ãã ℈j. ras. ebor. priap. taur. ãã ℈jß. conf. Alkerm. f. m. ʒj. cum syr. cydon. M. F. elect. Exterius præscripsi ungv. Comitiss. pro inunctione ventris & dorsi post balneum. Ne vero obstructiones hæc astringentia causarent, quod in thermis nocivum, addidi electuarium laxativum sequens

Rec. pulp. tamarind. passul. ãã. ℥vi. pulv. chalap. ʒj. M. de quo sæpius aliquid sumsit, cum necessitas requireret. Et hisce eam optimè restitutam deinde audivi.

(*D. G. Chr. Winclerus.*)

OBSERVATIO LVIII.
D. JOHANNIS DOLÆI
DE
PODAGRA LACTE CURATA.

Limburgi ad Lhanam degit Dominus de Wallendorff, jam diu atrocissimis doloribus podagricis excruciatus, qui tandem curâ lactis, & optimâ observatâ diætâ pristinam recuperavit sanitatem.

OBSERVATIO LIX.
D. JOHANNIS DOLÆI
DE
CUTIS TIGRIS USU IN PARTU DIFFICILI.

Principissa Nassov. Hadamarensis, Domina mea clementissima, pro arcano in partu difficili sibi servat frustulum cutis tigris, femori sinistro alligandum, quod ipsemet aliquando tentans, certum expertus sum.

OBSERVATIO LX.
D. JOHANNIS DOLÆI
DE
ARTERIOTOMIA.

Multi medici adeò abhorrent arteriotomiam, ut nec de ea aliquid audire, multò minus eam celebrare velint; Ego possum testari, quod intra unius anni spatium plus decies tundi curavi arteriam temporalem felici cum successu, in phrenitide, vertigine, capitis dolore contumaci, in melancholiâ hypochondriacâ, &c.

OBSERVATIO LXI.
D. JOHANNIS DOLÆI
DE
VULNERUM A SAGIS ILLATORUM MIRA CURATIONE.

Decus

DEcus illud medicinæ, *Dn. Geilfusius*, dum in aulâ Sereniss. Principissæ Nassov. Dizensis, Dominæ meæ clementissimæ, essem, mihi narravit, se nôsse quendam diu jam fistulâ in femore laborantem, ex quâ omnivariæ res, linteamina, frustula chartæ, pili &c. prodibant, multis frustrà remediis adhibitis, tandem accessisse quendam, qui pro mago à vulgo habebatur, statim sanitatem promittentem. Ipse magus pulverem cineritio colore tinctum vulneri inspersit & paucos intra dies ægrum hoc pulvere sanavit. Pulvis erat, uti retulit prædictus Clar. Dn. D. Geilfus. cinis sagæ igne combustæ.

OBSERVATIO LXII.
D. JOHANNIS DOLÆI
DE
LAPIDIS HÆMATITÆ VIRIBUS.

FOEmina Limburgi ad Lhanam nimio lochiorum fluxu laborans, multa nec non optima remedia frustrà adhibuit, tandem ex consilio fœminæ cujusdam lapidem hæmatitem manu tenebat. Quid fit? Illicò fluxus sistitur.

OBSERVATIO LXIII.
D. JOHANNIS DOLÆI
DE
PRÆCOCI MENSIUM FLUXU.

HAc in viciniâ degit matrona valdè plethorica, quæ jam patitur fluxum hæmorrhoidum unà cum menstruo, quamvis gravida duorum mensium. Eadem annum nondum egressa quintum, passa est menstruum fluxum, & est mater fœcunda trium filiorum.

OBSERVATIO LXIV.
D. JOHANNIS DOLÆI
DE
MATRE FOECUNDA NUNQUAM MENSES PASSA.

HAc in regione vivit rustica temperamenti melancholici, quæ affirmabat, se nunquam menses passam esse, singulis tamen annis se gravidam fieri.

OBSERVATIO LXV.
D. JOHANNIS DOLÆI
DE
PUELLA ASCITICA CURATA.

PUellula quædam annum ſecundum ingreſſa, hic Diciis aſcite laborare videbatur. Parentes de ſalute filiolæ ſolliciti opem implorabant meam. Propinabam ea, quæ aliàs cum ſucceſſu, in hoc affectu adhiberi ſciebam; tandem etiam ſirup. de cichor. cum rhab. tartarum vitriolatum & ſpiritum vitrioli. Ab aſſumtis medicamentis hiſce ægra dejecit animalculum vivum ſerpenti ſimillimum, capite nigro præditum: ſicque priſtinæ ſanitati reddita fuit.

OBSERVATIO LXVI.
D. JOHANNIS DOLÆI
DE
LAPIDIBUS VARIAS TUM ARBORUM, TUM FRUTICUM, TUM ANIMALIUM FIGURAS EXPRIMENTIBUS.

SEreniſſimus Princeps Adolphus Schaumburgi ad Lhanam, quod eſt ſedes ipſius, puteum fodi curavit, in quo magna lapidum ſciſſilium copia, varias tum animalium, tum fruticum figuras exprimentium inveniebatur, minimusque eorum vel arborem, vel plantam, vel animal exhibet, reſervo mihi plures varios naturæ luſus exprimentes.

De hiſce lapidibus ſequentia Dn. D. Reiſelius in literis ad Collectores Ephemerid.

Miſit mihi Dn. D. Dolæus lapidis fruſtulum frutices nigellos in area lutea præſentantis, ſciſſile, fragilius & mollius Italicis illis, nec minus pulcrum, diſtinctum tamen laminis illis figuris aliâque opaciore intermediâ materiâ, cum Florentinæ aliæque per totam ſuam ſubſtantiam ſint figuratæ, promiſitque meliora majoraque.

OBSERVATIO LXVII.
D. JOHANNIS DOLÆI
DE
SUDORE CÆRULEO DEXTRI HYPOCHONDRII.

Multi

MUlti ſudorem pinguem, alii oleoſum, pars arenoſum, quidam ſanguineum & vini rubri &c. obſervarunt. Cæruleum verò à nemine hactenus annotatum credo, quem tamen Francothalii, in Palatinatu inferiore in fabro lignario melancholico, præter propter triginta annorum (una cum Expertiſſimo Dn. D. Mogio, piæ memoriæ) obſervavi, qui æger, quoties morbo, epileptico ſimillimo corripiebatur, prægreſſa vertigine cum anxietate cordis, toties in terram corruit, ſudorque cæruleus amyli cærulei (wie blaue Stercke/) colorem mentiens ſolum in dextro hypochondrio, ubi hepatis ſedes eſt, erupit, quem ſudorem linteis ſæpius deterſum uxor non mihi ſolum, ſed & aliis ſpectandum exhibuit; color ex linteis haut facilè elui potuit. Paroxyſmus bis vel ter per annum invaſit ægrum, ſudore profuſo melius habere cæpit & exinde concluſit paroxyſmum remiſſurum. Unde hic ſudor & ex quâ materia, aliorum non minus Doctorum, quam curioſorum relinquam judicio. Fateor in hiſce ignorantiam meam, aſt ſi conjecturari liceat, à bile æruginoſa deducendum putarem.

SCHOLION.

In operario artis vitrariæ Naſſovico (im Creutzwalde/) vidi ſudorem in induſio ita copioſè cryſtalliſatum & coagulatum, ſive velis ſublimatum, ut cultro poſſet abradi. Colorem verò cœruleum nuper obſervavi in fœmina, quæ ſæpè vomebat & tuſſiebat cum magna extenuatione, ſputo ſpumoſo quidem, ſed & viſcido, ita ut quaſi ſucco cyani ſeu indigo eſſet tinctus. In alio autem, vomitum copioſiſſimum lazurei ipſius lapidis colore infectum. Cujus cauſam an ab æruginoſa bile, an à ſucco pancreatico, an alius cujusdam humoris peculiari corruptione proficiſcatur, meretur meditationem.

(D. Salomon Reiſelius.)

OBSERVATIO LXVIII.

D. JOHANNIS DOLÆI DE ASCITICI EXENTERATIONE.

JUvenis, annorum 18. rem murariam exercens; in arce Schamburgenſi jam diu ſiti prægrandi imbecillitateque ventriculi laborans aſcite corripiebatur, alvi fluxu superveniente, ad plures abiit.

In cadavere à me exenterato menſe Febr. 1675. magnam aquæ limpidæ, nec non croceo tinctæ colore, quantitatem reperi, ſic & inteſtinum rectum corroſum, glandulas meſenterii valdè turgidas, & lapideam naturam indueutes, jecur flavo tinctum colore, bilem in folliculo ſuo nigerrimam ſpiſſamque, amurcæ ſimilem, ventriculum quoque pituitâ tenaciſſimâ repletum, pancreasque induratum offendi. Reliqua perſcrutari nec fœtor nec tempus permittebat.

(*Dn. D. Dolæus per literas ad Dn. D. Reiſelium, 17. Jan. An. 1675.*)

OBSERVATIO LXIX.

D. SALOMONIS REISELII

DE

NAUSEÆ ET MICTIONIS CRUENTÆ CAUSA ABDITA.

CAnis erat ejus habitus, qualis ad capiendos lepores adſueſcit, ſed multo minoris, ut ideo in gynæceo aleretur; is ſæpiſſimè & ad quemvis motum vomituriebat, ſed nil niſi mucum quandoque expuebat, crebroque cruenta mingebat, collo inſuper tumefacto & ſtrumoſo apparente. Faſtidia hæcce cum ferre amplius tæderet, immo & in cauſas iſtorum ſymptomatum inquirere luberet, animal vivum diſſecabatur, ubi poſticè arteriæ aſperæ utrinque duæ glandulæ, ovi gallinacei minoris magnitudine adnatæ comparebant, in veſicæ autem orificio, ipsâque interiore cavitate tales quoque glandulæ accreverunt, quæ omnes cruento & fæculento quodam ſucco referta erant, quod profectò nemo vivente adhuc animali conjeciſſet. Lien quoque tuberculis quibusdam cruentis intus aſperſus erat, & renes paucis puſtulis, unde nutritionis errorem præſumo.

OBSERVATIO LXX.

D. LUDOVICI HANNEMANNI

DE

INSOLITA LACTIS ABUNDANTIA.

MUlier paupercula, pane atro veſcens, undam bibens gravida; duodecim ſeptimanis ante partum tantam lactis copiam habuit in mammis, ut coacta fuerit id evacuare, quæ ſtato

dein & justo tempore sanum & benè formatum fœtum enixa fuit. *Buxtehudæ* 19. *Novemb. An.* 74.

SCHOLION.

De generatione lactis diversæ plurium & doctissimorum virorum quondam fuere opiniones, ut quidam ex sanguine lac fieri penitus sibi habuerint persuasum. Contra eos primum ingeniosissimus *Prosper Martianus* doctissimè disputavit, quem sequutus *Marquardus Schlegelius* in disputatione, *Deusingius*, & alii hactenus multi.

Alii propius scopo huic naturæ appropinquantes, chylum in stomacho elaborari autumant, cui natales suos debeat sanguis: hinc tot virorum clarissimorum de materia locoque fermenti illius in & extra stomachum generati, asserta passim ambulant, ut saltem eidem ventriculo virtutem concoquendi & fermentandi integram conservent. Sed quo id confirment fundamento, videant illi, qui etiam post obitum inanem saltem stomachum membranaceum, sine qualicunque fermenti officinâ aut scaturigine invenerunt. Cum verò præter qualemcunqve digestionem assumptæ in stomacho massæ nil fieri possit, qui deinceps se paulatim contrahens, eandem perpylorum excludat hinc post reflexum ad orificium ventriculi inferius intestinum duodenum statim individuum por cholidochi & ductûs pancreatici conjugium in oculos venit. Unde effluentes paulatim ex utroque diversi saporis & naturæ succi materiam fermenti suppeditant, bolumque ex ventriculo cibi benè digesti egredientem fermentant, qui deinde per miros tenuium intestinorum anfractus variè actus, secundum meliorem sui partem virtute effervescente peculiari separatus in chylum facessit & per mesenterium in receptaculum Pecquetianum se recipit: inde assurgens ille pectus permeat, donec in ramos axillares se insinuat, unde rursus delabitur in cor cum refluo ex hepate sibi occurrente sanguine se sociaturus. Ante vero, quàm thalamum cordis subintrat, descendens ex axillari ramus, evidenti satis itinere, in cisternam mammariam chylum mittit, unde pro ubertate illius major lactis copia provenit. Videatur præter alios *Excell. Dn. Hertodius in primo Miscellaneorum curiosorum volumine obs. VI. fol.* 25. Suprà dicta paupercula, quamvis atro saltem pane, undâque simplici corpus suum fœtu jam auctum reficere fuerit contenta, vegeto tamen inter labores spiritu vitali existente ex siligineo isto pane

bene fermentato, & in stomacho suo cum aquâ benè impastato, lactei hujus cremoris prodromum in tenuibus intestinis in chylum vertere potuit, qvi ex subclaviis tandem deorsum in mammas abundè affluxit : ut *Borellus* etiam testatur in suis observationibus, *Cent.* 3. *Obs.* 82. Quibus autem gravidis è mammis lac effluere solet, teste ipso *Hippocrate s. V. aph.* 52. fœtum illæ gestare imbecillem creduntur, ni solidiores habuerint mammas. Hoc in subjecto, ubi rite se habuére omnia, perfectus omnibus numeris infans, & incolumis tandem prodiit in lucem, in hunc usque diem vegetus & sanus.

(*D. Joh. Georg. Volkamerus, mense Febr. Ann.* 1675.)

OBSERVATIO LXXI.

D. JOHANNIS GEORGII VOLKAMERI

CADAVERIS VIRILIS DISSECTI HISTORIA.

VIr quidam illustris, sexagesimum ingressus ætatis annum conqueri cœpit de insigni totius corporis debilitate, appetitu penitus prostrato, & nocturna turbatâ quiete: pulsus erat durus, celer, urina turbida, cruda, cum sabulo rubro. Hunc Medici quidam, quòd habitûs fuerat pinguioris, rubrâ facie & hypochondriacus pro calculoso & scorbutico curarunt. Tertiâ vocatus septimanâ, Medicorum tam præsentis, quàm absentis judicium, visâ prius urinâ, explorato pulsu cæterisque, quæ Illustrissimum affecére patientem, accidentibus observatis, expendere sategi; nec propter rubram istam in urinâ arenam calculosum, nec propter sequiorem totius habitum digestionemque vitiatam, scorbuticum, quin hypochondriacum potius & hecticum eundem declaravi. Consvetâ in eo potus glacie refrigerati ratio, ventriculum non saltem debiliorem reddidit, omnemque abstulit appetitum, sed & propinque incumbentem in vesiculâ fellis bilem, lienem, non procul dissitum, pancreas, cæteraque vicina viscera mirè labefactavit; hinc licet exiguum saltem cibi assumeret, circa præcordia gravitatem, vespere virium imbecillitatem & calorem cum oris siccitate, noctu verò symptomaticum sæpè sudorem, de quibus frequenter conquestus fuit, expertus est. Sqvalebat præ ariditate inferius labium, ut tunicas inde frequenter detraxerit. Utrique igitur, tam hectico, quam hypochondriaco malo, ut commodè

modè subvenirem, unâ fideliâ duos dealbaturus parietes, suasu Galeni, balneum aquæ dulcis proposui cum optato, qui inde secutus fuit, successu. Quanquam enim tum in lecto vix se movere poterat, quarto post lotionem die iterum solus in hypocausto obambulavit. Me per aliquot dies absente, nescio cujus suasu, Illustrissimus à balneo fastidio & satietate abalienari cœpit, & internis saltem uti medicamentis deinceps decrevit. Nil ad votum fuit effectum, appetitus redire subinde cessavit, somni non caruere labore, decumbere gravius cœpit, nullo posthac ad resurgendum nisu: Alvi excreta biliosa, urina continuò cruda, crassa, interdum albidior, absque omni tincturâ comparuit: Sic paulatim ad extremum se composuit diem. Sectum per me cadaver in frequenti Illustrium virorum conspectu, sequentia notanda nobis obtulit:

Abdomine aperto lien prorsus marcidus fuit unciarum XV.

Hepar librarum civilium trium cum dimidiâ satis salvum, subtus livido colore apparuit.

Fellis vesicula omni exinanita bile fuit, lapillis siliceis diversæ magnitudinis referta, quorum major cicerem exsuperans, poro cholidocho inhæsit.

Stomachus, qualem ante excreverat, materiam mucosam, biliosam fœtentem, in exiguâ saltem quantitate continuit.

In renibus arenulæ rubræ fuerunt repertæ.

Intestinum cœcum lumbricum non male referens, quartamque ulnæ partem longitudine suâ adæquans, invenimus.

Cor unciarum IX. sub pinguedine satis copiosâ in sicco prorsus & exsucco pericardio reperimus.

Pulmones parùm livebant.

Costæ sternum cinxere prorsus osseæ, nullâque cartilagine septæ.

Cranio dissecto cerebrum trium librarum & septem unciarum benè alioquin constitutum vidimus.

Processus falciformis antrorsum cranio arctè adhæsit, ad dimidiam sui longitudinem penitus osseus.

SCHOLION.

Qvod contra aliorum de urinâ mentem, cui rubrum inerat sabulum judicarim, illud mali esse hypochondriaci indicium, eventus tandem docuit; dum renes post obitum Illustrissimi Dni ab omni calculo

culo liberi apparuere, & præter exiguas, quæ jam cum sero renes intraverant, arenulas nil prorsus notare licuit. Et cum calculum in renibus illicò morbum indigitemus, cum sæpè citra omnem in suo moretur hospitio molestiam, tum demum se prodentem, quando catarrhi delabuntur. Multos solis ad renes destillationibus miserè tortos vidi, ut nil nisi lapidem renum accusarent, dum vixerunt, quorum tandem demortuorum cadavera cum cultro examinarentur anatomico, ne vestigium calculi ostenderunt. Econtra tot alios fuisse dissectos experientia docuit, quibus & renes & vesica lapillis onerati fuere frequentibus, per omnem tamen vitam nunquam de nephritico dolore conquestis, quod si proinde levis infestat lumbos molestia, potior cura destillationum eò delabentium, quam calculorum habenda erit, ut aliorsum rapto vi purgantis medicamenti defluvio ab ejusmodi æger sublevetur torminibus. Quantum enim multis aggravatum humiditatibus valear caput, si inprimis excretiones per nares solitæ, aut circa os sphenoidæum impeditæ cohibentur, quæ deinceps per nucham deorsum affatim ruunt, pectus & dorsum, subjectaque viscera diversimodè incommodant, & ad extremos usque articulos decurrunt, cuivis conjicere facilè licebit.

Bilem antiqui excrementitiis accensuére humoribus: hos secuta recentior ætas, eandem sæpenumerò ex corpore tanquam quid bonæ valetudini incongruum penitus ejicere tentavit, ac si pro diversâ coctione nunc vitellina aut porracea, glastea, nigra & æruginosa efficeretur. Si verò sanguis humorum nobilissimus vel tota peccat substantia, vel quantitate, vel qualitate, cur non ipsa quoque bilis, quæ non minus necessarius in corpore nostro humor est, iisdem delinquere potuerit conditionibus. Ejus enim, si abundat, quantitatem adimere nimiam purgantibus; deficientem amarulentis juvare vel aliquantum restituere poterimus. In qualitate nocet, si nimis tenuis aut calida, vel si frigidior justo & vitelli instar condensata, si acris nimium & siccior, aut in lapides coagulatur, suæque in urinâ coagulationis indicia cum sabulo fecerit rubescente: vel si insipida prorsus humidaque fuerit & putrescens, quale quid in hydropicorum urinis observatur albicantibus: vel tandem, si penitus corrupta & æruginosa evadit, quam corrigere vix amplius medicamenta possunt. Bilem autem qui in corpore dixerit correspondere elemento ignis, quemadmodum calidum in corde nativum soli, anne is à veritate deviabit? Absque bile neminem vivere

vere posse, vel ipsa dictat natura. Mori illum fuit necesse, qui per crebras eam ex corpore ejecit vomitiones, adeoque illâ omninò caruit, ut ostensum fuit in *Ephemeridum Tom.* 2. *Observ.* 224. *fol.* 325. 326. Sic multos in hydropem incidisse observavimus, qui cholagogis imprudenter usurpatis bilem nimis expurgârunt, adempto scilicet elementari illo calido jecinori, quo sine collabitur & flaccescit viscus hoc atque induratur, nec vasis amplius lymphaticis, quæ Authorem suum, Magnum sine exemplo Bartholinum agnoscunt, inibique satis copiosè à dissecantibus conspiciuntur, transitus patet, unde scaturigo humidi primigenii obturatur, heparque penitus indurescit.

Calculos in vesicâ fellis toties generari, generatosque oculis anatomicorum fuisse objectos, infinita penè exempla docent, ut non amplius pro miraculo, sed morbo sint habendi. Si quis verò accuratiùs in eorundem ortum, causas atque symptomata inquireret, non parum lucis rei adferret medicæ. Quid enim aëris, aquarum locorumque occasio, quid frigidiorum nimis aut calidorum assumptio, dum vesiculæ bilis, immediatè stomacho incumbentis, prope pylorum fit legio; quid motus animi, qui hanc concitare valent, ad generationem talium calculorum faciant, facilè colligere licet: quos præsentes sæpè obscurus in dextro latere sub præcordiis dolor, appetitus prostratus, frequentes nonnunquam, statis etiam temporibus vomitiones, crassiores & liquidiores, felle permistæ dejectiones, urina malè colorata & alia haut levia produnt indicia. His, aliisque ad examen revocatis signis, tandem etiam de calculi hujus curatione foret cogitandum; sed talia virorum in Universitatibus illustrium, quibus, quàm Practicis, plus ad demordendos ungues otii nonnunquam superest, defecatioris ingenii acumini pensitanda committuntur. Ad dispositionem quandam scorbuticam, dum vir Illustrissimus vixit, inclinâsse eundem, non negârim: hujus verò decubitûs causam extitisse primariam, admittere non potui. Candida majorum simplicitas multum solatii posuit in obstructione venarum mesaraicarum, quæ toties, cum veram morbi causam indagare nequiêre, ipsis pro clypeo inservüt. Nostri seculi homines cum obstructionem istam vidissent carere suo fundamento, quæ ferè nunquam in dissectis comparuit cadaveribus, nunc ad scorbutum, sacram quasi anchoram, confugiunt, qui, quoties ex voto non succedit curatio, non saltem in abstracto, sed & in concreto morborum tinctura sa-

tis speciosa existit. Hinc illum scorbuto, hunc febre scorbuticâ, gangrænâ scorbuticâ, & vel dentium scorbuto, podagram alius nuncupare maluit, extinctum vociferantur, seque ab ignoratâ morbi causâ immunes reddere conantur. dubii rerum suarum, necnon vitæ necisque nostræ arbitri. Adeò etiamnum *ἡ κρίσις χαλεπή*, & *scorbuto plena sunt omnia.*

Hecticæ, quæ adfuit, indubium fuit argumentum, præter enumerata superiùs symptomata, consumpta omnis in pericardio humiditas, cujus in dissectione nec unius guttulæ vestigium superfuit. Hujus in febre hecticâ defunctis lymphæ absentiam sæpissimè deprehendi, cùm penitùs absumpti, antequam emigrarent, si quandoque plorare vellent, nullas ampliùs lachrymas, ceu rivulos fontis cor ambientis effundere potuerint, sed siccis saltem genis & diductis labiis miserabilem efformârint faciem Hippocraticam. Laticis hujus in pericardio existentis ubertas universo sufficit corpori pro humido isto primigenio, calidum in corde nativum circumfluente: quod, si deficere inceperit, tabidum reddi hominem necesse est. Hoc fine antiqui balneis aquæ dulcis tepidioribus, æstumque cordis attemperantibus usos fuisse credendum est, ut, quod in centro præstare nequivere, in circumferentiâ, humectando universum corporis ambitum, præstarent.

OBSERVATIO LXXII.

D. JOHANNIS GEORGII VOLKAMERI

DIFFICILEM PARTUM FACILITARE.

INter complures sterilitatis causas nulla erit potior, aut sævior, quàm dum generosa in suos ortus semina exurgere, inque lucem prodire publicam nituntur, languentis intereà naturæ vitio vanum sui desiderium relinquunt in mentibus parentum, suffocata quasi vitalique aurâ orbata. Primiparæ huic potissimum periculo objiciuntur, dum vagis partus doloribus deceptæ, ad conatus pariendi præmaturo sæpè ausu satis masculè se accingunt, contra licet strepente viarum angustiâ, nondum, ad enitendum fœtum satis matura. Multæ nationes gravidas suas balneis aquæ dulcis, antequam partus instat, immergunt, ut membra prius mollescant, & faciliùs relaxata diducantur, inunctis

insu-

insuper cum unguento altheæ, oleoque lil. alb. talibusque, ipsis naturalibus. Pleræque verò fœminæ ob insignem ventris molem cucuphas ingredi commodè nequeunt, quibus humiliori in sedili locatis sacculus herbis emollientibus, aut floribus fœni farctus, & per calidam tractus aquam subjicitur bis in die, subsequente partium illarum inunctione.

His aliisque compluribus ad facilitandum fœtus exitum, in vanum sæpiùs admissis, quid mihi eâ de re olim cogitanti acciderit, in sexûs hujus debilioris gratiam patefacere non gravabor. Fructum balsaminæ rotundifoliæ repentis, sive maris, Bauhini primæ, *Momordicæ* vulgi, jam maturum, coccineo præditum colore, & spinis quasi asperum, diu multumque contemplatus, cum in manûs volâ arctè tenerem, ille suâ sponte dissiliit, seminaque sua foràs protrusit, ut aperta rursus manu illâ seorsim projecta elaberentur. Haud inanem huic fructui inesse signaturam subinde suspicari cœpi, quæ utero materno ad pariendum jam proclvi ob quasdam tamen injurias sufflaminato divinæ instar virgulæ contingeret. Oleo proinde olivarum carnem fructus illius Momordicæ immisi, solique id expositum, virtuteque ejus satis imprægnatum, clysteriis ad unius unciæ pondus admiscui, non vano inde subsequente successu.

Id præcipuè commodi mecum exinde puerpera sensit, ut inanibus istis, vel etiam colicis doloribus discussis legitimum partûs tempus attingeret, aut verò si terminus pariendi instaret, illa fortiore nisu ad excludendum aptè fœtum feliciore infantem exitu beârit, seque à tam laborioso expeditam conatu immunem asseruerit à majoribus periculis. Fructûs momordicæ pulpam cum butyro benè mistam obstetrices aliis pinguedinibus huic fini inservientibus commodè applicabunt. Quid fructus cucumeris asinini, quid persicariæ siliquosæ, noli me tangere dictæ, levi attactu dissilientes &c. in his difficultatibus, vel etiam promovendis secundinis possint, curioso naturæ scrutatori censendum & pensitandum relinquo.

OBSERVATIO LXXIII.

D. JOHANNIS GEORGII VOLKAMERI
HISTORIA UTERI EX VIRGINE RESECTI.

IN *secundo Ephemeridum Tomo. Observ.* 226. *f.* 328. mentio fuit facta virginis, cui testes per hymenem propendentes ablati fuêre. Dum

vero tunc uterus valde tumens vi egredi cum summis circa inguina doloribus conaretur, chirurgo ad id accito author fui, ut immisso per myrtifoliarum carunculárum circulum specillo antrorsum secundum longitudinem incisionem pararet, zonamque virgineam solveret, ut via prorumpenti isti moli pateret. Ille vero me absente, ignarus talis ἐγχειρήσεως, cum ullius virginis claustra nunquam aspexisset, speculo matricis violentam tentavit divulsionem, quæ etiam non sine dolore & quadicunque hæmorrhagiâ fuit secuta, remanente interim, suumque in locum se recipiente utero. Ad quinquennium virgo illa ab omni incommodo libera vixit, quo exacto tempore denuò graviter decumbere cœpit, & tensivo circa pudoris sinum dolore, miserè afflicta, chirurgo prædicto jam satis sublato, virum alium ad curationem admittere noluit, seque juratæ cuidam fœminæ commisit: quæ ductui nostro parens felicem ipsi opem attulit. Prominebat tandem pugni minoris magnitudine uterus admodum inflatus, in sinistrâ regione introrsum vaginæ arctè adhærens. Fœmina adsistens digito paulatim per aliquot dies separare eundem studuit, cui tunc à latere vaginæ divulso funem injecit, & propè cervicem ligavit, indiesque sericum fortius constringens, paulatim tumorem istum diminuit, post quatuor septimanas corrugatam quasi & demortuam istam massam, quæ ficûs instar compressæ apparuit, deciduam effecit. Formam uteri nondum defloratæ omninò referebat, sed cavitate carebat, quæ suspensum, utrum id corpus verus uterus esset, me tenuit. Cùm verò & loci, unde propendebat, conditio, & præcedens utriusque testiculi amissio, & liber circa tumorem eminentem ambitus, mirusque qui ante prægressus fuit cum collo uteri malè affecti consensus, siquidem circa laryngem consimile denuò ulcus æquè fœtens hoc morbi tempore adfuit, in unum conspirârint, tantò confirmatiorem me reddidêre, naturam sarcinam matricis inutilem, maleque conformatam foràs voluisse protrusam, quæ nihil unquam frustra fecisse voluit. Tamdiu stabit hæc ipsa sententia, donec tandem è vivis abierit, quæ tunc dissecta contrarium docere poterit. Longævïores autem alias utero privatas sæpè observavi fœminas; hæc ipsa, post amissum sexus fœminini characterem, ab anno hactenus vegeta & incolumis vivit, quæ citra culpam suam non amplius virgo, nec mulier, nec deflorata audit, sexum alioquin meliorem semper aversata.

* AD OBS. VI
N°. a.



IL f

OBSERVATIO LXXIV.

D. CHRISTOPHORI LIPSTORPII

DE

VITULA BICIPITE, ANNO LXXIII. STADÆ NATA.

PErpulchræ monſtroſæ vitulæ bicipitis iconem transmitto, cujus ſceleton aſſervatur in muſeo noſtro. In occipitio unicum ſolummodò obſervavi cerebellum, huic impoſita erant duo cerebra meninge interſepta & diſtincta, quatuor habebat nervos opticos, quatuor oculos, quorum bini in fronte coaliti in una orbita perpulchrè & diſtinctè erant poſiti, una ipſi erat trachæa aſpera, item gula, lingua circa palatum erat una, poſtmodum bifida, ad utramque oris partem excurrebat.

(E literis ad D. Ludovicum Hannemannum datis, & inde ad Dn. D. Volkamerum transſcriptis.)

OBSERVATIO LXXV.

D. GODOFREDI SCHUBARTI

DE

AQUA SUBMERSIS, RESPONSUM ad Obſ. 20.

ARduum ſanè & audax opus eſt, animi ſenſibus abyſſum maris perveſtigare, & mente concipere, quid ibi agatur? Imò ut planius dicam, quomodo hominis mari ſubmerſi vita conſervetur, ut ſoſpes extractus reviviſcat. Id ipſum *nobiliſſ. & præcellentiſſimum Dn. D. Langelottum* permovit, cum relatione aliorum quendam in aqua per ſedecim integras horas, erecto & rigido corpore, exortâ bullâ amplâ præ ore, ſtetiſſe, tandem extractum revixiſſe, adhibitis convenientibus: Nec non mulierem per triduum aquæ ſubmerſam à morte ſimili modo liberatam; Itidem juvenem ſeptendecim annorum ſub aquâ demerſum ſeptimâ demum ſeptimanâ ſine vitâ repertum, & in vitam revocatum fuiſſe, percepiſſet. ut per literas ſupra modum humanas quæſierit; *Qui fieri poſſit, ut homo ſine aeris beneficio tamdiu ignem vitalem in aqvis gelidiſſimis & multo nitro refertis, ſervare poſſit.*

Notum autem est tritum illud: Cor est primum vivens & ultimum moriens; scilicet à quo omnes nobiles facultates & functiones vitæ humanæ dependent, sustinentur & destruuntur, unde *Piccolominæus* inquit: *Cor primo vivit, vivens semper fervet, fervens agitatur.* Quibus innuere videtur, cor naturaliter à se moveri; cum autem nihil moveatur, nisi etiam quiescat, hinc cordis naturales & nobiles functiones resultant, nimirum *Systole*, seu motus proprius & naturalis cordis, quo ventriculus dexter, repletus & dilatatus, se contrahendo in pulmones per venam arterialem sanguinem effundit, & *exspirationem* efficit; postquam verò sanguinem cor ita ultrò deposuit, & ad pristinum naturalem statum rediit, quiescit per momentum vix sensibile, interim descendens diaphragma detrahit tensione quâdam nexuum pulmones, tunc disjunctis annulis trachæa dilatatur, & inspirando aëre impletur; interim dum *inspiratio* fit, vasa pulmonalia constringuntur, & sanguinem, qui retrò in ventriculum dextrum remeare non potest, in sinistrum impellunt, unde *Diastole*, & sic vicissim: adeò ut cordis constrictio sit causa inspirationis. Hinc *Aristoteles*; Pulmonum motus principium à corde esse; & *Hoffmannus in Galen. lib. 6. de usu part. Cor est causa princeps motus, pulmo sequitur motum cordis, thorax motum pulmonum*; nec non *Cæsalpinus lib. 5. qu. Peripat.* 5. respirationem à corde fieri ostendit. His ita prælibatis, patet, quoties cor movetur, toties pulmones etiam moveri, ita, ut quot fiant systolæ, tot expirationes, & quot diastolæ, tot inspirationes, quamvis isti motus nonnunquam à quavis interna, vel externâ causâ augeri, imminui, vel totaliter inhiberi possint, unde respiratio vel sensibilis, id est, quæ copioso aere indiget; vel insensibilis, cui sufficit aër, qui intra os & fauces reperitur, oritur. Sensibilis sæpè clausis ore & naribus sine noxa impeditur, sed non insensibilis, quæ tandem diu retentâ respiratione cessat, ut mors illicò sequatur. Itaque tot fiunt respirationes insensibiles, quot motus cordis. Hinc *Scherbius apud Hoffmann. l. c. C* 7. Vivunt, *inquit*, quidam sine respiratione, id est, motu illo thoracis visibili, sed non sine usu respirationis, qui nihil aliud nisi insensibilis respiratio, quæ insensibili & ferè imperceptibili cordis arteriarumque motu conservatur, à nonnullis transpiratio dicta, sine quâ nemo sec. *Galen. lib. 6. d. loc. aff. C.* 5. ne per momentum vivere potest; sine illâ verò, scilicet sensibili aliquis non ad horas saltem, sed & ad plures dies vitam protrahere

trahere poteſt. *Eodem l. c. teſte* : & *Avicenn. l. Text. 2. Tr. 5. C. 12.* Quia ignis vitalis, ob alicujus morbi, ſeu alterius cauſæ violentiam, ad extremam debilitatem deveniens, non indiget,tantâ refrigeratione, ut neceſſe habeat pulmonum, aliorumque ad reſpirationem concurrentium inſtrumentorum motu, vel officio refrigerari, ideò hujus reſpirationis privatione, vel inſenſibilitate mortuus à vivente vix diſtingui poteſt. Etenim, qui ex terrore in ſyncopen labuntur, pulſu & reſpiratione plerumque privantur,teſte *Gal. lib. 2. d. Symptom. Cauſis c. 2.* & *lib. de Tremore C. 3.* ut attoniti evadant, quod *idem in l. 7. Aph.* 14. congruè expreſſit; quippe hoc *Platero* confirmante *l.* 1. *Obſ.* qui fœminam, præter alios *l. c.* commemoratos, aquis per horæ quadrantem ſubmerſam, frigore penè enectam, tandem deprehendit, ob terrorem mortis animo defeciſſe,tamdiu deliquio durante,donec è flumine extracta, refocillata fuerit.

In ſyncope autem cordis motum imminui, & ſubſequenter reſpirationem ſenſibilem, non verò inſenſibilem, abeſſe, donec cordis motus vel per ſe, vel adhibitis convenientibus, augeatur, & iterum vita illæſa redeat, per ſe manifeſtum eſt, ut nulla probatione egeat. Porro ſe ſæpè in ſyncopticis & hyſtericis obſervaſſe idem ait, quod per integram horam, nec pulſus, nec reſpirationis ſenſibilis vel minima indicia apparuerint, quæ tamen poſteà ſine vitæ jacturâ redierint. Fiuntque ſic affecti, etiam dum inſenſibiliter vivant, tam frigidi, *auctore Galen. l.* 1. *d. præſag. ex Pulſ.* 4. ut intenſiſſimè rigeant,accedente præprimis causâ aliquâ externâ, ita ut, (velut *Plutarchus* docet) novacularum aciem hebetare ſoleant. Itaque non exigui momenti eſt terror ipſe, qui ejuſmodi homines in præcipitio conſtitutos corripit, quippe nonnullos & ex hoc ſolo extinctos, & ſubito ſuffocatos eſſe, patet in iis, qui à fulmine tanguntur, ii enim multo antè ex terrore, quam fulminis vi intereunt. Sic terrore interdum afficimur, ut non recordemur horum, quæ in ipſo terrore geſſerimus,quia extra ſenſus præ terrore trahimur, docente *Galen. l. 2. de Motu Muſcul. C.* 6. Quandoque etiam contingit, homines ex violentia animi paſſionum extra omnem vitæ ſenſum rapi, ut ne minimum vitæ ſuperſtitis ſignum præ ſe ferant, ex quo pro vivis æſtimari poſſint, hinc factum eſt aliquando, ut vivi pro mortuis elati fuerint, annotante *Schenkio l.* 1. *Obſ.* 8. aliiſque.

Cognita

Cognita igitur respirationis causâ principali, & modo, restat, ut quæstionem supra propositam excutiamus; Igitur, etsi sanguinea & perfecta animalia, ex his autem homo præcipuè, commodiùs aërem aquâ inspiret, quâ scilicet sola aquatilia & frigidiora gaudent, fruuntur, & se tuentur: Attamen, ut supra dixi, cum ignis vitalis à causâ violentâ quâcunque oppressus, & ad extremum ferè debilitatus, tantâ refrigeratione non indigeat, ut necesse habeat pulmonum officio refrigerari, hinc firmiter mihi persuadeo, homini, aquis submerso, nondum verò suffocato, sed ex terrore in syncopen lapso, vel apoplectico vel hystericæ non dissimili, insensibiliter tamen spiranti, & extra vitæ sensum rapto, per totum rigido, aquæ vapores & halitus Ⓝtrosos pro caloris tam exigui, aliàs sec. nat. fortis, nunc saltem oppressi, spiritumque pabulo sufficere, eumque sat commodè saltem aquæ attactu appulsuque, Ⓝtrosæ seu balsamo naturæ refertæ sustentari, ut eò magis resistere, & insensibiliter vivere possit, accedente præprimis corporis habitu firmo, pectoris latitudine, juventute & virilitate, quâ spiritus & calor adhuc superabundant, vel cui fortè natura benignior anastomoses in corde pervias formavit, ob quas, ut in utero, liberè sine motu pulmonum sensibili sanguis moveatur, ita ut non aliquot horas tantùm, sed integros dies, imò post triduum aquis immorari possit. Hoc artificio naturali urinator Siciliensis, annotante *Cardano lib. 2. de Subtilit.* ternis ac quaternis horis sub aqua latitavit, & in India occidentali urinatores margaritarum ostreis venandis avidi, passim per integram horam sub aqua commorantur, imò Ægyptii non minùs perfectissimi, urinando per aliquot horas deprædantur, teste *Nicol. Christoph. Radzivil. descript. Peregrinat. Hierosolym.* Non absimili modo aquæ submersi vitam sub aquis conservant, ut salvi pro mortuis extracti, & refocillati, reviviscant, attestante insuper *Zachiâ quæst. Med. legal. C. 79. l. 4.* qui juvenem flumine per horam submersum, deinde extractum, aquæ copiam emisisse & revixisse; & *Alexand. Bened. lib. 10. c. 9. de curat. morb.* in undis submersum, post 48. horas recreatum, itidem revixisse, observarunt: ejusmodi plures casus qui desiderat, videat *Borell. Cent. 2. Obs. 12. Barthol. Cent. VI. H. A. 68. Schenk. lib. 2. Obs. 1. Camerar. Syllog. memor. cent. 13. p. 1. nec non Sachsii Ampelograph. lib. 2. sect. 6. m. 1. c. 1. ex à Castro MSS. Obs. de resuscit. in aquam delaps. §. 30. &c.*

Aqua

Aqua gelidissima nitrosa, cujus in propositâ quæstione mentio fit, consideratis supra dictis, nil præterea fermè contulit, nisi quod rigiditatem, ob quam & erectus substitit, oppressione ignis vitalis, extremorum & totius stuporem induxerit. Mora autem diuturnior superstite vitâ, robur ignis vitalis, habitum corporis robustum, juventutem seu virilitatem &c. In quibusdam fortè, licet rarò, ut supra dictum, anastomoses in corde pervias, quibus, ut in utero, liberè, sine motu pulmonum sanguis moveatur, arguit. Et cum plerique ob cohibitam potiùs respirationem insensibilem, quàm ob ingestæ aquæ copiam suffocentur, bulla ori adhærens, imò aër in eo contentus, respirationem dictam fovere, vitamque tueri & conservare potuit.

(*Ad Collectores Ephemer.* 15. *Martii* 1675.)

OBSERVATIO LXXVI.

ANONYMI

DE

SUBMERSIS SVECICIS

Responsio ad Præcellentissimi Dn. D. J. Langelotti Obs. 20.

De submersis & ab aquarum suffocatione præservatis liberatisque, quod Magnif. Tua meam sententiam requirit, id potius benevolentiæ erga me summæ acceptum refero, quàm, ut ideò mei judicii acumini quicquam tribuam. Id enim, quo magis imbecille sentio, eò magis arduum & abstrusum resolutionis argumentum deprehendo. Jussu tamen Tuo, testandi solùm obsequium & observantiam, paucissimis expedire conabor conjecturam meam, censurâ Tuâ fretus, & exquisitiorem enodationem absolutamque decisionem ingenii sagacitate felicitateque præstantioribus meritò relinquens.

Quemadmodum verò totum negotium minorem difficultatem sine dubio pateretur, si inter Anatomicos certiùs de iis controversiis, quas hodienum de naturâ, causis, instrumentis & modo respirationis foverunt, conveniret; quas *Bartholini*, *Malpighii*, *Græfii*, *Swammerdamii*, *Mayowii*, quivè hos proximè accedunt, exerceant atque componant: Ita pariter propositorum trium casuum

M decla-

declarationi multum lucis conferretur, si specialiores circumstantiæ inprimis in secundo & tertio submersorum exemplo, annotatæ fuissent aut annotari potuissent. Hæc ideò cum tantò majori difficultate involvantur, imò ibi aliquod naturæ vires superans adminiculum intercedere videatur, in medio nunc relinquam, atque de priore submerso solummodò agam.

Quò verò breviori viâ ad scopum tendam, præsupponere libet:

1. Cohibitâ respiratione aliquem vivere ad tempus, benè etiam longum, posse, modò sanguinis motus & circulatio, saltim particularis, in vasis, inquam, majoribus & vitalibus non supprimatur, etiamsi valdoperè langueat, exemplo nimirum eorum, qui ab affectione hypochondriacâ & uterinâ suffocari dicuntur; aut etiam, cæteris paribus, ab embryone & pullo in ovo.

2. Abolitâ omni circulatione sanguinis nec respirare ullo modo, nec vivere posse hominem.

3. Respirare aliquem satis diu posse, prout quisque ampla & robusta organa obtinet, atque insuper assvefactione habitum, retinendi spiritum, sibi conciliaverit, nullo quamvis sensibiliter attracto aëre, hoc est, ore clauso, vel etiam naribus: Tunc enim aëris in ultima inspiratione attracti, admodùm probabilem, & vel maximè insensibilem in pulmonibus circulationem celebrari crediderim, uno saltim lobo sese aliquomodo constringente, altero solo semet sublevante, & intereà aerem expirandum, recipiente, iterum iterumque vice inspirandi aliàs subministrandum. Ut hinc quoque sapientissima Creatoris providentia celebranda veniat, quæ utrivis pulmoni binos in homine lobos esse voluit, sine dubio, ut aerem respiratione necessarium, aliquando sine respiratione, intra se conservare, sicque se ab injuriis cum aere recipiendo illapsuris, vitæque noxam illaturis tueri queat: immò etiam ut homo cursum similemvé laborem alium tantò pertinaciùs perferre possit. Eademmet causa videtur, quod animalia bruta ternis prædita sunt lobis, quippe ad duriores labores, concitatiorem cursum &c. apta nata. Hinc cursores ut pernicitate valeant, os strophiolo obturant, ut circulationi aeris spatium in ore faciant, pulmonum capacitate solâ ad emetiendum suum terminum non suffecturâ. Non allegabo tubicines, qui semel haustum largiùs aerem ita intra pulmones condere assveve-

ſveverunt, ut idem ſatis diutinæ ſonituum protruſioni ſufficiat. Eodem beneficio uti ſvevere, qui cantuum longiſſima modulamina inter multivarias vocis intenſiones remiſſionesque ducendi artificio ſunt celebres.

His præſuppoſitis, ſi quicquam ponderis ineſſe poteſt, conjicio in *ſene illo 16. horas infra aquas detento*, ut viveret.

1. circulationem ſanguinis non fuiſſe deſtructam, licet in extremis & externo corporis ambitu totus obriguerit; quin potius idem ipſi accidiſſe, vero ſimile, quod vino ſolet meraciori, intenſiori gelu expoſito, ubi melior pars in meditullio concentratur nec congelari ſolet. Cum igitur ſenex ſexageſimo quinto anno adhuc benè valeat, octodecim retrò annis (quando demergebatur) tanto vegetiorem fuiſſe, adeoque ſui encraſiæ ſanguinis beneficium gelidiſſimis in aquis vel maximè expertum eſſe probabile ſanè eſt.

2. Eidem ſeni nec reſpirationem fuiſſe planè prohibitam, ex conſervatâ ſub undis vita, nec non iis, quæ ſuprà innui, ſubſumptu facilè eſt.

Accedit, quod bulla os obſidens, tum obſtitit ne aquæ in os, vel ipſos etiam pulmones irruerent, ſpiritumque vel protruderent, vel ſaltem intercluderent; tum juvit, ut pulmones intra ſe conſervatum aerem tutò & continuò reciprocare poſſent; nec non quò ventilatione eâ, utut debili & imperceptibili, ſanguinis concentrati calor & motus conſervaretur, ſenſu inſuper non omni deperdito.

3. Omnium certiſſima conſervationis tam diutinæ cauſa, ex conſtitutione, præcipuè conformatione pulmonum, nec non ipſius cordis deſumi poſſet, ſi tam acuti eſſemus oculis, ut vivi hominis exta, intra corpus contenta, luſtrare liceret, quod ſæpius quidem Medico optandum eſſet, Zoili tamen deteſtatâ dementiâ. Operæ itaque pretium fieret, ut vel magiſtratus mandato, poſt ſolutum naturæ debitum, hominis iſtius cadaver anatomicorum permitteretur inquiſitioni, qua dubito procul manifeſtiores cauſæ oculorum manuumque fide confirmatæ venirent, & inprimis numné cordis foramen ovale adhuc pervium, quod, annotante anatomico, non minus ob ætatis ſenium, quàm eruditionis expertiſſimæ ac incomparabilis, jugiter venerando, magno *Bartholino in Anatome noviſſimè renovata, p.* 410. ad 30. uſque annum aliquando in homine patens repertum eſt, & in ſene Patavino ſemet

illi vidisse testatur; quodque in brutis præter quædam alia præcipuè amphibiis, ut castore & avibus aquas amantibus, anate, buteone, cygno &c. semper patere solet: aut saltim membranulâ connivente obductum fuerit. Intereà hujus rei certitudo fortasse eò major deprehendi potuisset, quo enormiora exempla mulier tribus diebus & senex septem septimanis demersi extiterunt, quorum jam tum vitâ defunctorum cadavera meritissimo, curiosâ sectione pervestigari debuissent.

De modo, quo bulla ori adnata fuit, si sollicitis esse lubeat, existimem, 1. aquam, tum nitro fœtam, adeòque suo modo pinguem lentamvé, tum frigore densam materiam, halitum expiratione demersi protrusum formam suppeditâsse; quod probatione adeò non indigere videtur, cum puerorum experimentum, ex aqua lixiviosa bullas fingentium, analogiam aliquam suppeditet. 2. Positum demergentis corporis occasionem præbuisse. Nisi enim perpendiculariter homo descendisset, eundemque h. e. erectum positum servasset, bulla vel non nasci vel saltim non ita pertinaciter adhærere potuisset. Simile quid aliquando contigisse mihi memini (& fortâsse cuivis cæteris paribus id tentanti continget) ut dum vasculum vitreum strictioris longiorisque colli (ein Nonnen-Glaß) in aliud vas altum aquâ plenum rectà (i. e. sursum verso orificio) detruderem, subitò orificium bulla occupavit, nec guttulam aquæ admisit, quamdiu perpendiculari hoc positu vitrum detinerem; quamprimùm verò vitrum paulisper inclinarem, bulla extemplò recessit, atque aquam protinus admisit.

Quæri insuper hîc posset, quî factum, quo minus aqua per nares se insinuârit, & sensim sensimque tot horarum spatio confluens, hominem suffocârit? at probabile videtur maximè, nares à frigore mox contractas & congelatas fuisse, ut aquam deinde non admitterent.

Cæterùm, quoad conservationem respirationis *& motus in sanguine*, peculiare quid ipsius aquæ nitrositatem contulisse, non adeò absurdum videri potest, si ingeniosissimi *Mayovii* mentem, quam *tractatu de nitro & spir. nitri aereo* fusè satis & doctè exposuit, sobriè huc referamus; nec non quæ *Tr. de Respiratione p. m.* 300. 301. & inprimis 305. §. *itaque existimare &c.* &, *quapropter &c.* subministrat, ubi *salem aereum nitrosum respiratione attractum, autorem & restauratorem motus in sanguine constituit, atque tam diu hominem sine respiratione vivere posse,*

posse, quam diu particulæ hæ salinæ à sulphureis in sanguine non subiguntur & assumuntur, statuit. Immò superpondii loco adscribere juvat verba laudatissimi Autoris è *Tr. de respiratione fœtus in utero & ovo p.* 323. *Prout quisque magis aut minus se exercuerit, ita respiratione intensiore, aut non nisi remissiore opus habet. Et utique in affectibus soporosis, in quibus functiones animales penè cessant, respiratio tantum non suppressa esse videtur.*

Quocirca cum fœtus in utero & ovo, ab omni ferè motu præter unicum illum cordis, ferietur, particularum nitro-aërearum penus minutior, à materno sanguine arterioso, aut ab ovi liquoribus (quidni & in aquâ tali nitrosâ submersis) *suppeditatus, eidem pro modulo suo abundè* (aliquandiu) *sufficit.*

Denique ab ejusmodi insolentibus exemplis, naturam superans facultas, i. e. omnipotentis Dei providentia, (nam præstigias & illusiones Dæmonis, quicquid valeant, ne nominare quidem volumus) minimè excludenda, quam apud *Esaiam Prophetam c.* 43. ipse DEUS celebrat atque commendat: *Ne timeas,* inquiens, *cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient* (vel juxta Germ. Interpr. non suffocabunt) *te.*

(In literis ad D. Langelottum mense Mart. Ann. 1675.)

OBSERVATIO LXXVII.

D. GEORGII ABRAHAMI MERCLINI
DE
EPILEPSIA RECURRENTE, A SINISTRI PEDIS POLLICIS LÆSIONE ORTA.

JUvenis erat opificis discipulus, nomine Magnus Carol. Wissend/ XVIII. circiter annorum, sani aliàs corporis & optimi temperamenti. Is in sinistri pedis pollice dolorem sensit ex reflexi unguis compressione, indeqùe prognato in circumsitâ carne tumore ortum. Hinc chirurgum accersit, qui, postquam varia remedia incassum adhibuit, tandem d. 15. Januar. anni hujus 1675. ad sectionem devenit; quâ factâ animo actutum linquitur patiens & paulò post, cum intereà chirurgus vultui ejus frigidam reficiendi causâ aspersisset, convulsivis motibus, abominabili spectaculo concuti incipit, qui eum ab illo tempore usque in hunc diem quotidie semel

mel, bis, ter, sæpiusvé immaniter etiamnum exagitant, dum artûs suos nunc flectere, nunc extendere, nunc antrorsum, nunc retrorsum, nunc sursum velocissimo jactu se projicere, nunc corpus in gyrum movere, nunc affectam partem ori admotam exosculari, nunc eam velut inde per suras ascendentem auram cohibiturus levi manu tractare ac demulcere; nunc alios varios mirabiles gestus pantomimi ad instar formare cogitur. Sentit enim misellus ab affectâ parte auram quasi quandam velut futuri paroxysmi præconem per totum pedem in abdomen perreptare indeque porrò per spinalem medullam in caput ascendere factâque in eâ multâ rotatione frontem occupare, ad quod ipse primum antrorsum præceps ingenti saltu ruit & deindè ipsâ hâc epilepsiâ miserabilem in modum corripitur, continuo interim seroso quodam ichore ex affecto pollice exstillante, frustraque hactenus tentatis probatissimis etiam aliàs remediis. Rarum profectò exemplum! illique non adeò absimile, quod *Galen. l. 3. de loc. aff. c. 7.* de puero XIII. annorum; vel *Heurn. Comment. ad Aph. 7. sect. 5.* de juvene quodam annotavit, quibus *Willisii* sententia de particulis elasticis non malè roborari posse videtur.

(*In literis 17. Martii Vratislaviam 1675.*)

OBSERVATIO LXXIIX.

D. CHRISTIANI MENZELII

DE

SUDORE LUTEO AB ASSUMTO RHABARBARO.

ANno 1649. cum ex Borussiæ Academiâ Electorali Regiomontana me contulissem Dantiscum medicinæ Candidatus, primo statim die, cum eò venissem, horâ quartâ pomeridianâ, febrili horrore obrutus decumbere coactus fui. Cumque incertus adhuc essem de natura febris, nihil quicquam medicaminis sumpsi; sed noctem subsequentem calore satis acri ad usque sudorem paroxysmum finientem peregi. Manè ἄπυρος resurgens obivi munera mea. Tertia die, cum febris eâdem horâ pomeridiè me invasisset, cum calore p. n. noctu in sudorem determinante, iterumque subsequentem diem sine ulla febre transegissem, judicavi me tertianâ intermittente

tente laborare. Postero die manè hora 5. adhuc in lecto jacens ipsemet mihi medicus sumpsi pulv. *rhabarbari opt.* ℨj. cum pauxillo vini, nullo admixto alio ingrediente, quo bilem, tertianæ vulgò causam, per alvum deturbarem, brevi pòst subitò mador aliquis toto corpore erumpebat. Ego omnibus lecti integumentis à corpore devolutis, ex lecto ocyus exsiliebam, ne sudor aliquis subsequeretur. Fore enim judicavi tunc, tantum abesse, ut purgaret rhabarbarum bilem, ut potiùs sudore isthoc medicamenti virtus impediretur. Verùm licet ego indusio interiore saltem tunc vestitus essem, illudque ventilationis causa quoque exuissem, sudor nihilominus universalis ex toto corpore adeò copiosè promanabat, ut diffluere totus sudore viderer: nec erat medium declinandi istum. Cogebar itaque relinqui naturæ conamen, eodemque indusio sudorem abstergere, penitus rhabarbari (quod notandum) odorem subluteumque colorem referentem. Hoc sudore post integram horam finito, nullum posthac paroxysmum febrilem persensi, sed à tertianâ mea liberatus, vegetus ad negotia mea accessi. Etsi autem quivis forsan diaphoresin hanc primo intuitu rhabarbaro adscribere vellet; ambigere tamen non nemo posset, utrum sudor ille non primariò acciderit ob naturæ motum vitiosos humores febrisque causam crisi quadam ad ambitum corporis foràs eliminantem, vel ex aliâ quapiam causa. Qua de re judicium cuilibet integrum relinquo.

(*In literis 7. Aprilis Vratislaviam 1675.*)

OBSERVATIO LXXIX.

D. JOHANNIS SIGISMUNDI ELSHOLTII DE *BADIANI MOSCOVITICO.*

INgens anisi genus in Insulis Philippinis nasci, traditum jam literis est à *Carolo Clusio lib. VI. Histor. plantar. rarior. c. 25.* addita etiam stirpis icone. Insulanis illis *Damor* nuncupatur, *anisum peregrinum C. B. exoticum, Parkio.* Atque ejus quidem fructus angulosus cum inclusis granis singulis, valdeque levibus ac splendentibus ante hos XV. annos nomine anisi Canadensis mihi à rei herbariæ indefesso, dum viveret, cultore & Professore Lipsiensi Exc. Dn. D. *Leonhardo Ursino* communicatus fuit. Plura hactenus super hac planta, ejus diversa patria aut usu rescilcere non licuit.

Postea-

Posteaquam verò ex legatione sua Moscoviticâ anno 1674. in aulam nostram Nob. atque Amplisſ. Vir. D. *Joachimus Schultetus*, Serenisſ. Elect. Brandeburg. Consiliarius & Cameræ Neomarchicæ Administrator, reverteretur, afferebat is secum seminis illius satis magnam vim, titulo *confecti Badiani ex Siberiâ.* Admodum autem familiarem ejus usum hodiè esse in aulâ illâ Rhoxolanâ, atque usurpari non tantùm à magnatibus cunctis, sed ab ipso etiam Czar, sive Magno Duce, affirmabat. Masticant scilicet mane jejuni unum vel alterum pericarpium, sugendo inde essentiam tantummodò sive substantiam succosam; quod restat, aut exspuunt, aut deglutiunt. Mirè hoc pacto roborari caput asserunt, & vertiginem præcaveri. Porrò verò ex semine eodem *spiritum* moschi eliciunt, qui ad nostram *aquam vitæ anisatam*, ut vocant, proximè accedit. Sorbent hunc ad dictos usus non tantùm, sed prætereà âd expurgandum pectus à pituita & ventriculi promovendam coctionem. Quin & contra vertiginem temporibus illinunt.

Insuper, ne hoc obiter reticeam, *Rubi Idæi* tam uber ibi proventus est, ut *Rob* inde Russi conficiant, quemadmodum nos ex cerasis. Ejus scatulas aliquot insimul apportaverat idem Dn. Legatus: sicut & semina *malorum* ibi nascentium, quæ cum inter bellaria frequenter sibi apponerentur, carnem ipsorum *pellucidam* prorsus esse, non sine admiratione observavit.

OBSERVATIO LXXX.

D. JOHANNIS SIGISMUNDI ELSHOLTII

DE

OVO PRÆGNANTE,

Limonem citratum gravidum pinxit & descripsit Floræ Pomonæq; delicium *Jo. Bapt. Ferrarius l. 3. Hesperid. c. XIX.* itemq; malum aurantium fœtiferum *l. IV. c. VIII.* neque error hic subest naturæ aut lusus: sed constantia, etiam speciem servans. In lapidum genere prægnans quoq; ætites est, & nuper admodum analogum quid in regno itidem animali mihi observare contigit, dum Generos. atque Consultissimus Vir, Dn. *Carolus Mieg*, Elect. Aulæ, & judicii Cameralis per Marchiam Brandenb. & Comitatum Ravensbergensem Consiliarius Amplisſ. ad me *ovulum* nucem avellanam æquans, & *in ovo* alio majore inventum mitteret. Nimirum in ædibus ipsius, cum pro usu culinario ova aliquot galli-

gallinacea rumperentur in albumine unius prope vitellum, ovum aliud parvum jacebat *μαλακόδερμον*, sive molli cute aut membrana tectũ. Erat ea similis prorsus & colore & teneritate pelliculæ ovorum interiori, qua ipsa antea, quam putamen testaceum acquirunt, obvelantur, & quæ deinceps sub isto putamine perdurat. Postquam cuticulam hanc per latus unum dissecuissem, reperi intus albuginem debiti coloris & consistentiæ: nec minus ad cuspidem alteram punctum illud candidum, quod *semen galli* vulgus nuncupat. Vitelli verò vestigium apparuit nullum.

Ejusmodi quidem, ut ita dicam, *prægnationis*, qua ovum unum alteri includitur, mentio jam facta est *Ephemer. Curios. anni I. Obs. 36. & Anni II. Obs.* 250. Nobis autem, ut ingenuè fatear, prima vice tum visa est. Meretur verò examen ea Observatio hoc tempore inprimis, ubi post *Theodori Kerckringii* editam Anno 1671. Anthropogeniam de *ovario humano* per totam penè Europam illustris jam viget controversia. Si quid conjecturæ valent, varii facilè modi possent excogitari, quibus ovum ovo, dum in ovario gallinaceo ipsa concipiuntur aut latent, includi contingat. Plerique tamen nimis violenti aut difficiles aut absurdi videntur: & recurrendum hic quoque tutissimè erit aut ad errorem plastices, primo statim conceptionis momento commissum: aut ad seminalis cujuscunque virtutis abundantiam, atque lasciviens robur. Ab extra certè ovum ovo intrudi nequit, sed ab interno fieri principio istiusmodi generationes duplicatas, per analogiam vero similem, citata superius prægnantium malorum, lapidumque exempla vincunt.

(*In literis 7. April. Vratislav. missis* 1675.

OBSERVATIO LXXXI.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI
DE
MICTU FUNGORUM.

CIvis quidam Chemnicensis annos multos podagricis juxtim ac nephriticis doloribus cruciatus, ante annos si rectè memini octo aut novem, comprimis equo aut curru vectus, aut post alium concitatiorem corporis motum, in cruentam incidit mictionem, quæ primò quidem aliquot dies, post aliquot hebdomadas, jam verò anni quadrantem & ultra duravit. Urina loturam carnis refert,

 grumos-

grumosque sanguinis, sub quibus calculi non rarò delitescunt, admixtos habet plurimos. Dolores sentit circa regionem renum & diaphragmatis per intervalla adeò graves, ut in nullo loco quiescere possit, continuò exclamans: Der Leib sey ihm inwendig gantz rohe/ es schneide wie Messer drinne. Unde dolores isti & constans cruenta mictio, absque singulari virium jacturâ sæpiùs miratus, tandem in urinâ fungos cerasa cum pediculis referentes deprehendi, quos exsiccatos apud me servo. Renes igitur aut fungosos esse pronunciandum, aut fungos in cavitatibus alere. A calculis namque, quos magno numerò egessit, potuerunt vulnerari & lædi papillares eorundem carunculæ, & ab urinæ acrimoniâ exulceratæ, in ejusmodi fungosam transire substantiam. Quod verò fungi sanguineo sudore continuò madescant, nemo nescit, nisi qui fungos non vidit. Dolores autem ad diaphragmatis regionem usque adscendunt, quod per externam membranam à peritonæo ortam cum lumbis & diaphragmate renes communicant. An curam recipiat morbus dubito, eundem verò ulteriori disquisitione dignum existimo.

(*In literis Chemnicio Vratislaviam* 14. *Maj.* 1675.)

OBSERVATIO LXXXII.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
MISERANDO ET INEXPLICABILI AURIUM DOLORE.
Tres singulares casus.

NOtarius Proventuum Oeconomiæ Regiæ nomine Michael Dam, inexplicabili dolore auris dextræ affligebatur, noctes diesque ducebat insomnes, ac vix delirium effugit. Humor quidam primò fluebat ex aure, sed postquam chirurgus hujus loci emplastrum applicâsset, & simul linteaminibus aurem benè munisset, desiit fluxus, continuatis interim & simul ex parte auctis doloribus. Medicus quidam accersitus opii usum pro sedandis doloribus suadet, sed absque penitiori effectu, nisi quod ex memorati opii usu ægrotus dormire insequentibus insomniis horis duabus poterat, recedunte mox dolore. Tandem ex suasu alterius amici, qui me consulue at, assumsit pilulas ex MP. *Ruff.* & *extr. Rhabarbari*, continuis quatuor diebus, manè & vesperi, cum euphoriâ remotis omnibus emplastris & linteaminibus.

Pus-

Pus incipiebat fluere copiosè, successit levis purgatio ex *pulv. rad. galap.* ℈j. cum *resinæ galap.* gr. v. acuato, & sic post tres septimanas restitutus est æger.

ALTER CASUS.

Vir magni nominis apud nos æquè tali dolore gravi aurium infestabatur, unica nocte cum horrendissimo doloro capitis noctem totam insomnem, sed miserandam consumebat, quid ageret, vix sciebat, nam dolor videbatur modum excedere. Hic sepositis omnibus externis, quæ suadebantur (exemplo enim erat affinis prædictus) statim consilio meo confugit ad pilul. quarum sequens est formula;

Rec. *extr. helleb. nigr. c. sp. V. facti* ℈j.
Mass. pil. Ruff. ʒß. *resin. galap.* gr. vj.
M. F. l. a. pil. divid. in p. ij. æqual.

Manè primâ parte Pilul. usus est, sedibus quatuor motis, cum allevatione doloris; alterâ die secundam partem iterum priori similem assumpsit, sequentibus sex sedibus. A meridie incipiebat pus fluere ex aure, quæ deinde tantum externo leni linteamine muniebatur, fluxus autem cum euphoria 14. diebus continuavit, & æger restitutus est.

TERTIUS CASUS OBSERVATIONE DIGNUS.

Vir quidam nomine Johann Lonhert, civis Risenburgensis in Prussia Ducali, dolorem auris gravissimum sentit dextræ: quinque vel sex diebus continuavit dolor, & parùm abfuit, quin sibi ipsi mortem conscivisset æger. Confugit ad Mariæ-Insulanum ibidem medicum, qui omnem etiam cum pharmacopola ejus loci dant operam, ut restituant ægrum. Emplastra, linteamenta externa, fotus, & quæ necessaria videbantur, applicant, sed absque fructu, doloro quidem non aucto, interim tamen permanente in eodem, itaque tandem quærens auxilium tendit Mariæburgum. Chirurgus hujus loci omnem movet lapidem, quo possit dolorem hunc blandè sopire, propinat *laudan. Opiat.* gr. iij. omni vespere, unde dormit quidem cum allevatione patiens, nihilominus effectu hujus exspirante, denuò uti prius dolor urget, donec post aliquot dies tandem tumor ponè aurem exsurgeret, qui scarificatus, naturalem locum doloris mutat. Ab aure enim divertit ad lumbos, & rependo quasi ibi constrictionem causat, emplastris ap-

plicatis tendit deorſum in ſpinam dorſi, circa regionem renum, deinde eo de loco expulſus in ſiniſtro genu ſe figit. Sudoriferis autem attenuatus non quidem ad natale ſolum, ſed ad aurem ipſam; & quidem carneam ejus ſubſtantiam redit, ibique rependo ac conſtringendo non quidem inſignes dolores, ſed tamen moleſtiam pariebat, ab aure autem iterum pugnæ magnitudine uſque ad gulam ingens tumor ſe prodebat, ita ut ſuffocationem quaſi minitaretur. Intereà fluit pus ex aure, & quidem ſatis copiosè, patiens ſe domum confert. Sequuntur domi continuatæ lipothymiæ, nemo præſens poteſt ferre auxilium: Moritur in Domino.

Ex his itaque recenſitis caſibus, facili negotio quilibet medicus & chirurgus colliget, externa applicata circa hunc affectum potiùs damnum inferre, quàm prodeſſe, & tutius eſſe, ſequi naturæ ductum, ſecundum Hippocratem, & quo vergat ducere, quàm topicis figere, quod ad volatilitatem videtur eſſe progeneratum. Experientia etiam teſtatur, plus poſſe unicâ die in talibus caſibus medicum perficere internis, ſpecificis materiam diſcutientibus & ad expulſionem præparantibus, quàm topicis repellentibus, quæ plus ab extra impediunt, quo minus materia peccans ad effluxum diſpoſita ſuô fini potiri queat.

OBSERVATIO LXXXIII.

DN. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

ARTHRITIDE VAGA, MIRABILI ET EXITIOSA.

VIr Nobilis, Colonellus de Görsdorff, aliàs bonæ conditionis & temperatiſſimus homo, arthriticis doloribus manus, pedes & dorſum per vices occupantibus ſuccedente tempore in nucha & tandem in linguâ ſentit mortis præſagia, nam collum quaſi filo conſtrictum, anhelitus & reſpirandi libertatem, ſimulque linguæ motum & loquelam præpediebat, ipſam tandem ex ore protrudens ut ad duorum triumve digitorum latitudinem exſtaret, miſerrimæ quidem non tamen ſtatim inſequentis mortis prodromus. Hic enim paroxyſmus ſex vicibus rediit, remittente toties dolore, antequam Nobilis diem ſuum obiret. Hîc vel maximè notandum muſculos colli ita fuiſſe conſtrictos, ut ne guttulæ quidem ad ventriculum pateret tranſitus,

quod

quodque maximam æger allevationem ex applicatione ſpiritûs ſalis ammoniaci cum aqua diluti perſenſerit.

OBSERVATIO LXXXIV.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
AFFECTU SCORBUTICO, ARTHRITIDEM FIXAM MENTIENTE, IN VAGAM DESINENTE.

SUtoris civitatis noſtræ uxor, conquerens de omnium membrorum laſſitudine & frigiditate, quam ſenſerat cum dolore intercedente punctorio exquiſito ſed fixo, & in ſuris & in dorſo, ſuperveniente etiam hemicrania ſiniſtri lateris, quam apprimè gravem aliquando ſentiebat, quibusvis amicis commendata medicamenta applicavit, morbo tamen uti inceperat perſeverante. Sæpiùs mihi meditanti, quid in talibus morbis commodiſſimum & pro conſervatione ægri & curatione convenientiſſimum, non potui tamen deſiderio ſatisfacere, dum vel Paracelſi ♀ è venis & arteriis tenuibus coagulatum, vel Helmontii laticem ad ſordes depellendas deſtinatum, jam coagulatum (quem equidem modò nominatum Paracelſi ♀ modeſtè puto) reſolvere & expellere conarer, ſpecificis ſic nominatis vel ♀ vitriolato vel bezoardico minerali, aliquando quidem, ſed parum voto reſpondentibus; propterea ad ſpecifica acidum ex parte repellentia præcipitantia, bilemque alterantia confugi. Igitur ægrotam fœminam recipere *herb. centaur.* mij. *abſinthii* m. j. horum benè inciſorum manipulum dimidium coquere cum lacte, & infusâ cereviſiâ lactis coagulum facere, deque ſero percolato, manè & veſperi hauſtum unum ebibere juſſi. Continuatum tribus ſeptimanis, potum varia ſymptomata ſubſequebantur; videlicet per totum corpus vagans dolor, brachia, pedes, latera, dorſum tandemque caput enormiter cum vertigine occupans. Præſcriptis pilulis evacuantibus, quæ

Rec. *Maß. pilul. Aloephang.* ℈ß.
Rhabarb. gr. xij. *reſ. galap.* gr. iiij.

Sex vicibus alvus eſt ſoluta, cum euphoria ceſſavit dolor. Deinde continuans ægra ſupraſcriptam potionem, 14. diebus denuo purgata, & Dei gratiâ ſanitati reſtituta eſt. Certò certius poſſum affirmare, me iis

N 3 medi-

medicaminibus plus opinione profecisse apud ægros. Hoc tamen hic loci annectere placet, quod talia medicamenta, si jungantur acidis, virtutem suam medicamentosam facilè perdant, quâ ratione absinthium vino mixtum non respondet ita voto medentis, quam si vel extractum per se cum cerevisiâ tepidâ, vel cum lacte patienti propinetur. Effectum enim tali modo usurpati absinthii absque vino, etiam febres intermittentes absorbentis, felicem sæpiùs sum expertus. Hæc paucula propter incipientes Medicinæ Practicos communicare placuit, ne intentione medicationis statim ab initio specificis aggrediendæ, frustrentur. Qui majoris momenti medicamenta desiderat, inveniet in hujuscemodi casibus non leve subsidium ex sequenti,

Rec. *cinab. nativ.* ℈ß. *pulv. oculor. cancr. conchar.* āā gr. xv. *laudan. opiat.* gr. iij.
M. F. pulv. pro unâ dosi, qui aliquot vicibus propinatus, ægrum maximè allevabit.

OBSERVATIO LXXXV.

DN. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

AERIS INSPIRATI, PER AUREM SINISTRAM EMISSIONE.

GEnerosus ac Nobilis Dominus Bogislaus Radziensky, Illustrissimi Supremi Mareschalli Regni ac supremi exercituum Ducis, modò Serenissimi Potentissimique Regis Clementissimi nostri Aulicus, vir magni judicii & æstimationis, insignes aliquando patiebatur dolores capitis, qui pus congestum indicabant, quod etiam largè fluere cœpit. Intermittit sæpiùs, & quando diætam servat, ne vestigium quidem puris apparet, sed quod observatu dignum, si aërem ore haurit, & os & nares comprimit, tam fortiter aer per aurem sinistram, ita ut candelam etiam posset extingvere, erumpit. Parum audit, sed si jejunus est, sonum & figurationem vocis, compressa altera aure percipit, & tamen etiam, si vult, aerem ex aure absque molestia propellit.

OBSERVATIO LXXXVI.

DN. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

SINGULARI ET RARA FEBRIS CONTINUÆ CURATIONE.

IDem iste Nobilis multorum adstantium titillanti admiratione ipsius etiam Illustrissimi ac Excellentissimi Domini, recensuit, quod febre continuâ laborans tribus diebus ita viribus exhaustus sit, ut vitæ simul cum anima exhalationem timuerit, nesciebat ipse præsenti aliquo remedio comitantem inextinguibilem sitim compescere, ardoremque febris mitigare. Erat etenim in castris, ubi ordinaria quies & cura deficiebant: Sibi ipsi itaque procuravit remedium. Jussit bonam quantitatem favi mellis virginei adferri, & sex stoffos aquæ; quæ invicē mixta uno haustu (utor verbis propriis ipsius Generosi Domini) absque intermissione ebibi, dormivi, maximè sudavi & convalui.

(*E literis ad Collectores Ephemerid. d.* 13. *Jul. Ann.* 1675. *Vratislaviam.*)

OBSERVATIO LXXXVII.

D. JOHANN. SIGISMUNDI ELSHOLTII.

DE

SULPHURE PUTATITIO, CUM PLUVIA DESCENDENTE.

ÆStivis mensibus haut infrequentes nobis esse solent imbres, qui delapsi relinquunt post se materiam flavam, platearum canalibus innatantem. Vulgus pro *genuino sulphure*, cum vaporibus à sole attracto habet: neque desunt, qui nescio quod malum omnino præsagium ex sulphureis ejusmodi pluviis ducant, iratumque mortalibus cœlum inde ominentur. Facere igitur haud potui, quin collectam materiæ illius portionem examini aliquando subjicerem. Posteaquam ergò colando depurassem, & in charta expansam persiccassem, particulam cultro impositam candelæ admovi, advertendo fumum quidem inde ascendere, flammam neutiquam: quin præter naturam sulphuris gliscere potiùs carbonum instar, fumumque emissum sulphuris, illum gravem fœtorem, minimè præ se ferre.

Porrò

Porrò verò tantillum hujus materiæ calamo sive canaliculo exceptum, per candelæ flammam exsufflavimus, tentaturi hâc quoque viâ ipsius inflammabilitatem: & comperimus, accendi ipsum pari ratione, quâ solet pulvisculus flavus *musci terrestris clavati*, quem cingulariam nonnulli nuncupant. Mentionem hujus abundè fecimus in *Flora* nostra *Marchica*, adjungendo usum Moschis frequentatum ad ignes ludicros noctu exhibendos, quemadmodum *Adamus Olearius Itinerar. Persic. part. II pag.* 331. adnotavit. Profectò sylvæ nostræ abundant hoc musco, ex cujus clavis per maturitatem hiscentibus pulvis iste decidit, & per humum copiose spargitur. Inde à solaribus radiis in altum ferri cum vaporibus, vero perquam simile est, & cum pluviis relabi. Cessent itaque mala omnia, nec imbres istos nominare sulphureos amplius fas sit.

SCHOLION.

Imò, præter hanc antheram musci terrestris clavati, propinquius arborum ipsarum, coryli, pini, ut taceam secale ipsum plurimasque alias herbas, consimile & copiosum alcohol vegetabile sulphureum abunde sufficere potest, unde quoque sylvosa loca accolentes id φαινόμενον frequentius observant. D. W.

(In literis ad Collectores Ephemerid. mense Augusto Ann. 1675.)

OBSERVATIO LXXXVIII.
D. JOHANNIS MICHAELIS FEHRI
DE
URINÆ INCONTINENTIA.

Quondam etiam nimio preceps urina fluento
Irrigat exuvias, obscœnoque inficit imbri,
Ergò cinis cornu cervini proderit haustus,
Vel nepetæ ex vino tritum vel lacte capellæ.

ITa quidem *Serenus Sam. cap. de vesicæ & urinæ vitiis*; Sed Polyhistor *Plinius* aliud huic malo remedium opponit: Urina infantium (inquit *lib.* 30. *Nat. hist. cap.* 15.) cohibetur muribus elixis in cibo datis: Sed alter noster & Germaniæ Plinius, *Conrad Gesnerus* ex nescio qua Sereni editione *in hist. anim. vivipar. cap. de mure, p. m.* 721. paulò

paulò aliter licet in eundem finem ſubſcribit, ſi urina præter voluntatem vel nimium fluat, cinis prodeſt (hauſto nepetæ ſucco)

Ex vino muris tritus, vel lacte capellæ.

Quot aliàs paſſim proſtent ad ejusmodi malum tollendum ſpecifica remedia, jam inter omnes conſtat, & vel unica illa Nobiliſſimi noſtri *Pegaſi* obſervatio, *Anno Ephemerid. ſecundo* inſerta, hujus rei teſtis ſat locuples. Ego ex antiquatis unum proferam novo ſchemate veſtitum. Virgo quædam nubilis, conſtitutionis phlegmaticæ & vitæ ſedentariæ ac diætæ minus convenienti dedita, ab ineunte ætate & jam adultior, urinæ incontinentiâ diu noctuque graviſſimè affligitur, & licet variis remediorum generibus & inter illa ſuillo quoque pudendo variè præparato ſæpè multumque uteretur, eoque nomine non tàm ex mali contumaciâ, quàm florentis ætatis reverentiâ, pudore non levi ſuffuſa, omnium mortalium opem imploraret, nullo tamen vel ex ipſa Epidauro adſcito medicamento citiùs & felicius convaleſcere potuit, quàm quod ſuggeſſit qſ. ἀπὸ μηχανῆς interveniens plebeia quædam, tædioſi affectus pertinacia & juvenculæ ἐυπρεπεία commota; En, *inquit*, facilè te ſalvam dabo, ſanamque, ſi obtemperaveris. Filius mihi erat, pergit Theſtylis, 15. circiter annorum, quem cum fabro ferrario in diſciplinam tradere vellem, ſed incontinentiâ urinæ à puero ad illum usque diem efflictim laborantem, idque malum fabro indicarem, eſto bono animo, inquit, facilius hunc tibi puerum curabo, quàm vulpes pyrum comeſt. Domi mihi naſcitur præſentiſſimum remedium, muſculis aliquot devoratis, immunis erit ab omni hâc ſpurcitie filius tuus. Dictum, factum. Virgo ſanitatis cupidiſſima, omnes ſtatim angulos perquirit, & inventis aliquot muſculis eos in clibano prius exſiccatos ac pulveriſatos audacter devorat ovo frixo inditos, & ſtatim à graviſſimo hoc malo liberatur, menſibusque qui in 18. ætatis annum usque ſubſtiterant, prorumpentibus inculpatâ poſteà fruitur valetudine, redeunte ſenſim faciei colore, qui anteà pallidus fuerat vel luridus potius, florido vividoque.

Ex hâc hiſtoria noto

1. Plebeiorum remedia non ſemper eſſe contemnenda: παρὰ ἰδιωτέων ἱϛορέειν, ἤντι δοκέει ξυμφέρειν, præcipit Cous noſter inter alia

alia Medico necessaria, quod eleganter reddidit Clarissimus *Hofferus in suo Hercule Medico p. m. 77.* Neminem pudeat, *inquit*, quantumvis literatum aliquid addiscere, quod ad artis suæ perfectionem & ornamentum spectat, sive illud ab anu septuagenaria, sive ab eruditissimo quoque suggestum, modò non sit superstitiosum, lege divina prohibitum, aut alia ratione insanum &c. Quale quid & hujus aniculæ erat, quæ pro qualibet dosi musculos num 3. sumere, idque ternâ vice certaque die repetere jubebat, quod tamen ægra una dosi malo hoc defuncta, neglexit.

Noto 2. Mures domesticos in statu adversæ valetudinis citra noxam assumi posse, cum panis, caseus, lardum & frumenta, ex iisque ferè optimum quodque ipsorum sint deliciæ; hinc de caseo fertur proverbium, omnium optimum esse, quem mus arroserit & pinguescunt inde, ut nonnullis populis (ut incolis in Calecut) in cibum veniant, à felibus expetantur & felinam quoque carnem vescam reddant, quâ itidem avidè vescuntur Liburni, Hispani & Galli Narbonenses.

Noto 3. Mictionem plurimam parvæ quidem dejectionis caussam esse, ex *Aphor. Hipp.* 83. *s.* 4. sed & tardantium mensium obicem non levem, ob crassitiem sanguinis vasorumque angustiam, humore seroso sangvinis vehiculo ad renes potissimùm derivato, quod medicorum nostri seculi Corypheus *Sennertus* quoque inculcat *l. 4. pr. p. m.* 151. Cavendum *(inquit)* ne menses moventia in horum suppressione indiscriminatim usurpentur, nam cum multa ex iis sint, quæ urinam simul movent, exhibita intempestivè potiùs nocent.

(E literis ad Collectores Ephem. d. 29. Septembr. Anno 1675. *Vratislaviam.)*

OBSERVATIO LXXXIX.

L. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI

RESPONSIO DE AQVA SUBMERSIS
Ad Præcell. Dn. D. Joelis Langelotti Observationem 20.



OBservationes à magnifico *Dno Langelotto* communicatæ, ut raræ sunt, ita illi soli, quos æquus amavit Jupiter, caussas eruent & dicent, non ego, meique similes, quibus ut circa ima subsista-

subsistamus subsellia, genius aures vellicat. Revocant namque nobis in memoriam, diu ventilatas quæstiones, an, & quàm diu homo sub aquis vivere possit? Quod ad primam, nemini ignotum est, quàm necessaria ad vitam tuendam sit respiratio, adeò ut ἄλυτον vitæ σημεῖον vulgo reputetur, & ille apud *Plautum* (*Mil. glor. Act. 4. sc. 8.*) an viveret alter periculum facturus

Tentabat spiraret an non.

Cum autem commodum objectum & medium, quo reciprocantes respirationis motus, in- & exspiratio, contingant, sit aër, ob tenuitatem partim, partim ob occultum vitæ cibum, aut materiam subtilem Cartesianam, aut spiritum mundi decantatum, cujus vehiculum modernis Philosophis audit, quid ab aquâ sit expectandum in hoc negotio, cumprimis si ad computum res deferatur, ubi proportio aëris ad aquam à *Boyleo* (*de vi aeris elast. Exp.* 36. *p.* 255.) qualis grani unius ad libram, seu unius ad 7600. & ultra, inventa, in proclivi erit colligere. Et quamvis aer & aqua quibusdam sint elementa symbolica, adeoque in se invicem transmutabilia, & aer sit aqua subtilis, si *Drebbelio* (*de nat. Elem. c. 9. p. 87.*) auscultemus, aut ex hypothesi *Cartesianâ* aer ex terrenis quibusvis & aquosis corporibus constare possit, aer etiam sit in & sub aquâ, & aqua in aere, prout experimento probavit *Burrhus apud Iackium*, (*Phas. Phil. II. p.* 236.) aerque respiratione attractus, non ut elementum, sed elementatum, considerandus veniat; non tamen præcaveri potest, quin attractum in aquâ contentum aerem comitetur ipsa aqua, quæ in pulmonum cuniculatis partibus hærens motum earundem inhibeat gravitate, & tandem penitus cessare faciat. Quam ob causam si, necessitate adacti milites, in medias undas descendere, & ab uno fluminis latere ad aliud tendere conantur, cacabis aut loricis aquaticis, quales descriptas ac depictas dedit *Schottus* (*lib. 6. Techn. curios. c. 9. p. 393.*) se muniunt, in quibus aerem reconditum secum deferunt. Alium modum habet *Fluddus* (*utriusq; cosmi Hist. tr. 2. p. 6. l. 1. p.* 419.) quando per canalem aquæ innatantem purum aerem in undis ambulantem inspirare docuit. Non possum me continere, quin addam quædam de stupendâ illâ navi *Cornelii Drebbelii*, quâ *Jacobum Angliæ Regem* sub Thamesis undis in navi undique coopertâ convivio excepit. Navigium illud duodecim remiges, præter transfretandos, tulit. Per longum canalem, supra aquarum su-

perficiem emergentem, aerem hausisse navis incolas suspicatur quidem *Harsdorfferus*; (*Tom.* 2. *Delic. Philos. Mathem. part.* 13. *propos.* 8. *p.* 493.) aliam tamen rationem ex *Digbæo* (*orat. de plant. veget.*) & *Boyleo* (*c. l. Experim.* 41. *p.* 320) recitat *Exc. Jackius* (*Phas. Philos. III. p.* 33.) *Drebbelium* nempe, præter mechanicum navigii inventum, chymicum habuisse liquorem, quem præcipuum inter submarinæ navigationis arcana duxit. Quotiescunque enim, pergit, puriorem aeris partem consumtam, vel nimium respiratione depravatam, & eorum effluviis, qui navigarunt, saturatam animadvertit, recluso vase, illo liquore completo, derepente turbato aeri talem vitalium proportionem restituit, qualis efficere potuit, ut respirationi aliquandiu inserviret, an dissipando vel præcipitando crassas exhalationes, aliove intelligibili modo, jam non vacat in examen proferre.

Nec sub aquis diu & commodè nos respirare posse ipsa organorum respirationi consecratorum diversa inculcat structura, ab eâ quæ piscium, & ἀμφοτεροζόντων contigit machinis, unico namque cordis gaudent thalamo, pulmonibus omnimodè, aut veris saltem, destituta. Et si aer fumis & exhalationibus vini & cerevisiæ saturatus in momento strangulat pulmones, quid non aqua ipsa præstabit? Non negandum interim, quosdam per aliquod temporis spatium sub aquis vivos delituisse. Urinatores vocant, quorum historiæ passim commemorantur. Ichthyophagos non secus ac marinas beluas nando in mari valere scripsit *Solin.* (*Polyhistor. c.* 58.) *Situardus* è proceribus Norwegiæ natando sub aquis loricam exuebat, deinde totus submersus, vestimentis etiam omnibus, ac tandem adhuc sub aquis degens, subuculâ, quæ extremum inter vestes locum habet, teste *Kranzio* (*l.* 5. *Norvveg. c.* 8.) sese nudabat. De *Colano Alex. ab Alex.* (*lib.* 2. *Dier. Genial. c.* 21. *f.* 91. *a.*) & *Cardanus* (*l.* 11. *de subtil. p.* 635.) Hos sub aquâ durare vel â peculiariter aptâ corporis fabricâ, vel exercitio, graduali, benè monet *Boyle* (*defens. contra Fr. Lin. p.* 147.) Cælum hic quidam in scenam vocant, dum eos, qui sub piscis astro certo cursu stationibusque sideribus constitutis editi essent, nando plurimum valuisse, & præcipuos natatu nonnulli tradunt. (*Alex. ab Alex. c. l. f.* 90. *b.*) Pulmonis amplitudinem allegat *Lemnius* (*lib.* 2. *de occ. nat. mir. c.* 6. *p. m.* 260.) & quo quisque hoc viscus habet amplissimum, multisque

que foraminibus pervium, eo diutius anhelitum cohibere poteſt, fundoque longiori ſpatio inhærere. Sic enarrantem audivi, ſubjungit *Veſalium*, Maurum quendam urinatorem Ferrariam ex triremi adductum, qui unus longius producebat vocem, & continuo clamore absque reſpiratione inſiſtebat diutius, quam quatuor robuſtisſimi pugiles, idem rurſus cohibito ſuppreſſoque ſpiritu ac naribus oreque occluſo absque ullâ halitus animæque reductione cum illis certabat. Qvo naturæ munere hoc erat conſecutus, ut, ſemel atque iterum captus, elapſus ſit, mergoque ſimilis avi intima maris per ſemihoræ ſpatium penetrans, captivitatis jugum, morte acerbius, excusſit.

Foramen ovale in fœtu in conſiderationem hic ut veniat meretur. Hoc aperto non opus eſt, ut ſanguis per pulmones à dextro in ſiniſtrum cordis circuletur ventriculum, tamque validus pulmonum ad reſpirationem motus non requiritur; ſed nullus fere, & talis, quali fœtus utero adhuc concluſus debiliter, (liberè namque reſpiratio fieri, cenſente *Lowero tr. de corde c.* 1. *p.* 54. non poteſt) reſpirat (*Vid. Harv. de motu cord. Exerc. Anat.* 1. *c.* 17. *p.* 153. & *Exerc.* 3. *p.* 272.] Et quamvis tractu temporis foramen illud à propriâ valvulâ homine nato & liberius reſpirante (quod obſervavit *Kerkring ſpicil. Obſ. anat.* 94. *p.* 187.) claudatur, & tandem obturetur; non incongruè tamen judicat *Thruſton* (*Diatrib. de Reſpiratione ſ.* 22. *p.* 91.) dum infit: An uſu & conſvetudine à teneris ſuſceptâ fieri poſſit ut ſanguis pro re natâ antiquas illas ſemitas repetat, mihi nondum compertum eſt. Quamvis illud fieri (ſed rariſſimè; *Pinæus* ter obſervavit, ſemel *Riolanus*, non ſimplici vice *Bartholinus lib.* 2. *Anat. Reform. c.* 8. *p. m.* 275.) poſſe, urinatores & animalia quædam alia non contemnendo prorſus argumento ſint. Aves proinde, quæ diu ſub aquis morantur, per omnem vitam anaſtomoſes vaſorum cordis ſuperſtites habere teſtis eſt *Slegelius*, (*de motu ſanguinis cap.* 7. *pag.* 61.) Accedunt pori in ſepto cordis obſervati (*Th. Bartholin. c.* 2. *H.* 67. *pag.* 292. & *Cent.* 4. *hiſt.* 20. *p.* 166. *Sachs. Olean. Macromicr.* §. 60. *pag.* 59.) Hac ſolâ viâ, cordatè aſſerit iterum laudatus *Bartholinus* (*lib.* 2. *Anat. Reſ. c.* 7. *p. m* 267.) urinatores & ſuſpenſi aliquandiu vivunt & reviviſcunt, motu pulmonum ceſſante. His quoque defectus lienis, docet *Alex. ab Alex.* (*c. l.*) multum profuiſſe creditur, nam quibus deeſſet lien, natatu plurimum valere contendunt.

dunt. Quod ad exercitium, si à primis annis urinandi tentetur & exerceatur studium, consvetudinem magni momenti futuram puto, quamvis & urinatores isti machinulas, aërem inclusum continentes secum portent, & spongias aliquas parvas oleo imbutas ore manducent. (*Conf. Boyle de vi aeris elast. Exper.* 41. *p.* 326.)

Quamdiu vero sub aquis vivi degere valeant, exactè definiri nequit. Quidam priusquam urinationi adsvesceret, absque respiratione spongiæque usu, vix per duo aut tria minuta circiter subsistere potuit, quod ex propria confessione annotat *Boylius Defens, contra Fr. Linum p* 146.) In Indiâ urinatores margaritarum ostreis venandis intenti, per horam integram sub aquâ latitant. *Colanus* ille, cujus nuper mentionem feci, ternis aut quaternis horis teste *Cardano* (*c. l.* nisi erret vel imponat nobis *Cardanus*, addit, dum hæc allegat, *Boylius de vi aeris elastica Exper.* 41. *p.* 331. velut piscis sub aquis versabatur. Quod verò semimortui diuturniorem sub aquis moram trahere possint, ex transmissis *Nobiliss. Dn. Langelotti* observationibus patet, de hortulano, qui sedecim horas, & muliere, quæ tres dies sub aqua delituit, & tamen servata fuit. In undis submersi post octo & quadraginta horas revixere, retulit *Alex. Benedictus* (*l* 10. *de cur. morb. c.* 9. *p.* 396.) Caussas è supra dictis quasdam hûc accommodari posse ut confido, ita conjecturâ rem breviter adhuc explicare tentabo. Qui improviso casu fluctibus merguntur, perterrefacti animi eclipsin incurrere possunt; inde sublatâ maximam partem respiratione, nec aqua in pulmones illabitur, & ita à suffocatione ad tempus præservantur. Probat id comprimis hortulani historia, qui à terrore & frigore ambiente rigidus, erecto stans corpore, fuit inventus. Nolim tamen ultra duos aut tres ad summum dies extendatur illa in aquis mora, cum facilè spirituum totalis extinctio, & circulatorii sanguinis motûs sublatio (quam nemo per naturam restituere valebit, *Thruston. c. l. s.* 4. *pag.* 11. subsequantur. Non igitur sine caussâ fidem excedere scribis postremam illam de juvene, septimâ demum septimanâ, postquam submersus fuerat, invento & restituto narrationem. Rectè interim ex aquis extracti, pannis involuti, ad lentum ignem sensim refocillantur. Cum enim in his saltem tactu (tanquam reliquorum sensuum fundamento, sine quo vita constare, teste *Themistio in l.* 3. *de anim. Arist.* nequit) obscurè quamvis, vita persistat, ut exclamare cum Poëta liceat:

Tactus

Tactus enim tactus, proh divûm numina sancta,
Corporis est sensus.

Quocirca ut ille restituatur, omnibus annitendum erit viribus. Calidâ proinde abluebant veteres cadavera, ut si forte spiritus vitales his inessent, caliditate animati in vitam redirent. Ferrum etiam adhibendum erit candens, quo callidus ille Cyrenæorum Tyrannus, *Nicocrates*, quæ per portas cadavera efferebantur, cauterisare jussit, ne quis vivus elaberetur. Apoplecticorum vertici id etiam applicare svadet *Willis* (*Tr. de anim. brut. part.* 2. *c.* 8. *p.* 372.) & Hermetem ferro candente mortuum suscitasse, apud *Borrichium* legimus (*l. c. Hermet. c.* 2. *p.* 29.)

(*Per literas ad Collectores* Ephem. *mense Octobri Ann.* 1675.)

OBSERVATIO XC.
D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI
DE
HÆMORRHAGIA NARIUM.

DEcus illud Anglicum, inventionibus egregiis & scrutiniis naturæ latebrarum pollens *Cl. Harvæus in Tr. de motu Cord. p. m.* 48. ita exclamat: *Ecce jam duo sunt genera mortis, extinctio ob defectum, & suffocatio ob copiam* (*scil. sanguinis in corde.*) Hujus defectus causa sæpissime existit hæmorrhagia enormis à quacunque parte proveniens. Quantum negotii frequentissimè Medicis in praxi facessat hæmorrhagia narium, unicuique patet. Itaque medicinæ proceres egregiè desudant, remediis approbatissimis congruè huic resistere, & thesaurum vitæ sartum tectum conservare; & hoc non tantum seculis præteritis, sed & hoc nostro, & præcipuè in Collegio nostro Curiosorum. Videatur *in Anno I. Ephemerid.* pulvis egregius *Dn. D Hertodii Obs.* 24. Inspiciatur decoctum præsentaneum *in anno secundo Dn. D. Volkameri Obs.* 223. considerentur experimenta ad astra ferenda *Dn. D. Bernhardi à* Bernitz. *Ann. secundo Obs.* 52. *& sequ.* revolvantur, quæ *Dn. D. Wedelius Anno III. Obs.* 106. protulit; nec vitio vertetur, quòd meam hic spartam condecorando, ipsorum vestigia sequi & quicquid mihi in praxi meâ hoc in malo experiri contigerit, annectere haud pigeat.

Domina quædam generoso stemmate nata, vidua, annorum

59.

59. intermissa ætatis decrescentis ratione, quâ assueta erat, venæ sectione, subitò enormi sanguinis fluxu è naribus infestabatur. Sanguis non guttatim, sed quasi venâ tusâ confertim emanabat. Auxilium â me efflagitanti, à mitioribus incipiens, saltem ad inhibendum aliquo modo fluxum, præscripsi epithemata refrigerantia & repellentia pro fronte & collo, veruntamen fluxus concitatior factus, ut priusquam redire potuerim, sanguis ad ℔. vj. effluxerit. Chirurgus in propinquo habitans interim accersitus turundis, pulveribus sanguinem sistentibus impraegnatis, nares implevit. Me supervenientem ægrota anxiè rogabat, ut removerentur, aliàs sibi suffocationis periculum imminere. Removi, actutum sangvis effluxit enormiter. Deliquia animi venæ sectionem dissvadebant. Itaque ventosam magnam prius hepatis regioni, mox & alteram nuchæ adhibeo, & confestim fluxus retractus & sublatus est. Non satis laudari potest harum usus, non enim saltem in hâc dominâ id remedii genus proficuum expertus sum, sed etiam aliâ vice in fœmina, ubi nec V. S. sæpius iterata, nec sexcenta alia ab alio Medico adhibita, quicquam emolumenti adferrent, & omnia desperata & conclamata erant, quæ tamen ventosâ unica nuchæ apposita sanata est. Non ignoro, huic experimento opponi posse *Fabrit. Hildani Obs.* 47. *C.* 2. ubi inflammatio hepatis â ventosa ejus regioni apposita secuta. Sed ut in principio hæmorrhagiæ periculosum, ita in progressu, ubi magna sanguinis quantitas effluxerit, vel corpori venæ sectione prospectum sit, haud inflammatio metuenda, satis superque refrigerato hepate.

OBSERVATIO XCI.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

VENÆ SUB LINGVA SECTIONE FUNESTA.

Celsus *l.* 2. *c.* 10. venæ sectionem æquâ lance pensitans, in hæc verba erumpit: *Sangvinem incisa vena mitti, novum non est, sed nullum penè morbum esse, in quo non mittatur, novum est.* Aureum hoc dictum utinam in omnium medicorum museis & chirurgorum officinis seu potius ipsorum animis aureis & quidem majusculis literis inscriptum esset; Nullâ verò venæ sectione plus ac

sæpius

ſæpius peccatur, quàm eâ, quæ ſub linguâ inſtituitur, ubi ſæpè inconſulto Medico chirurgi ſolent revulſionem præpoſtero ordine parare à parte ignobili ad partem nobilem; ut ſequenti obſervatione planum evadet.

Civis quidam Bregenſis cum nuptiis privigni intereſſet, poſt horrorem febrilem eriſypelate circa carpum manus dextræ affligebatur, quod ſuſque deque habens potui cereviſiæ ſtrenuè indulſit; inflammatur magis magiſque brachium, imponunt repellentia & venæ ſectionem ſub linguâ inſtituunt. Delirium ſtatim obortum, tandem Medicum requirunt, præſcribuntur varia bezoardica, imponuntur evocantia & attemperantia, ſed vires jam erant proſtratæ; inſaniebat ſemper, uſque dum vitam cum morte commutaret.

OBSERVATIO XCII.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

LINGVÆ SEMIPARALYSI.

JAcobus Rolandus de Belebad, in *aglosſo-ſtomagraphiâ*, optimè inter ea, quæ ad vocem & verba formanda requiruntur, recenſet: Linguam integram, ſeque libere debitâ cum promptitudine & agilitate moventem ab unâ parte ad alteram. Quod videre licet in *Ann. 3. Ephem. p.* 587. Et ſanè hæc frequentiſſima cauſa eſt imperfectæ ſermonis pronuntiationis, quæ niſi nativa ſit, interdum arte noſtra corrigi poteſt, ut ſequens exemplum demonſtrabit.

Verbi divini Miniſter concionari amplius non potuit propter linguæ laxitatem ſeu ſemi-paralyſin. Varia tam interna, quam externa in uſum tracta, omnia incaſſum. Tandem hæc mixtura utramque paginam perfecit: Rec. *mithrid.* ʒj. *extr. acor.* ℈j. *rad. aron. pulveriſ.* ℈jj. *eſſ. caſtor.* g. vj. *ol. carfunc* g. iiij. M. Semper paratam habebat hanc mixturam & quando in concionando hæſitaret, & lingua non amplius verba juſtè exprimeret, ad mixturam confugiens illinebat citò in ſuggeſtu linguam & ſtatim melius habebat, ſermonemque ſic abſolvere poterat. Tandem à diuturno medicamenti uſu lingua in totum reſtituta eſt, ut illo amplius non opus haberet. Prodromi erant apoplexiæ, quâ poſt annos aliquot tactus obiit.

OBSERVATIO XCIII.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

MANIA POST VARIOLAS.

FAbrit. *Hildanus c. 6. Obs.* 82. graviſſima & horrenda recenſet ſymptomata relicta poſt variolas, & præcipuè illos affligentia, qui non ſecundum artis methodum curati erant. Quod non mirum videtur; Si enim variolæ ſint malignæ, natura vero in ejusmodi tenellis non robuſta ſit, & illa in expellendo medicamentis convenienter adjuvantibus deſtituatur, neceſſum eſt, ut criſis fiat imperfecta, & aliquid vitioſi remaneat. Quod ſi in partem nobilem feratur, gravia inducit ſymptomata & ſæpiùs mortem ipſam, ut ex hâc meâ obſervatione videre licet.

Lanii cujusdam filia, 3. annorum poſt variolas valdè malignas (etſi, nulla adhibita medicamenta) ſuparatas in maniam incidebat, mordebat quando potuit, parentes & aſtantes, diris illos devovebat, in faciem exſpuebat, & ita furebat, ut vix in lecto detineri potuerit. Durabat id malum ad finem tertiæ ſeptimanæ, nihil interim de cibo aut medicamentis aſſumebat, præter unicum, quo delectabatur, julapium. Et in hoc ſtatu mortua eſt.

OBSERVATIO XCIV.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

DOLORE BRACHII INTOLERABILI.

SI ullus dolor moleſtus eſt certè ſcorbuticus ſuperlativum gradum meretur; & id ratione ſalis ſcorbuticâ malignitate infecti & ſæpè ad corroſivam qualitatem acrimoniâ ſuâ accedentis; quod interdum dolores oſtocopos fere venereis atrociores excitare ſolet. Cujus exemplum jam memoriam mihi refricat, quod tale eſt,

Aurifaber Bregenſis ſcorbuticus in brachio dextro ſummo & lancinante afficiebatur dolore, qui totum occupabat brachium, ita ut illud ne minimâ quidem parte à corpore ſine atrociſſimo dolore dimovere, nec cibum capere, nec ſomno frui ullo momento potuerit.

Præſcripſi

Præſcripſi varia purgantia, ſudoritera, epithemata quoque, nullo emolumento, tandem ſequens ſacculus adhibitus dolorem omnem ſuſtulit. Rec. *milii non excort.* m. iij. *ſal. comm.* mj. *fl. chamom. herb. abſinth.* āā, mj. *furf. trit.* mij. calefiant in tigillo, indantur ſacculo & imponantur calidè.

OBSERVATIO XCV.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE *PHTHISIS CURATIONE.*

PHthiſis vocabulum etſi omni corporis conſumptioni attribuatur, tamen in medicinæ caſtris in conſuetudinem abiit, phthiſin propriè appellari eam corporis extenuationem, quæ ab ulcere pulmonum originem trahit. Morbus ſanè periculoſus, non ſaltem quod medicamenta integris viribus ad partem affectam (niſi evaporationem excipias) non perveniant, ſed etiam propter ſubſtantiam pulmonum ipſam. Cum enim ex Cl. Virorum, *Malpighii epiſtolis*, & eisdem præmiſsâ *Bartholini de pulmonum ſubſtantiâ & motu Diatribe* certò conſtet, ſubſtantiam pulmonum neutiquam eſſe carnoſam, ſed omnino membraneis conſtare veſiculis: membrana verò ſit corpus ſpermaticum, quod abſumptum non regeneratur, non mirum eſt, ſi id exulceratum & ab acrimoniâ puris eroſum, haud facilè coaleſcat, præcipuè cum nulla fieri poſſit, ut in externis ulceribus, mundificatio & deligatio. Huc accedit conſumtio totius corporis, quæ (ſi *Malpighio* credimus) inde proveniret, quod miſcela ſanguinis & chyli in pulmonum veſicularum cavernis (quem uſum pulmonibus tribuit) turbetur, & ſic corpus ſuo defraudetur alimento neceſſario. Etſi verò malum admodum periculoſum ſit, tamen ſi, ut puto, ſuperficialiter & in parte ſuperiore pulmonum læſio exiſtat, interdum curationem recipit, ut ſequenti obſervatione demonſtrare lubet.

In præcedente obſervatione memorati viri uxor poſt hæmoptyſin ſæpius moleſtam, in phthiſin incidebat adjunctâ hecticâ. Expuebat tuſſiendo purulenta cruore tincta, aderat ſudor colliquativus, reſpiratioque valdè difficilis. Tamen unico hoc medicamento præter

spem & opinionem omnium DEO benedicente evasit. Rec. *rad. symph. maj. tussil. enul. mundat.* ãã ℥iiij. coq. in aq. f. s. q. ad mollit. Tunde & trajice per setaceum. Rec. *Passul. major. minor.* ãã ℔ß. coq. in brodio reliquo à radicibus & extrahatur pulpa eodem modo. Rec. *salv. acut. beton. hyssop. veron. heder. terr. pulmonar. macul.* ãã. mj. coq. ad mollit. in brodio à passulis relicto. Rec. *decoct. colat. sach. canar.* ℔j. coq. ad consist. coletur. Add. *pulp. radicum & passul. amygd. d. exc. pinear. rec. probè pistar.* a. ℥iij. *cinam.* ʒij. *croc.* ℈j. M. F. l. a. elect. Eodem medicamento paucis mutatis filium meum 3. annorum, cui post petechias superatas vomicæ in pulmonibus, quatuor vicibus collectæ & ruptæ, ita ut pus in magnâ copiâ expectoraret, macie valdè confectum & calore hectico consumtum, DEO sic annuente, feliciter restitui.

OBSERVATIO XCVI.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

EPILEPSIA ET INSANIA A VENÆ SECTIONE SUB LINGUA.

HAud incongrue loquitur Rozack *à Prachien in Fragm. Spagyr. de Phleb. c. 2. p. 25. Sanguis in venis & arteriis contentus, sive illic paucus sit sive multus, thesaurus tamen est tum vitæ tum mortis, & complectitur seminaria sanitatis & morborum. Ideo non potest vel debet à quolibet impunè effundi, nec etiam ab aliis suaderi, quam qui seminaria & matrices morborum à nutritivis principiis discernere & separare sciverint, cum æque multa incommoda ac commoda derivari possint in hominem sine ratione ad phlebotomiam suadendam vel admittendam pronum.* Ergo & *Galenus* & *Avicenna* quanto magis medendi artem exercuêre, tanto semper timidiores erga phlebotomiam facti sunt, eò quod plus trahat phlebotomia ex naturali & bono & ex spiritibus, quam ipsa pharmaca; ut verbis utar *Seileri l. de catarrh.* Prima igitur in morbis curandis sit cautela: an vena secanda? sed cum hæc non sufficiat, altera adjungenda: quænam vena eligenda? ubi multi perperam accipiunt sententiam Walæi, qui circulationi sanguinis

guinis insistens dicit: *nihil referre, quæ vena secetur, modo in superioribus superior, in inferioribus verò morbis inferior vena eligatur*, adeoque putant nihil discriminis esse in eligenda venâ. Sed Clariss. ille Vir hîc loquitur de venis communibus & usitatis, sc. in brachiis & pedibus, & tamen secundum morbi sedem venam eligit. Revulsionis enim omninò ratio habenda, cujus proprium in contrarium avertere, & à parte nobili in ignobilem, minimè verò contra. In observatione meâ superiori enarravi infelicem venæ sectionis sub linguâ eventum, ubi sc. ægrotus, mortis alumnus factus; Alteram de eadem materiâ proferre animus est, ubi quidam per venæ sectionem sub linguâ in fauces mortis quidem detrusus, sed tamen ex illis ereptus est. Civis quidam Bregensis pleuritide spuriâ cum febre malignâ laborans chirurgi opem implorat, qui nescio quale julapium ipsi præbet ac simul venas sub linguâ aperit. Ægrotus circa vesperam saltare prius, deinde irasci, omnia frangere & præsentes verberare incipit, ira percitus in epilepsiam satis gravem incidit, ita ut furor epilepsiam præcederet, & illius remissionem insania sequeretur. Accersitus invenio ipsum sub manibus duorum virorum robustorum, quorum tamen robur non sufficiens erat ad eum detinendum; truculentus erat, omnibus mortem minabatur: nihil de medicamentis assumebat, omnia respuebat. Adhuc duos (ut quatuor essent) viros robore pollentes nactus, ut in lecto prostratus jaceret, curavi. Præscripsi bezoardica cum antiepilepticis mixta, occasioni invigilans, quando epilepsia remitteret, tunc enim os apertum manebat, ubi quantum cochlear unicum medicamenti caperet, saltem infundere potui. Cum parum in tam paucâ quantitate exhibitis hisce proficerem, sequens unicâ vice infundebam: Rec. *aqu. ceras. n.* ℥iij. *lap. bez. or. ver.* ℈ß. M. Horis duabus elapsis remisit epilepsia cum furore, sed tamen inconvenientia loquebatur, delirio adhuc durante, neque vel preces vel pastorem vel me ferre potuit. De V. S. cogitavi, sed impossibile erat propter inquietudinem. Medicamenta tamen tandem admittebat, paululùm mansuetior factus, & post horam 10. vespertinam ad sanam rediit mentem. Dedi deinde antipleuritica, & paucis diebus ipsum annuente Divinâ gratiâ integræ sanitati restitui.

OBSERVATIO XCVII.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

OBSTRUCTIONIS ALVI CAUSA MIRA.

MArcellus Donatus *de med. hist. mirab. l. 5. c. 3. de mirabilibus carneis excrescentiis* inquit: *Non solum hujusmodi carneæ excrescentiæ in partibus corporis nostri externis, verum etiam internis gigni posse, experimentum comprobatum est.* Et exemplum refert ex *Albucasi* de excrescentiâ carneâ in cordis ventriculo sinistro; item ex *Vesalio* & *Benivenio*, & ex *Fernelio* in orificio ventriculi, In *Anno secundo Ephem. Curios. Dn. D. Segerus* attulit observationem de excrescentiâ ejusmodi in collo uteri. *Dn. D.* Kerkringius *Observ. 56.* meminit corporis glandulosi à fœmina *κάτω* rejecti, tres palmos longitudine, latitudine binos adæquans digitos, quod 7. pendebat uncias. Placet igitur his annectere historiam de ejusmodi excrescentiâ intestinis adnatâ: Mercatoris cujusdam filiolus annum agens secundum ab initio vitæ semper obstructionibus erat obnoxius, omnibus consuetis absque emolumento adhibitis. Tandem ex improviso per secessum excrevit massam carneam instar renis vervecis, in cujus medio conspicuus erat locus, ubi intestinis adhæsit; quo loco autem, incognitum. Obstructionibus verò alvi ampliùs non infestabatur, quod manifestum reddebat, hanc excrescentiam carneam tantummodò illis causam præbuisse.

OBSERVATIO XCVIII.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

ULCERE IN MAXILLA.

ANgelus Sala *Anat.* ℥. P. 2. C. 4. *p.* 353. hæc de cerussa ℥ij verba habet: *Hoc pulvere non solum uti possumus extrinsecus in affectionibus nempe humani corporis externis, quarum curationes*

ad

ad chirurgiam pertinent, in quibus cerussa maximum usum habere consuevit: sed quod plus est, etiam intro assumi innoxiè, imo cum maximâ utilitate potest: præsertim in curatione inveteratorum ulcerum, scabierum aut pustularum pertinacium, quæ ob maximam in corpore humano humiditatis copiam sanari non potuerunt. &c. Quantum cerussæ hujus usus extrinsecus emolumenti attulit, *in Obs. 132. Anni secundi Ephem. Curios.* mentionem feci; nunc verò quod etiam intrinsecus, & quidem secundum veritatem verborum authoris, egregium sit medicamentum, observatione sequenti demonstrabo.

Lanii cujusdam vidua ULCUS in maxillâ inferiore dextrâ exterius non procul à mento multis annis apertum habebat, quod etsi chirurgi varia adhibuerint remedia, tamen sanari non potuit. Dedi purgans & cerussam ʒij cum conservis cephalicis in formâ electuarii exhibui, & brevi tempore ulcus absque externis medicamentis exsiccatum & persanatum est.

OBSERVATIO XCIX.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE *DOLORE BRACHIORUM ET CRURUM CUM IMMOBILITATE.*

CLarissimus *Mollenbroccius* in præloquio Tractatus egregii *de Arthrit. vag. scorb.* dicit: *Eorum, qui scorbutum è numero morborum planè tollere & inter non-entia referre non erubescunt, contumaciam mirari nequeo.* Et hoc quidem haud sine causa, hoc enim malum tàm familiare est, ut ille Medici nomen non mereatur, cui in praxi suâ negotium non fecerit. Etsi verò Protei instar mox hanc mox aliam figuram mentiatur, tamen ab exercitatis & diligentibus scrutatoribus agnoscitur, & idoneis remediis prosternitur. In nullis verò subjectis, ut in aliis, sic etiam in hoc morbo difficilior existit curatio, quàm in prægnantibus, de quâ religiosè institutâ sequens observatio testimonium exhibebit.

Tubicinis uxor gravida repentè dolore brachiorum & crurum afficiebatur, non potuit se movere, sed quasi rigida fuit; Cum adhuc

in pri-

in primis ingravidationis mensibus versaretur, non ausus sum venam tundere vel purgationem instituere, sed sudoriferis & antiscorbuticis appropriatis rem peregi. Cum verò sibi restituta videretur ex improviso magnum sanguinis profluvium ex utero sive ipsius vaginâ potiùs obortum, ita ut abortus expectaretur; adhibui tàm interna quàm externa corroborantia & astringentia. Inhibitus primo est fluxus ex parte, mox ex toto, ita ut justo tempore infans deinde natus sit. An ab antiscorbuticis, cùm aperientia sint, apertio hæc venarum circa uterum ortum habuerit, dubius fui.

OBSERVATIO C.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

ΠΑΙΔΑΡΘΡΟΚΑΚΗ.

Diogenianus, octavi apud *Plutarchum* symposii conviva, ait: *Aliqui naturam parere morbos novos æque ac monstra censent. Monstra vero monstrant*, inquit *Weinrichius de monstr. c. 3. p. 18.* Morbi autem novi monstrant, se peccatorum novorum nova esse flagella. *Corn. Celsus in Præfat. post med.* morbum novum affert, sc. ubi carne ex partibus naturalibus prolapsa, æger paucarum horarum spatio è vivis sublatus sit. Videatur Paraphrasis super hunc locum *Zac. Lusit. Hist. Princ. Med. L. 6. p. 919.* Placet novum hoc seculo exortum & à magno illo Neapolitano Chirurgo & Medico, *Marco Aurelio Severino* primo delineatum morbum & quidem à me, divina annuente gratiâ, feliciter curatum, theatro Curiosorum sistere, qui satis congruè à prædicto Authore παιδαρθροκάκη appellatur, & non saltem carnem, sed & ipsa ossa exedere solet.

Puella quædam 10. annorum post variolas tam in brachiis & manibus, quàm pedibus circa articulos tumoribus infestabatur duris, ægrè ad suppurationem pervenientibus, alii aperti erant, alii non; ex apertis ichor saltem effluebat tenuis, rariùs aliquid puris. Dedi decoctum ex *rad. chinæ* & *sarsaparillæ*, admistis herbis spleneticis & hepaticis, imo & purgantibus, mihi ad mundificationem sanguinis familiare. Jussi, ut ulcera *aqua calc. viv.* eluerentur & turundæ illinerentur sequenti unguen-

unguento; Rec. *unguent. diapomphol.* ℥ß. *sach. saturn.* ʒj. M. tegerentur deinde *emplastro gryseo.* Ad tumores duros relictos tandem præscripsi *empl. diaphoret. Mynsicht.* Ita in integrum restituta est.

OBSERVATIO CI.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

NODO CALLOSO.

IN observationis 326. *Scholio Ann.* 3. *Ephemer. Curiosar.* egi de gangliis, illa distinguendo ab exostosi & nodis callosis, experimentum addidi ad ganglia, nunc aliud communicabo ad nodos callosos à causâ externâ ortos, quorum etiam mentionem facit *M. Aurel. Severinus de Abscess. anomal. c.* 18. Illustris quidam Baro equos suos in stabula lapillis strato visitans cecidit, genu allidens, dolorem sensit sub patellâ, paulò post verò excrescentiam quandam callosam. Chirurgorum operâ usus est per aliquod temporis spatium. Cum tumor nihil imminueretur, ad me confugientem sequenti emplastro brevi temporis spatio persanavi. Rec. *empl. diaphor. Mynf. de ammon. For.* āā. ℥j. *ol.* ♀ *St. nigr.* ʒj. M. Sæpius tumores duros ad maturationem non aptos hoc emplastro discussi.

OBSERVATIO CII.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI VVINCLERI

DE

CALCULO VESICÆ.

CHristophorus Guarinonius *consf.* 300. *p.* 311. *ait: Medicamentis vix visum est lapidem* (de vesicæ calculo ipsi sermo est) *solidum disruptum.* Etsi vero cum illo quamplurimi de curatione desperant, ideo quod via ad vesicam sit longinqua, & interna medicamenta plerumque vires perdant, priusquam ad vesicam perveniant, tamen cum exempla non desint eorum, qui feliciter absque sectione curati, si morbus det inducias, experimenta approbata omninò in usum trahenda existimo. Videatur in *Ann.* 2. *Ephem. Curiosar.*

riosar. Obs. 124. *Dn. D. Clozii* & 220. *Dn. D. Reiselii*, qui pulveris seminis alicujus mentionem facit, qui in deplorato & jamjam sectioni destinato calculum comminuit & expulit. Hoc in memoriam mihi revocavit, me aliquando mensæ Principis assidentem ab Illustrissimo Comite quodam audivisse, parentem ipsius à calculo renum, aliis incassum exhibitis, pulvere *sem. Bardanæ* liberatum esse. Qui procul dubio in calculo vesicæ etiam conduceret. Pulvis compositus feliciter exhibitus annotatus est in *cista medicâ Hornungi Ep. 273. p. 484.* Addam itaque experimentum proprium.

Ipse enim puero duodecim annorum calculum vesicæ comminui & frustulatim expuli unico hoc medicamento: Rec. *sem. viol. purp.* ℥ß. △. *fragar. ononid. alkekeng. āā* q. s. F. l. a. Emulſ. add. *asell. ppt.* ʒj. *sangv. hirc. ppt.* ʒß. *sp. lithontrib.* ℈j. *sp. terebinth.* ℈ß. M. Dentur sæpiùs cochlearia duo. Frustula excrevit satis magna & ad nigredinem vergentia, ita ut cortex unus alteri superductus videretur.

OBSERVATIO CIII.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI DE *PHTHISI EX FLUORE ALBO LETHALI.*

IN Anno secundo *Ephemeridum Curiosarum in Scholio Obs.* 26. mentio facta est illustrissimæ personæ, quæ phthisi mortua est: cum verò brevibus id saltem factum, ego autem ipsius curæ à principio ad finem usque præfuerim, & omnia symptomata accuratè annotaverim, paullò prolixius morbum istum describam.

Persona ista erat ætatis XXV. annorum, constitutionis calidæ & siccæ, dum virgo adhuc esset, sæpius & singulis, dum haberentur, diebus comedere solebat fructus 4. melonum integros, superbibens aquam fontanam frigidam, balnea in aquâ frigidâ nocturno tempore instituit & sic per pravam diætam humores peccantes cumulavit; unde post matrimonium contractum, mutato aere & vitâ cœlibe abscessus sub axillâ dextrâ prodiit, qui apertus, mundificatus & sanatus est. Postmodum scabie sicca laborare cœpit, adjuncto fluore muliebri, sive fluxu albo. Cum itaque horum malorum pertæsa, & simul prolis habendæ amore arderet, nescio an pudoris causa quod Medicis ea revelare noluerit,

noluerit, vel potius ab aliis persuasa, curæ medicastræ nefandæ se concredidit. Quæ adhibitis balneis astringentibus è vitriolo, alumine &c. repulit humores peccantes per fluxum album & scabiem excretos, qui regurgitantes ad superiora tertio statim die scrophulas in collo ab utroque latere magnas parvis subsequentibus produxerunt. Hinc tussis valida oborta, materiâ sc. acri & crassa ad pulmones delatâ, qui illâ infarcti tandem putredine affecti & exulcerati, unde febris putrida cum hecticâ accessit, viresque magis magisque dejecit. Expectorationes erant purulentæ cum sanguine mistæ, ita ut consummata inde phthisis, quicquid de pretiosissimis medicamentis ex consiliis præcipuorum Medicorum adhibitum, sequeretur, cui propter nimium potum (propter calorem p. n.) etiam hydrops conjungebatur, & tandem mors placida sequebatur; cum per sesquiannum cum hisce malis conflictata esset. Ubi & hoc notandum duxi, quod *Hipp. l. 5. aph.* 12. dicat: *Quibuscunq; tabidis è capite unà capilli defluunt, ii diarrhœ à superveniente moriuntur.* Hæc vero persona illustris præsenti capillorum defluvio sæpius vexabatur diarrhœâ & quidem satis enormi, dejiciens semper serum multa bile tinctum, ita ut prima vice terrorem omnibus incuteret, & mors, propter vires debilitatas, expectaretur. Sed exhibitis remediis confortantibus pretiosissimis & hâc & aliis vicibus ab eâ evasit, ita ut recuperatis viribus eam ipsi emolumento fuisse animadvertere licuerit. Itaque oraculum Hippocratis intelligendum est de ea diarrhœâ, quæ è summâ naturæ debilitate & retentricis relaxatione, non verò ab expultricis robore originem ducit.

OBSERVATIO CIV.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI DE *LUMBRICO LATO.*

IN *Annum 3. Ephemerid. Observ.* 229. *Dn. D. Scholtzius* inseruit exemplum egregium de lumbricis latis, non unicuique in praxi obvium. Præter Authores, quos ille introducit de hâc materia scribentes, invenio *Drawitzium*, qui *p.* 126. chalapium pro pe-

culiari antidoto summoperè commendat. Quid mihi acciderit, & quidem ex improviso, enarrare animus est.

Puella 15. circiter annorum laboravit duplici tertiana, quæ ipsius vires valde dejiciebat. Dedi purgans: Rec. *spec. diaturb. c. rh.* ʒß. *cryst.* ♀. gr. vij. *pulv. chalap.* ℈ß. M. F. pul. Dejecit sæpius & tandem cum fæcibus lumbricos latos ad 9. ulnas cohærentes. Febris statim cessabat. Dedi, si quid reliquum, sequentem pulverem, quotidie ad ʒß. Rec. *Sem. sant.* ʒj. *hyper. citr.* āā. ℈j. *rad. filic. Fl. tanac.* āā. ℈jj. ⊖l. *calc. C. C. ust. præparat.* āā. ʒß. M. F. pulv. Et in integrum restituta est. Alia vice Pastor quidam exul attulit mihi in vitro ejusmodi lumbricum ulnas circiter 6. longum, quem uxor ipsius excrevit. Sed cum male se non haberet, ordinavi, si quid superesset, allium in lacte coctum. Et amplius nihil animadvertebat.

OBSERVATIO CV.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI DE *SPASMI CURATIONE.*

VEteres duas saltem admiserunt spasmi causas, sc. repletionem, & inanitionem, & quidem authoritate *Hippocratis l. 6. Aph. 39.* Sed ipse *Sennertius l. 1. p. 2. c. 28. quæst. 1. Prax. p. 586.* tertiam addere haud dubitat, scil. irritationem, adducens authoritatem Hippocratis *Aphor. 1. L. 5.* Impugnat hanc doctrinam de repletione & inanitione *Clariss. Willis, Pathol. Cerebr. p. 6. & seq.* & quia in anasarcâ & tabe convulsiones non excitantur, rejicere conatur hasce causas; nec irritatione contentus altiores causas indagare satagit. Spasmi sequentis causam ad inanitionem referri posse, facile concedo. Si verò alicui placuerit eam ad irritationem ab acredine & salsedine feri reducere, nec cum illo litigabo. Observatio verò talis est.

Anno 1667. vocatus sum ad acicularum fabricatorem, adveniens inveni hominē ambulantem celeri gradu per hypocaustum, spasmo pedes, manus imò cervicem convellente, ita ut propter doloris acerbitatem jacere vel sedere non potuerit, nervi in cruribus retrahebantur, ut foveæ fierent pugni profunditate. De causâ sollicitus, inquirenti dixit: se diarrhœâ laborare & sæpissimè alvum exonerasse, materia excreta erat

ta erat serum biliosum, ultimò sanguine tinctum. Ego *Aph.* 4. *S.* 5. considerans & epilepsiam metuens, cum periculum in morâ erat, neglectis abstergentibus ad constipantia & confortantia properans, sequens præscripsi. Rec. *conf. rof. antiq.* ℥j. *torment.* ℥ß. *primul. ver. lil. conv.* ãã. ʒij. *cort. aur. citr. cond.* ãã. ʒj. *nuc. mosch. cond.* ℥ß. *carn. cydon. cond.* ʒij. *decoct. raf. C. C.* q. f. F. l. a. contusum. col. add. *conf. Alkerm. de hyacinth.* ãã. ℈j. *corall. r. ppt.* ʒß. *terr. sig. bol. armen. ppt.* ãã. ℈j. *sir. mastich. menth. corall.* ãã. ℥ß. M. dos. ʒij. & quidem sæpiùs. Hisce usurpatis hâc ipsa die à spasmo immunis evadebat. Sed vires valde labefactatæ erant, cum diarrhœa non totaliter sublata esset. Itaque sequens ordinavi. Rec. *conf. rof. antiq. torment.* ãã. ℥j. *rad. symphyt. maj. cond. cort. aur. citr. cond.* ãã. ʒiij. *terr. sig. ppt. corall. r. ppt. bol. arm. ppt.* ãã. ℈j. Cum *sir. cydon.* q. f. F. l. a. elect. Cum verò artus valdè dolerent, nervis scil. à spasmo distensis, hoc oleum ordinavi. Rec. *ol. lumbr. terr. vulpin. lil. alb.* ãã. ʒß. *castor.* ℈ß. M. Illinantur nervi ubique. Pro viribus refocillandis dedi sæpius cochlear unum vel alterum sequentis aquæ. Rec. *aq. cord. citr. cord. cerv. fr.* ãã ℥ij. *cinam. cyd.* ℥ß. *spir. ceras. n.* ʒiij. M. Cum tandem attritione ventriculi laboraret, hæc mistura profuit. Rec. ▽. *menth.* ℥iß. *zedoar.* ℥ß. *galang. cubeb.* ãã ʒij. *sp. absinth.* ℈j. *mist. s.* ℈ß *elæosach. anis. fænic.* ãã ʒj. M. Et sequenti oleo ventriculi regio inuncta. Rec. *ol. nardin.* ʒj. *mastich. menth.* ãã ʒß. *absinth. dest.* g. v. M. Et sic præter spem multorum convaluit.

OBSERVATIO CVI.
D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI
DE
HYDROPE A VULNERE EPATIS EJUSQUE CURATIONE.

EGregiam observationem annotavit Exc. *Bartholinus c.* 2. *Ep.* 73. de hepate suppurato; ubi à stylo profundius in ulcus demisso, multum aquæ citrinæ effluxit certo signo incipientis hydropis. Hepate enim læso plerumque hydrops subsequitur, & quidem propterea, quod hepar quasi sanguinis colatorium, quo obstructo vel debilitato necessum est, ut segreganda à massâ sanguinea remaneant in corpore. Audiatur hujus exemplum haud contemnendum.

Fuit apud nos locumtenens, qui sclopeto vulneratus erat glande in ipsa hepatis substantia delitescente, cum foramine parvo, è quo sæpè parum puris effluebat, exterius relicto. Ille ne emplastro quidem locum munivit, ideo sæpius cuticula obliterabatur foramen. Quod cum factum esset aliquo temporis spatio præterlapso materiâ purulentâ coacervatâ dolorem sensit, sed acu saltem apprehensâ, ut ipse vidi, cuticulam aperuit, ubi pure evacuato, dolor extemplò evanuit. Consului, ut instrumentum sive canalem aureum sibi compararet, quo foramen apertum servaretur, sed ille hoc contemnens obtemperare noluit. Accessit verò hydrops ascites, quo totum corpus valde intumuit. Præscripsi hunc nodulum. Rec. *rad. ireos nostr.* ℥ij. *fœn. cich.* āā ℥j. *herb. chamædr. fumar. agrimon. capill.* ♀. *hepat.* āā Mß. *Fl. acac. persic.* āā ℈iß. *sp. aperit. fol. sen. s. s.* āā ʒvj. *rhabarb.* ʒjß. *turp. alb. gumm.* ʒvj, *rad. mechoac. chalap.* āā ℥ij. *sem. cartham. cont.* ʒjß. *anis.* ʒj. *galang.* ℈ij. *cort. aur.* ʒß. ⊖. ♀. ℈j. incis. contus. commixt. lig. in nodulo. De quo vinum infusum bibens quotidiè, optimæ sanitati restitutus est.

OBSERVATIO CVII.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

EPILEPSIA A LAPSU CURATA.

A Casu epilepsiam ortam cum rarioribus symptomatibus refert *Dn. D. Schubart*, Collega charissimus. Sed unde hæc orta sint symptomata, tam principium, quam solutio morbi ostendunt. Nam V. S. à principio intermissa, & sanguini affluxus liber ita permissus; in fine & solutione morbi videmus materiam peccantem, à sanguine concreto collectam, rejectam esse. Et ita sæpius errores committuntur, ob non accersitum à principio medicum. Afferam simile exemplum, ubi à principio rectâ methodo curâ institutâ, pessima symptomata facilè manus victas præbuêre.

Ancilla quædam spiritu vini onusta cecidit in glacie alliso admodum capite, attonita jacebat cum obmutescentiâ, usu oculorum & aurium privata, ita ut quasi mortua domum portaretur. Cum chirurgo adveniens, exploravimus, an aliquid fractum esset vel in capite vel aliis partibus, ast nihil animadvertere potuimus. Mox nobis præsentibus epile-

epilepsiâ corripitur, præcedente anxietate & angustia pectoris. A paroxysmo liberata, V. S. instituo in brachio dextro, & rediit ad se, remittente simul pectoris angustiâ. Dedi duabus vicibus *pulverem contra casum*, & capiti dolenti fotum è cephalicis adhibui, sic paucis diebus convaluit.

OBSERVATIO CVIII.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

RATIOCINATIONIS DEPRAVATIONE A VARIOLIS, SUBSEQUENTE παιδαρθροκάκη.

AMplissimus Academiæ nostræ Præses, *Anno* 3. *Ephem. Obs.* 51. *p.* 86. egregiam historiam tradidit, de puero post febrim malignam & bulimiam superatam delirio affecto, & verba quærentis semper repetente, quod sanè ut rarum, sic quodammodo ridiculum. Ejusmodi cura etiam mihi contigit, in puero ejusdem ætatis, ubi tamen morbus in pædarthrocacen convertebatur, quam mors excipiebat. Ita ut recte Hippocrates: nil parvum, nil contemnas. Ita verò habet.

Civis cujusdam Bregensis filius variolis nigredine tinctis periculosissimis laborabat, cum vita vix servata & variolæ jam persanatæ essent, non potuit ad quæsita respondere, repetebat enim semper quæstionem iisdem verbis. Dixi id à reliquiis malignitatis & fermentatione humorum inde excitata provenire, & naturam jam viribus restitutis malum ad articulos & juncturas propulsuram prædixi. Instituta itaque purgatione præscripsi ⊖ c. c. vol. sæpius cum aq. card. ben. usurpandum, ad materiæ peccantis disscusionem. Sed pater ipsius, ut est vir morosus, obtemperare noluit & neglexit omnia. Brevi post sublato delirio materia, ut prædixeram, ad articulos delata παιδαρθροκάκην procreavit, quæ non saltem manus & pedes, sed etiam spinam dorsi invasit, ita ut post multos & diuturnos dolores defatigatus fatis cedere coactus fuerit.

OBSERVATIO CIX.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

CALCULO RENUM,

Ferne-

FErnelius l. 6. c. 13. de part. morb. & sympt. gloriatur, se novam comperisse causam vesicæ calculi, scil. unumquemque calculum vesicæ trahere rudimentum è renibus, quod in vesicâ persistens allatarum sordium adhæsu coagmentetur, dum verus, confirmatusque lapis fiat. Quod probare conatur, quia in omnibus vesicæ calculis in medio nucleum quasi invenerit. Hoc universaliter à veritatis semitâ quidem abhorret, cum etiam pueri, qui rarissimè calculo renum laborant, vesicas habeant sabulo & calculis scatentes, sed tamen in adultis si non semper, tamen plerumque vel ad minimum aliquando hoc accidere, sequenti observatione demonstrabo.

Civis Bregensis conquerebatur de dolore dorsi è regione renum, vomuit, urinæ retentio aderat, & difficulter nec sine dolore aliquid ejus excernere potuit. Adhibui enemata, dedi lithontriptica varia, balnea & fomentationes institui. Dolorum quidem acerbitas mitigabatur, & sentiebat calculum magis magisque descendere, permansit tamen in uretere per octiduum & eò diutius. Deinde ex improviso omnes dolores evanuêre, urina liberè fluebat, appetitus rediit, sed nullus excernebatur calculus, ita ut dubium nobis esset, an unquam calculus adfuisset, sed signorum syndromen animi trutinâ ponderans, & quod ante aliquot annos etiam calculum excrevisset, calculum adhuc latere firmiter persvasus sum. Quid fit, per 10. dies integrâ fruitur sanitate, deinde subitò recrudescit dolor cum ischuriâ, dedi diureticum cum lithontripticis, & excrevit tum demum calculum magnitudine fabæ. Qui procul dubio tam diu hospes fuit in vesicâ. Idem ante biennium dolore nephritico affligebatur, descendebat calculus in vesicam, ubi adhuc latet, & interdum liberum transitum urinæ impedit; cum verò id sine dolore fiat, medicinam non admittit, etsi ipsi prædixerim, calculum quotidie augmentum capturum & olim ipsi mortis causam præbiturum.

OBSERVATIO CX.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

SURDITATE POST FEBREM MALIGNAM.

THonnerus p. 117. Obs. gloriatur, se Ecclesiasten ex febre continuâ per metastasin materiæ, auditus difficultate laborantem sola v. Anhaltinâ cum bombace auribus immissâ, curasse. De successu etiam haud dubito, si materia non sit copiosa & potius vaporosa, quam insigni tenacitate & crassitie pollens. Si enim hâc consistentia prædita nervum auditorium occupet & á calore p. n. induretur, haud ita facile tollitur, sed Medico multum negotii facit, ut sequenti observatione patebit.

Præfectus quidam aliquot pagorum laborabat febri continua malignâ cum plevritide spuriâ, quibus idoneis remediis sublatis, febris lenta cum totali auditus abolitione sequebatur, ita ut maximos clamores & penetrantissimos sonitus ne minimâ quidem parte perciperet. Crisin hanc esse imperfectam sive metastasin materiæ, nullus dubitavi. Cum vero de cephalalgia & dolore aurium simul conquereretur, abscessus futuros existimavi & discutientia dolores mitigantibus addiris applicavi. Quibus quidem dolores evanuêre, sed surditas perseverabat cum febricula lentâ. Corpus purgavi decenter alterantibus subsequentibus. Febris cessabat, omnia munia exequi potuit, sanus alioqui præter auditum. Fotus applicavimus, cucurbitulas dorso & brachiis affiximus, caput decoctis herbarum lavavimus; aurium cavitati aquam Anhaltinam & alia discutientia indidimus, & sexcenta alia tentavimus omnia sine levamine.

Tandem fumum tabaci ordinavimus & cucurbitulas post aures affiximus, quibus tandem perfectæ sanitati restitutus est.

OBSERVATIO CXI.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

PETECHIIS CUM MACULIS VELUTI INUSTIS.

ALbertus Magnus *de animal. l. 7. c. 5. ait : Venenum aliud est calidum, aliud frigidum : calidum quasi comburendo interficit. & cito quasi adustum reddit locum morsus &c.* Quod ut verum, sic non mirum à venenis, extrinsecus advenientibus id fieri, sed ejusmodi humores cauterizantes etiam in corpore humano generari vel ita corrumpi posse, ut in vim causticam abeant,

miratu dignum mihi videtur. Interim tamen hoc à semitâ veritatis non alienum esse, testis est *Hippocrates l. 1. Epid. s. 3. ægr. 9.* ubi Critoni pustulæ nigræ ante obitum obortæ, quod & sequens observatio in apricum deducet.

Scriba ministri aulici petechiis laborabat satis periculosè. Contraxit malum per contagium à milite in eadem domo petechiis sublato. Petechiis verò medicamentis appropriatis expulsis apparuêre simul paulò supra anum maculæ duæ nigerrimæ, quasi cauterio inustæ essent, & eschara relicta, magnitudine grossi argentei magni. Et tamen evasit. Humores cauterizantes in illum locum expulsos fuisse necessum existimo.

OBSERVATIO CXII.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

ISCHURIA UNDECIM DIERUM CURATA.

NUlla est regula, quæ non patiatur exceptionem. *Salius* enim putat, si ischuriâ laborantes intra septem dies non mingant, eos inevitabiliter perire, nec posse evitare mortem, etiam remotâ causâ & lotio provocato, ob accensam febrim. Cui consentit *Sennertus l. 3. p. 8. s. 1. c. 2.* inquiens: *interdum quoque sanguis corrumpitur, & humores putrescunt, unde febres accenduntur, & nisi ante septimum diem mingant, pereunt. Etsi enim postea urina profluat, tamen ob febrim moriuntur. Forestus* verò *l. 24. Obs. 29. in scholio* hoc falsum esse dicit, & *Jachini* testimonium adducit eorum, qui ad 17. pervenerunt, & sani evaserunt. *Hœchstetterus* quidem *p. 2. dec. 5. cas. 10. in schol. p.* 431. distinguit inter ischuriam veram, quæ fit vesicâ repletâ, & spuriam, quæ ipsâ vacuâ existit. *In Anno secundo Ephem.* tria de hâc materiâ communicata sunt exempla, quorum primum *in observatione 23. p. 39.* exstat, ubi ischuria spuriâ affectus 15. diem supervixit & tandem mortuus est. Secundum *observ. 30. p. 57.* inveniendum; ubi die 12. cum omnia desperata essent, calculo excreto urina profluxit & ægra sanata est. Tertium *observ.* 176. annotatum, quæ ischuria fuit vera, & æger 22. diem supervixit & sanatus est. Impossibile esse puto ægrum tanto temporis spa-

tio

tio vitam producere posse, nisi materia serosa aliorsum convertatur & quoad partem excernatur; ut etiam eruditè à Clar. Dn. D. Camerario in ultimâ citatâ observatione annotatum est, quod pars seri per unam atque alteram sedem quotidiè abierit. Lubet casum annectere, quem mihi videre contigit.

Anno 1672. die 20. Martii misit ad me vir, officio aulico fungens, conquerens se præcedente die vesperi nauseam & vomitum passum, dolorem in dorso sensisse, urinam emisisse, sed post illam nihil ejus amplius excernere posse. Præscripsi ipsi potiunculam lithontripticam, sed nihil levaminis sentiens, me accersivit. Adveniens invenio ipsum absque doloribus, sine nauseâ, saltem de urinæ retentione conquerentem. Nihilominus de calculo mihi erat suspicio, cum è regione, renum gravitatem quandam sentiret. Enema præscripsi & lithontripticis perseveravi. Die 22. dicti mensis fortioribus calculum aggressus sum & unguentum pro dorso ordinavi. Cum etiam sitis molesta esset, & febris jam accenderetur, julapium ambabus satisfaciens indicationibus, scil. calculum propellendo & febri resistendo, dedi; sed sine effectu. Die 23. *terebinth.* ℥iij exhibui, à quâ alvus aliquoties soluta, sed urinæ vix cochlear unum effluxit. Etsi vero vesicam vacuam esse tactu percipere potuerim, tamen ne quid intentatum relinquerem chirurgum accersivi & primo cereo, deinde cathetere vesicam exploravi; nihil vero effluxit præter parum sanguinis. Die sequente, qui erat 24. d. m. cum febris augeretur, vena in brachio secta, emulsio diuretica, cataplasma & unguentum tum pro dorso, tum lateribus & pube præscriptum. Die 25. 26. 27. varia diuretica & lithontriptica usurpata, & cum calculus in dubium ab ipsis Collegis vocaretur, & de renum inflammatione suspicio haud parva adesset, etiam venas in pedibus circa talos aperuimus. Exhibita itidem sunt diebus sequentibus alia, quibus affectus hic alias feliciter superatur; sed frustra. Tandem die 30. qui erat morbi undecimus, subitò æger calculos duos semine ricini, quod referebant, paullo minores cum urinæ mensuris circiter octo excrevit; remittente febre, sanitateque optatâ redeunte.

Quem vero casus sæpè transit, tandem aliquando invenit. Vix enim annus elapsus est integer, cum in eosdem vir hicce scopulos impingens, ischuriâ denuò correptus est, quâ etiam die 13. frustra adhibitis quibuscunque artis remediis è vivis sublatus &c.

OBSERVATIO CXIII.
D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI
DE
VOMITU SANGUINIS ENORMI.

A*Vicenna fen.* 10. *l.*3. *tr.*3. *c.*4. non omne sanguinis sputum timorosum esse dicit, cum aliquod sit causa sanitatis apostematis in splene, quum videlicet natura se se deonerante expellitur. Et *Rhasis l.* 9. *tr.* 2. *c.* 2. refert exemplum mulieris spleneticæ, quæ sanguinis vomitu à morbo liberabatur. Cum verò sanguis sit vitæ thesaurus, ut vocatur à *Mesue l.* 1. *de remed. theorem.* 1. *c.* 2. ex quacunque parte nimis copiosè effundatur, periculo haud vacat. Videantur exempla mortuorum hâc de causâ in *Obs.* 314. *Anni* 3. *Ephem.* & in *scholio ejusdem.* De successu curæ felicioris hanc observationem accipite. Anno 1672. mense Majo ancilla viri alicujus è ministris aulicis, annorum viginti & aliquot, cœpit sentire inflationes & punctiones in hypochondrio sinistro. Illa V. S. assueta Medico inconsulto sibi venam in brachio sinistro tundi curavit; sed nihil alleviationis exinde percepit. Die 12. dicti mensis malum valdè ingravescens majores & acutiores dolores & angustias excitabat. Die sequente sc. 13. natura irritata cœpit per vomitum ejicere sanguinis nigri & maximâ parte grumosi, floridi tamen admisti ad ℔ v. Ne itaque natura admodum irritata in excernendo nimium faceret, illam paulatim retrahere, ebullitionem compescere, & motum hunc aliqua ex parte sistere, necessarium duxi; memor *Aphorismi Hipp.* 37. *l.* 7. eos frigidis & adstringentibus curari debere. Præscripsi sequens: Rec. ▽ *burs. past. plantag.* āā. ℥ij. *oxymell. scyll.* ℥jß. *sp.* ⊕*l.* g. vj. M. detur cochlear unum atque alterum per intervalla. Remisit vomitus. Sequenti die sc. 14. d. m. ad aperiendas obstructiones lienis & sanguinis ab acrimoniâ mundificationem purgans exhibui. Rec. *rhab. opt. fol. sen. s. s.* āā. ʒjß. Infund. in *decoct. tamar.* ℥ijß. col. expr. fortit. add. *sir. ros. sol.* ℥ß. *pulv. chalap.* ℈ß. M. movit sedes 11. cum euphoriâ. Sed tamen die sequenti sc. 15. iterum rejecit ἄνω καὶ κάτω sanguinem valdè fœtentem cum summâ debilitate & lipothymiis crebris. Præscripsi sequens Rec. ▽. *scolopendr.*

veron

veron. agrimon. āā ℥ij. *conf. rof. veron. fumar.* āā ʒij. ebull. parùm col. add. ▽. *aperit.* ℥jß. *cord. citr. cinam.* āā ℥ß. *fir. corall.* ℥ijß. *sp.* ⊕*l.* g. iv. *citr.* ʒß. M. Detur fæpiùs per cochlearia. Rec. *Unguent. deopil.* ʒij. *dialth. empl. diach.* āā ʒjß. *troch. de cappar.* ʒß. *abfinth.* ℈j. *ol. aneth. verbafc.* āā ʒij. *cer. parum.* M. F. ungu. pro regione lienis. Enema quoque hâc die injectum, quod etiam fanguinem grumofum eduxit. Nihilominus die 16. revertebatur malum, & rejecit frufta fatis magna & multa fanguinis coagulati. Dedi fequens pro duabus dofibus: Rec. *herb. veron. fcabiof. fcolopendr.* āā mj. *adianth. fl. chamom.* āā Pij. *viol. buglof.* āā Pjß. *rad. gramin. afparag.* āā ʒvj. *jujub. febeft.* āā no. viij. coq. in f. q. ▽. f. col. ℔. ß. add. *conf. rof.* ⊕*l. meliff.* āā ℥ijß. *citr. fcabiof. āā* ʒjß. Parùm ebulliant & col. D. Prima dofis circa vefperam, fecunda fequenti die manè exhibita. Inde alleviatio fecuta, ita ut nihil fanguinis nec per fuperiora, nec per inferiora rejiceret, nec gravitatem ullam in hypochondriis perciperet. Ad fiftendum malum & venarum apertarum orificia conglutinanda confultum exiftimavi remedium fequens. Rec. *conf. rof.* ⊕*l.* ℥j. *fl. borrag. fumar. veron. citr. āā* ℥ß. *rad. fymph. maj. cond. cich. cond.* āā ʒß. *cort. aur. cond.* ʒiij. *corall. r. præparat. lap. hæmat. præparat. bol. arm. præparat.* āā ℈i. Cum *fir. rib.* q. f. M. F. electt. Sæpius de illo deguftavit cum optimo emolumento, ita ut die 17. & 18. nihil ampliùs rejectum, nec naufea percepta fuerit. Die verò 19. ex improvifo per vomitum rejecit fruftra admodum magna fanguinis coagulati, ut portiones vifceris alicujus referrent, inde febris excitabatur, lipothymiæ crebrò infeftabant, omnium fenfuum confternatio fecuta, facies Hippocratica, labia pallida, pulfus debilis, inquietudines aderant, ita ut mortem inftare nemo non putaret. Reiteratum electuarium, fed non potuit hâc formâ affumere, itaque cum *aq. cærefol.* & *veron.* factum eft ex illo contufum, quod affumfit & vomitum compefcuit, tamen in iftâ confternatione permanfit ad d. 21. deinde intumuit tam in facie, quam in manibus & flavefcebat cutis, fed paulò meliùs fe habuit usque ad 24. ubi tanta virium imbecillitas fine vomitu oborta, ut neminem ampliùs agnofceret, & animam agere videretur. Nihilominus confortantibus exhibitis vires recuperabat & diebus fequentibus ufque ad finem menfis magis magisque convalefcebat. Continuatus eft ufus contufi & fimul herbæ recentes pro jufculis ordinatæ, ut *veron. fcolopendr. meliff. agrim. fumar.* Quibus diligenter ufurpatis

convaluit. Cum verò pedes intumescerent, & propter tantam sanguinis profusionem hydrops metuendus esset, *elix. propr. cum succ.* quotidiè in jusculo exhibui; quo etiam ab hydrope præservata & sana omnia munia domestica obibat, usque ad diem 30. Octobr. ubi eandem inflationem & punctionem, ut à principio è regione lienis sentiebat, quibus perterrita statim consilium meum petiit; Rec. *el. propr. c. succ. ess. absinth. comp.* āā ℈j. mane & vesperi mediante jusculo assumebat g. xv. & hoc solo iterum convaluit. Anno verò 1673. d. 23. Octobr. iterum sanguinem coagulatum vomere incipiebat, præcedentibus iisdem symptomatibus: anxia itaque me absentem expectavit, rediens, dedi statim purgans: Rec. *sir. de trib. de cich. c. rh.* āā ℥ß. *cr.* ♀ ℈j. *pulv. chalap.* ℈ß. *sp.* ⊕*l.* ♂*tis* g. ij. *v. cinam.* ʒß. M dejecit aliquoties materiam adustam sanguine permistam. Vomitus remisit statim. Præscripsi nodulum, quo in vino infuso quotidiè usa est, & deinde matrimonium iniit, adhuc sana degit.

OBSERVATIO CXIV.
D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI
DE
SINGULARI ILEI CURATIONE.

BArbari haud barbarè nec sine rationis æquilibrio ileum appellavêre, miserere mei. Et id non saltem propter acutissimi doloris ad desperationem usque excruciantis atrocitatem, sed etiam propter excrementorum alvi inverso motu & ordine per os rejectionis fœditatem. Talem ego fæcum alvi rejectionem absque tamen atroci dolore aliquando vidi, cujus historiæ seriem proferre haud piget. Mulier quædam paupercula à prava victus ratione incidebat in pertinacem alvi obstructionem in tertiam septimanam durantem, ita ut fæces alvi, ut in ileo, per os rejiceret, & quidem cum tantâ anxietatis molestiâ, ut me rogatum mitteret, quo consentirem in adhuc viventis apertionem ventris. Usurpata varia euporista & alia consueta, quæ sumtus ipsius ferre potuêre, Enemata satis acria sæpius injecta, omnia sine emolumento. Tandem succum expressum è pomis Borsdorffiensibus putridis sæpius bibit, & postquam ejus ad ℔ vj. quantitatem ebibisset, alvus soluta & ipsa sepulchro jam destinata præter omnium

spem

AD ANN. VI. OBS.

N.° I.



N.° K.

ſpem & opinionem è mortis faucibus erepta eſt. Contractura membrorum quidem deinde per hebdomadas 18. laboravit, attamen & ab hâc evaſit, & adhuc ſana vivit.

OBSERVATIO CXV.
D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI
DE
SPICA SECALIS MIRABILI.

ANno *ſecundo Ephemerid. Curioſar. obſ.* 112. ſpica hordei ſingularis depicta eſt, quæ in Sileſiâ in Comitatu Glacenſi viſa eſt. Spicam aliam ſecalis æque ac illa mirabilem appingere lubet, quæ Anno 1634. prope ſuburbia Strelæ non procul ab horreo quodam crevit. Animadverſa à præfecto pagorum cameralium Sereniſſ. Principum Ligio-Bregenſium cuſtodiâ, ne ante maturitatem ab inſcio abrumperetur, munita & 25. Auguſti meſſa, Sereniſſ. Principibus transmiſſa & depicta eſt. Hæc ſpicis majoribus 18. uno culmo conſpicua, & boni ominis cauſa grata fuit. Peſtis enim anno præterito in Sileſia graſſata eſt, & multa millia hominum ad plures detruſit, ita ut ducenteſima ſaltem pars vitam ſervaverit. Iram igitur divinam placatam & Deum ſuperſtites paucos multiplicaturum & nutriturum ex hujus ſpicæ ubertate concluſerunt. Nam interdum hæc aliquid ominis habere, altera duplex ſpica ſecalis demonſtrat, quam *Cl. D. Wenceslaus Scherfer à Scherffenſtein,* Poëta Cæſareus Laureatus Anno 1647. die 23. Julii in deambulatione ex improviſo invenit in agro non procul à Brega, & uxori gravidæ & partui vicinæ apportavit, quæ inde territa, pro omine tacens id habuit, & ſubſecuta nocte filios gemellos enixa eſt.

OBSERVATIO CXVI.
D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI
DE
SCROPHA TRIPEDE.

ETſi rationis rationalis animæ nativæ, ſeu intellectus agentis, ne quidem veſtigium obtineant animalia bruta; attamen rationis per participationem communicatæ ipſi facultati ſenſitivæ, ſeu

intel-

intellectus patientis simulachrum quodcunque gerunt, unde per analogiam quandam rationem obtinere dicuntur, ut loquitur *Deusingius de rat. & loq. brut. anim. p.* 214. §. 92. Quod etiam ex vi imaginationis, ab ipsis haud alienâ, patet. Quæ, quod etiam in brutis locum habeat, testimonium satis luculentum exhibet exemplum Jacobi Patriarchæ, qui virgas virides decorticatas ovibus in canales & alveos aquarum præposuit. Etsi enim variæ & multæ causæ monstrorum recenseantur, tamen utplurimum phantasia in culpâ est, & quidem etiam in brutis, ubi sc. faciliùs à scopo suo, absente animâ rationali, aberrare potest, ejus rei exemplum referam de scropha sylvestri tripede, quæ in Ducatu nostro capta & hîc depicta est; ubi tamen cum nemine litem instituam, num ex phantasiâ & imaginatione matris, vel aliis causis ita genita sit. Factum illud est Anno 1647. die 20. Januarii in districtu Bregensi, prope pagum Tscheplovvitz hora 8. matutinâ. Longitudo erat ulnarum duarum cum dimidiâ propemodum; Altitudo ulna una & dimidia. Scapula sinistra saltem erat conspicua, pedis & scapulæ dextræ nullum indicium. Pes unicus glande plumbeâ trajectus, ita ut viva capta sit. Fissura ungulæ valdè elongata fuit, quia moles totius corporis isti pedi soli incumbebat, à dextra parte pili erant detriti, quod eâ fortassis arborum stipitibus, quietem captura acclinare se solita fuerit.

OBSERVATIO CXVII.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE ROSIS SALIGNIS,

MArte triginta annorum spatio Germaniam depopulante, proverbium multis in locis increbuit: *pacem tum futuram, quando in salicibus rosæ effloruissent.* Anno vero 1648. id reverà contigit; cujus rei in memoriam ramus à viro fide digno, ceu teste oculato, tunc temporis depictus est, quem postmodum dono accepi, hic verò cupro incisum exhibeo. Folia florum rosarum exteriora, fuerunt quidem viridia, interiora verò alba & rubicunda, in medio flavedinis aliquid, ut rosæ solent, habebant.

Con-


AD ANN. VI. OBS. N°I.

Conſtat ergò hinc, flores hoſce ſalignos roſas illas eſſe, de quibus vaticinium vulgi omen captavit, non verò efflorеſcentias illas muſcoſas, de quibus *Dn. Sigismundus Graſſius in Anno III. Ephemerid. Curioſ. Obſ. 64.* egerat.

OBSERVATIO CXVIII.

D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI

DE

PUERO CUM SEX DIGITIS IN UTRAQUE MANU ET DEXTRO PEDE NATO.

Quantum vis imaginationis valeat in prægnantibus, vix verbis exprimi poteſt; & quidem noſtro ævo tanta eſt frequentia exemplorum, ut non tam mirum ſit, vi imaginationis fœtum à matre aliquando ſignari; quam potius quod non ſemper id faciat. Circumſcripta tamen ſunt tempora, quod enim natura primo geſtationis tempore facit, medio haud perficiet, multo minus ultimo. Egregiè *Thomas Fienus de vir imag. quæſt.* 21. *p.* 340. de iis, quæ ultimo tempore fieri poſſunt, diſſerit: *In fine prægnationis poſſunt induci notæ in colore, in pilis: ut maculæ rubræ aut lividæ, aut pilis conſitæ. Poſſunt etiam produci carneæ aliquæ adnaſcentiæ & tubercula* &c. Et paulò poſt: *Et ſic mulier quinto aut ſexto menſe deterrita à pictura vel homine enorme caput vel pedem habente, poſſet adhuc producere fœtum, ſimilem earundem partium magnitudinem habentem.* Exemplum adducam de fœmina honeſtâ, quæ quinto menſe ingravidationis fœtum ſignavit.

Viri cujusdam honeſti uxor prægnans quinto menſe accepit dono cancros egregiâ magnitudine, illos admirantis & manu contrectantis digitum minimum unus chelâ comprimit, ita ut manui adhæreret. Illa perterrita quidem, cancrum tamen manu excuſſit, nil ampliùs de illo ſollicita. Anno 1675. die 12. Junii juſto tempore filium parit, qui in utraque manu digitum minimum habebat duplicem, unum debito loco poſitum, alterum ab illius articulo infimo dependentem, in ſiniſtra quidem manu magis adhærentem, in dextrâ verò plane pendulum. In pede autem dextra digitus minimus uterque articulo ſuo inſerti, ſed car-

ne & cute ad supremum apicem usque sibi adhærebant, ut ferè chelyn cancrinam formarent. Cum tertiam septimanam infans complevisset, ligatura prius institutâ digitum firmius adhærentem novaculâ abscindere curavi, mox alterâ die absque ligaturâ alterum. Quod sine magno dolore & profusione sanguinis factum, & vulnera haud difficulter sanata sunt, ita ut vix vestigium conspicuum sit.

(*Mense Septembr. Ann.* 1675.)

OBSERVATIO CXIX.

D. GEORGI WOLFFGANGI WEDELII

FOLIA QUERCUS IN ÆS MUTATA.

Miserat ad me *Dn. D. Esaias Waldmann*, aliàs *Geyger*, aliquot folia quoad externam faciem, quercûs foliis ut ovo ovum similibus, partim complicata, partim expansa, fibrulis, nervisque tam affabrè expressis, ut naturæ artificium vix satis mirari possit. Color æris instar dilutior, subrubellus, pondus metallo conforme, sonus leviter percussorum tinniens, ex quibus, ut & aliis natura ♀ea satis emicat, licet non purum æs, sed immersum particulis aliis esse perspicuum sit. De origine verò horum quæsitus vir laudatissimus, uti ex patriâ, Hungariâ, ea attulit, eorumque & naturæ arcanorum aliorum optimè gnarus est, sequentem in modum Schmalcaldiâ respondit:

Ærea transmissa quercûs folia natales debent Hungariæ, & in eâ rivulo percelebri ad oppidum Smolnicium in provinciâ Zepusiensi, non procul à monte Carpatho sito, qui quod ferrum corrodat, ejusque loco cuprum substituat, satis ubique notus est. Sic Florentiæ quoque apud Clar. Stenonem me soleam equi cupream vidisse memini, quæ ferrea fuit. Juxta hanc aquam sitæ sunt quædam quercus, quarum foliis autumni tempore forte fortuna in rivum hunc elapsis particulæ ♀eæ, quibus totus scatet, sese mox agglomerant, instarque limi adhærent; hæ parvo temporis spatio tenuem foliorum substantiam rodendo consumunt, ipsa verò massa ex nimiâ atomorum aggregatione densata, si aeri sicco vel soli exponatur, durescit, remanente formâ delapsi folii, & sic metamorphosis hæc accidit. Creditur hujus æris centenarius auri ℥xij. continere, an verò eventus voto respondeat, mihi nondum constat. Videri

deri pluribus hanc in rem poteſt *Kircher. mund. ſubterr. VVehrner epiſt. de admir. aquis Hungar. Thurnheiſer. de aq. miner. & alii.*

OBSERVATIO CXX.

D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII

MUTATIO ♂ IN ♀ SEU FERRI IN CUPRUM.

AFfinia his ſunt, quæ de mutatione ♂ in ♀tum nativâ tum artificiali inter chimicos agitantur. Hinc, cum id in Hungariâ fieri non ſolùm fama conſtans, ſed & autorum diverſorum ſcripta asſererent, inductus ſciendi deſiderio rei veritatem Sereniſſimus Princeps ac Dominus, *Dn ERNESTUS, Dux Saxoniæ* &c. &c. glorioſisſimæ memoriæ, ad Comitem Thökely literas anni 1664. miſit, ut, quidnam de hâc mutatione conſtaret in Hungariâ, reſciſceret indubiè. Reſpondit 1665. d. 30. Jan. Comes Stephanus Theökeoly, fieri transmutationem ejusmodi non in montanis Sacr. Cæſ. Majeſt. ditionibus, ſed in bonis Dominorum Chaky, Somolnock dictis, miſſâ unà aquæ ipſius transmutantis & cupri ex ferro facti particulâ inſigni, & additâ hâc ſchedulâ:

Deſcriptio, qualiter ferrum mutetur in cuprum in Smolnick:

1. Ferrum, qualecunque ſit, novum vel antiquum, artificialiter immittitur in profunditatem viſcerum terræ ad centum ulnas, & ibi maceratur in aquâ tamdiu, donec reſolvitur in lutum, quod coagulatur inſtar argillæ, poſthac in igne deſtillatur, & fit purum cuprum.

2. Quod eſt craſſum ferrum inſtar cultri, ſicut ſolet fieri in fine maſſæ ferri, illud intra ſpatium 24. horarum liquefit, quod autem craſſius inſtar unius digiti, vel duorum, illud intra ſpatium unius menſis & quandocunque unius cum dimidio.

3. Diminutio non una obſervatur, aliquando ex C. centenariis ferri fiunt XC. cupri, quandoque 84. 86. 87.

Extant hæ literæ & ſpecimen transmutati ferri in rarithecio Saxo-Gothano, unde ſpeciali gratiâ Celſiſſimi, nunc beatiſſimi Principis ante aliquot annos hæc ibidem excerpſimus.

Dubium verò inter chimicos agitatur, ſit ne hæc transmutatio vera, an ſaltim ſeparatio & collectio particularum venerearum beneficio ferri præ-

ri præstita. Prius statuunt plurimi, &, ut paucos solùm nominemus, *Crusius physic. Hermet. p.* 110. *Majer. de sept. montib. planet. p.* 122. qui idem Goslariæ quoque fieri scribit; Præcipuè verò legi hanc in rem merentur duo autores eximii, *Matthesius in Sarept. conc.* 8. *pag.* 360. & *Raccius l.* 5. *de therm. c.* 12. *p.* 311. qui allegat ex *Georg. Wehrner. l. de reb. Pannon.* sequentia: Ad Zepusium in Smolnicio sunt aquæ, quæ & ferrum erodunt, & lapidescunt: animantes verò epotæ enecant. Eruuntur autem ex his montanis metalla ferrum præcipuè atque æs, injectaque in eas aquas equi solea ferrea, seu frustum ex montis ipsius ferrariis erutum, viginti quatuor horarum spatio exeditur; cæmentique specie eliquatum excoquitur in fornace, fitque id ipsum cuprum nobilissimi generis.

Nos ergò utrumque observantes in hoc ipso processu, ferrum nempe erodi, liquefieri quasi & naturam suam perdere, aquas verò ipsas ⊖tas id præstare & unà communicare atomos ♀eas, hinc prædominantes, dicimus, ut ferrum mediantibus acidis spiritibus vitriolescit, ita etiam non improbabile esse, id ipsum in cuprum symbolicum metallum posse abire, accessione nempe aliorum, quæ ejusdem particulas immutant. Hinc ubicunque fit destructio prioris formæ & productio novæ, ibi transmutatio est, licet non æquè atque penitus essentialis. Pertinet huc quoque, quod *Olaus Wormius musei c.* 10. *p.* 25. spiritum ⊖li scribit mutare ferrum in cuprum, quod quidem hoc loco latius diducere non attinet.

OBSERVATIO CXXI.
D. GOTTOFREDI CHRISTIANI WINCLERI
DE
VERTIGINE COECORUM.

SUnt ex Recentioribus, inprimis *Faber* & illum sequentes, qui circumrotationem hanc apparentem, seu vertiginem, primariò & proximè oculis & visus œconomiæ turbatæ adscribendam statuunt, secundariò verò pati phantasiam, adeoque principaliter oculos, adæquatè cerebrum affici. Ratio eorum est, quod credant certissimum esse, utroque oculo cœcos vertigine non affligi, & distinguunt inter nutationem & circumgyrationem, illam quidem cœcis convenire posse, hanc verò neutiquam putant. Juxta hanc hypothe-

si

sin causa vertiginis est tumultuosus & confusus spiritus optici & vaporis excrementitii in oculi adyta influxus.

Verùm difficili nituntur fundamento, seu rationem spectes, seu experientiam. Turbantur enim in vertiginoso nutu non solùm sensus externi, hebetior fit visus, auditus obtusior, sed & interni. Quid ergò opus est, ut statuamus, primò spiritus animales tumultuosè & confusè irruere in nervos opticos, hinc demum ad cerebrum horum vitium redundare & tunc fieri vertiginem? Experientia quoque testatur, cœcos non nutatione solùm, sed & circumgyratione tali vitiosâ & turbine laborare.

Exemplum hujus rei & exceptione majus testimonium notavi in cœco h. l. notissimo, viro doctissimo *Dn. M. Schmidio*, qui & per integrum annum gravissimâ & verâ laboravit vertigine, & nisi prospiciat sibi medicamentis aptis, autumnali vernoque tempore, facile hujus affectus reliquias repullulascere sentit. De hoc ipso verò & causis vertiginis in genere latius in *Exercit. nostris Pathologicis* aucturi sumus.

OBSERVATIO CXXII.
D. GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII
DE
CANCRO IN CANCRO.

LUsus naturæ fœcundantis circa ovum in ovo, citrum in citro & alia hactenus inter scrinia quoque rariorum repositos & annotatos, legimus, quale ovulum inter alia, in alio Göttingæ repertum, cum plura pro oleo ovorum parando confringerentur, *Dn. D. Trumphius*, Physicus t. t. Göttingensis ordinarius, dono mihi misit; Ast cancrum in cancro repertum & quidem in masculo, omninò rarum esse duco, præcipuè cum ex oviparorum genere & fœmellas esse constet. Tale verò videndum se obtulit viro integerrimo *Dn. Christophoro Zillingio*, J. U. D. & Practico Lipsiensi, amico meo honoratissimo, cujus relationem, pace ipsius, è literis ad me d. 5. Sept. 1674. hîc adducam: Emerat, scribit, conjux mea cancros, quorum unus major reliquis isque masculis alium quadruplo minorem intus continebat. Hic ob loci angustiam ventrem versus utramque chelyn & caudam ita tamen compressam vertebat, ut fracta quasi videretur. Stomachus majoris vacuus erat, & in medio cancri ad caudam mi-

noris situs. Minor intus recens quidem, sed carnis ferè expers præter caudam erat. Cauda ipsa in medio paulisper contusa, de cœtero verò cancer ipse totus atque perfectus erat, & quoad magnitudinem digitum minorem æquabat. Omnibus, quibus huc usque retuli, res insolens videtur, nec me judice aliam quis afferet rationem, quàm si cancrum minorem vix ovo exclusum à majore devoratum dixerit; eum verò deglutitum fuisse vix credibile est.

Sive ergò hunc insolitum embryonem in altero genitum dicamus, sive ab altero captum & deglutitum, seu denique læsione fortuitâ majoris prævià factum esse, ut chelys ceu operculum & integumentum commune paulisper hians minori quasi latibulum quærenti hospitium concesserit, hicque ex hospite incola factus sit, quod videtur verosimilius, non tamen res caret difficultatibus, præcipuè quoad hujus nutrimentum, vestis extimæ mutationem aliaque, adeoque hoc ipsum disquisitione ulteriori non indignum est.

OBSERVATIO CXXIII.

D. GEORGII VVOLFFGANGI VVEDELII
DE
SPIRITU ⊖LI REGENERATO.

Non nescio, quæ de spiritu ⊖li regenerato solent agitari hypothefes, quas adducere foret superfluum. Ausim dicere, pace doctissimorum virorum, qui secus sentiunt, non arcessendum eum esse ab aere, & inde in ☉ derivandum, sed aliunde & longè alia ratione, ut experimentis abundè demonstrari potest. Si enim noverimus, igne mediante concidere & concentrari vitriolatas salinas partes, in ʒtione; si noverimus, spiritum ⊖li nil aliud esse, quàm sal acidum fluorem adeptum, mediante phlegmate quantillo etiam protrusum, & tamdiu prodire spiritum, quamdiu vel atomus humoris tanquam vehiculum in eo extat, ut tandem etiam acerrimum oleum prodeat, facile est colligere, spiritum regeneratum ⊖li non ex aere instar phœnicis cujusdam revixisse, sed ipsum in ipsissimo ☉ latitasse, quod ideò prius, quàm edulcetur, acrimoniâ non levi adhuc pollet, aerem verò laxiores solum poros reddere, & atomis aqueis junctis ac communicatis, ipsas partes salinas residuas, quæ

cum

cum terreis intimè sunt compactæ, aptas denuò reddere, ut igne subdito, si quod reliquum est, possit sub formâ spiritus elici.

OBSERVATIO CXXIV.

D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII

DE

SUFFUSIONE TUNICÆ ADNATÆ.

PAtiuntur diversos affectus quælibet machinæ oculi partes, non solum interiori concamerationi inservientes, verum etiam externæ. Adnatam in ophthalmiâ inflammari sæpius experimur, ast eandem suffundi humore paulò rarius est. Pastor quidam in viciniâ primum in malâ propè oculum dextrum tuberculum quoddam passus, me consulebat, quod illo evanescente oculus ille ruberet, & tunicæ adnatæ cuticula tota circumcirca pupillam manifeste elevata sero turgeret fluxili, & hinc inde pro ipsius oculi motu mobili & tremulo, adeò ut pupilla & iris depressa subsidere in profundo viderentur. Aperire sanè non consultum duxi, sed dissipationem meditatus exhibui sudoriferum liquidum cum essentiâ succini alcalinâ, exterius verò præter vesicatorium nuchæ applicatum, balsamum ophthalmicum ex pinguedine viperinâ, & collyrium ex *croco metallorum* cùm *aq. chelid. maj.* &c. ex voto sanitatem & vigorem pristinum brevi restituit.

OBSERVATIO CXXV.

D. MARTINI FOGELII

AD

HISTORIAS SUBMERSORUM OBS. XX. RESPONSIO.

FOramen ovale iis, qui sub aquâ vivunt, hâc ratione existimo conferre: sanguis qui è dextro cordis ventriculo in pulmones per arteriam pulmonariam propellitur, nequit in sinistrum ventriculum permanare, nisi aër arteriæ asperæ surculos inflet atque distendat. Hinc enim arteriæ pulmonariæ ramuli comprimuntur, & conclusus in his sanguis protruditur in surculos venæ pulmonariæ. Ubi vero aër non potest distendere arteriæ asperæ surculos, sanguis per alios ductus ex dextro ventriculo in aortam, & ex

venâ

venâ cavâ in sinistrum cordis ventriculum non trajecto pulmone perlabi debet. Jam cum in infantibus recens natis & fœtibus tales ductus peculiares observemus, qui pulmonum vices supplent, quàm diu in utero hærent, in submersis verò aër minimè pulmones subire valeat, ideoque ut in animalibus utero conclusis, ita in his à suo munere pulmones vacent, admodum mihi vero simile fit, per eosdem ductus, vel non satis coalitos, vel patulos, (quales in quadrimulis & quinquennibus, immò grandioribus natu pueris observarunt anatomici,) motum istum sanguinis absolvi.

(In literis ad Dn. D. Langelottum.)

OBSERVATIO CXXVI.

D. JOHANNIS SIGISMUNDI ELSHOLTII

DE

ARTIFICII, QUO OCULORUM HUMORES RESTITUUNTUR, VESTIGIIS APUD VETERES.

INter seculi nostri inventa refertur etiam enchiresis illa, qua oculorum humores sectione factâ expressi restituuntur. Eam hoc ævo, quantum ex epistolis *Franc. Joseph. Burrhi ad Thomam Bartholinum Hafniæ* 1669. editis constat, primus exercuit Romæ Eques aliquis Neapolitanus, ob tumultus bellorum civilium exul, qui artem hanc Cels. Principi Joanni Paulo Jordano Ursino ibidem monstravit: & paulò post Florentiam profectus, Robertum Sothuel Equitem Anglicanum eandem docuit. Is porrò Robertus Sothuel cum Burrhum Amstelodami inveniret, ipsi arcanum ostendit, atque ita circa annum 1666. apud Batavos artificium hoc inclarescere cœpit, æmulatore mox etiam felici *Theodoro Kerckringio*, quemadmodum patet ex ipsius spicilegii Anatomici *Observ.* 100.

Hæc fama cum ad aures nostras perveniret, tentavimus anno 1670. artificium hoc in pullis, anseribus, vervecibus, canibusque exercere, non irrito prorsus successu: quamvis minore apparatu, neque tam artificiosè compositis liquoribus opus esse, quam Burrhus prodidit, reipsa expertus sim. Quin imo si nihil prorsus instilles, tardius quidem redit perdita oculi globositas, atque iridis pupillæque nitor: redit tamen tandem, naturâ humores surrogante. Quod si verò facta incisio

cisione & expressione liquorem per siphunculum mox immittas, mox etiam oculus & globositatem suam recuperat, & sive iridem sive pupillam spectes, alteri socio atque integro oculo similis evadit: remanente solo vulnere in cornea, id quod sequentibus diebus tam in longitudine, quàm in latitudine paulatim etiam imminuitur. Unde patet, promtius omnia redintegrari, si liquor instilletur, quàm si omittatur: quamvis vero consonum videatur, liquorem illum instillatum, à subrogatis sive succedentibus denuò humoribus naturalibus, iterum per vulnus corneæ totum extrudi. Profectò cum inter alias aves anseris horni dextrum oculum summo mane tunc incidissem, humoresque adeò, ut bulbus in se penitus collaberetur, expressissem, anseremque absque instillatione dimisissem: sub vesperam ejusdem diei, bulbum suam globositatem jamtum ferè recuperâsse adverti. Sequenti die globositati quidem nihil amplius deerat, itemque pupilla alteri similis conspiciebatur: Sed iris adhuc erat obscurior & minus vivida: cui etiam tertio vix die nitor suus redibat. Quamobrem omninò, ut superius dicebamus, præstat, operationem hanc adhibita instillatione perficere, quàm ipsam intermittere.

Dum verò isthæc experimenta illo tempore facerem, dubium mihi arduum de humore vitreo oboriebatur, an scilicet is, ob situm adeò profundum, totus ulla ratione exprimi per vulnus corneæ posset. Quare ad indagandam rei veritatem pullo gallinaceo sinistrum oculum discidi, & post effluxum aquei spontaneum, expressi crystallinum totum, & vitrei tantum, quantum fieri mulgendo poterat. Ulterius collum pullo abscidi, & oculum dissectum planè erui, quo explorarem, num adhuc aliquid humorum intus remansisset. Inveni autem post expressionem satis violentam, restitisse nihilo minus aliquid de vitreo: at tantillum, ut pars ejus tertia circiter videretur.. Mox etiam dextrum oculum in illo detruncati pulli capite discidi, & cum vehementiâ expressionem perfeci: deinde erutum oculum dissecui per medium, & adeò vacuum reperi, ut tunicæ interius tantùm inhaderent. Hinc manifestum evadit, *in vivente humorem aqueum sponte effluere, crystallinum à peritâ manu totum vitreum maximâ ex parte posse auferri*: & quanquam portiuncula quædam vitrei altius aut retrò latens restet, tamen oculi œconomia priorum

 duorum

duorum expressione satis turbatur: imò adeò ut de cœcitate irreparabili inducta olim nemo dubitavisset. Id verò adnotatione dignum hic circa expressionem in mentem venit, quod, ubi vitreus humor inter exprimendum egredi incipit, appareant quidem in isto vestigia *ligamenti ciliaris* nigricantia: ipsum verò ligamentum ciliare, quoniam in circumferentia corneæ, firmiter oris duræ membranæ conjungitur, nunquam, nisi violentissima & cœcitatem perpetuam illatura expressio accedat, elabitur. Salvis itaque nervis & membranis humores natura universos in oculis reparat: illis vero læsis, etsi humores natura surrogaret, omnis tamen peribit visio. *Cl. Galenus* certè *lib. de oculo cap. 1.* atque alibi passim, jam statuebat, humorem crystallinum à vitreo, & hunc à cerebro nutriri: nutritio autem fit per surrogationem nutrimenti: igitur hæc quoque surrogatio humorum ablatorum ab intra non erit ad mentem etiam *Galeni* adeò absurda. Ratio itidem inde patet, quare *vulnera oculorum casu facta*, adeò frequenter cæcitatem inducant: læduntur etenim per illa plerumque non humores solùm, sed simul etiam membranæ, aut etiam nervi. Hæc autem vulnera non casu, sed peritâ manu inflicta, solos educunt leniter humores.

Alia etiam sub primordiis addiscendi hujus artificii difficultas mihi nascebatur, de explorando nimirum redeuntis visus tempore, præsertim in illis gallinis, quibus unum duntaxat oculum incidebam, altero servato, ut cibum miseræ capere possent. Itaque excogitabam pileolum sive vittam, ex panno xylino confectam, quæ capiti imposita, oculum integrum sive sanum prorsus contegeret, relicto foramine pro oculo inciso. Septimo aut octavo ab incisione die examen ordiebar, & accommodatâ capiti vittâ atque alligata adverti, grana hordei à gallinâ cum quadam quasi præmeditatione & ad latus inclinato capite quidem colligi: rostrum tamen ad singula grana exactè dirigi, ipsamque nunquam hallucinari, argumento haud obscuro, aut ipsam perfectè oculo secto iterum cernere, aut certè à perfectione parum, & fortassis tantum, quantum à relicta adhuc cicatrice impediretur, abesse. Cicatrix enim ut penitus evanescat, vix septem menses sufficiunt.

Atqui, ne nimis diu recensendis his experimentis nostris, aut argumento jam tum satis per orbem literatum cognito inhærere videamur,

deamur: placet ſtylum vertere, & ad antiquitatem reſpicere, inquirendo, num *Artificii hujus veſtigia apud veteres extent.*

Galenus ſanè, cujus auctoritatem de humorum in oculis nutritione paullò ante quoque citabamus, humorem aqueum puncto oculo effluere, & in pueris etiam regenerari, jam olim vidit: verùm hæ puncturæ *Galeno* viſæ, caſu ſaltem inflictæ ſine dubio fuerunt, non arte, neque ultra aqueum progreſſæ. Verum enimverò apud *C. Plinium lib.* XXIX. *Hiſtor. natur. cap. 6.* extat inſignis locus, & in quo operationis hujus non obſcura facilè indicia agnoſcas. *Alii*, inquit, *terram ſubſternunt lacertæ viridi excœcatæ, & una in vitreo vaſe annulos includunt è ferro ſolido vel auro; cum recepiſſe viſum lacertam apparuerit per vitrum, emiſſa ea, annulis contra lippitudinem utuntur.* Et paulò poſt: *Muſtelæ etiam oculis punctu erutis, ajunt viſum reverti, eademque quæ in lacertis & annulis faciunt.* Tria autem hinc poriſmata deduci poſſunt: 1. Veteres lacertas virides & muſtelas excœcaſſe, & quidem oculis punctu erutis. 2. Ab iisdem illa animalcula in vitris unà cum annulis tamdiu fuiſſe repoſita, donec viſum reciperent, atque ipſo recepto fuiſſe dimiſſas. 3. Annulos iſtos tanquam virtute ophthalmica imbutos, poſtea contra lippitudinem fuiſſe geſtatos.

Ad *primum* quod attinet, *Plinius* diſertè lacertas excœcatas nominat, non cœcas per naturam aut morbum: imò de muſtelis aſſerit, oculos ipſis *punctu erutos* fuiſſe, atque ita manualis neceſſariò interceſſit operatio: non, quæ totos oculi globos evelleret, quippe viſum hoc pacto nunquam recepiſſent: ſed quæ punctura aut ſectione ſcalpelli humores evocaret, atque hâc ratione temporariam inferret cœcitatem. Ex *altero* membro conſtat, lacertas, muſtelasque iſthac ratione viſu orbatas, absque ullo adhibito remedio, ſola paulatim reparante humores natura, ipſum recuperaſſe: id quod in gallinis & anſeribus pari prorſus modo nobis tentantibus eveniſſe, ſuprà retulimus. In *tertio* effectus annulorum iſtorum contra lippitudinem continetur, quem quidem ſuo relinquam auctori, atque illis, qui transfuſioni virtutum ab una re in aliam multum tribuunt: inter quos eminet *Henr. Cornel. Agrippa*, qui propterea hunc *Plinii* textum ferè integrum in *Philoſophiæ ſuæ occultæ lib.* 1. *cap.* 16. tranſtulit. Cæterum plura ex antiquitate loco jam non ſuccurrunt, extare ta-

men non dubitamus; & quamvis plura haud extarent, ad oftendendam nihilo minus analogiam ille Plinii fecundi tantisper fufficeret.

(Referri huc meretur infigne experimentum reftituendi humores oculorum cum fucco veficularum ulmis quod refert *Heerius obf.* 4. *p.* 71. *feq.*)

OBSERVATIO CXXVII.

D. JOHANNIS SIGISMUNDI ELSHOLTII

SEMEN ZINÆ OFFICINARUM AN SIT GENUINUM?

Dubitandi anfa nonnullis fuit præbita, quod 1. femen illud multoties fatum in Germaniâ non prodiret. 2. Quod fato eodem alia ftirps, Tanacetum fcilicet vulgare, aliquando creverit. 3. Quod tam copiosè proftet, cum tamen fit exoticum 4. Quod tam vili vendatur pretio. Quibus ducti rationibus nonnulli, femen Zinæ in officinis venale, ex Tanaceto colligi, aut ejus femine adulterari arbitrantur.

Ad I. igitur quod attinet, clima noftrum fic fatis felix, temperatumque effe ftatuo, ut femen quodcunque vel ex ipfis Indiis allatum, modo vegetum & fationi aptum id fit, in terrâ ritè præparatâ, apud nos non pereat, fed plantam fuam dubio procul prodat. De foliis autem intellectum hoc volo: fiquidem quod ad floris fructusque productionem fpectat, ad illum perfectionis gradum omnes promifcuè ftirpes apud nos haut perveniunt. Exempli loco fit palma dactylifera, cujus femen fatum folia protrudit, aucto etiam annuatim numero: cæterum ad florem aut fructum in Germania pervenire, nondum vifa eft. Quicunque igitur è loco natali femen fementinæ prolificum adeptus fuerit, & apud nos commodo tempore & folo feverit: plantam abfinthii fantonici haut difficulter obtinebit. Neque opus adeò eft, ftabilire hoc auctoritate *Mathæi Lobelii*, quanquam is *Adverfar. pag.* 337. difertis verbis dicat: *Satum nonnullis in locis vidimus femen zedoariæ peregrinum illud, ex quo fruticulus furculofus enatus fuit, undiquaque feminibus glifcens, pluribus fermè quàm foliis: quodque femen nondum vietum, fed plenum & recens qui fit nactus, fi ferat variis locis, facilè plantam affequetur.* Neque me movet adeò auctori-

auctoritas *Jac. Theod. Tabernæmontani*, qui santonicum suum vulgare apud nos in hortis ex semine recenti facilè propagari, *part. 1. herbar. lib.* 1. *c.* 5. adserit. Quin potiùs nitimur canone generali paullò ante allato, ut experimentis pluribus firmato: *Non mori apud nos in terra commoda semen ullum fœcundum.* Quod verò *Joanni Bauhino, Ludovico Jungermanno*, atque aliis, ex semine sancto, terræ vel pluries mandato, nihil prodierit: nisi vetustati seminis vel corruptioni tribuendum id sit, profectò immaturitatem ipsius accusarem. Tere digitis sementinam officinalem, & comperies, comas esse sive summitates plantæ florentis, abscissas antea, quam semina planè maturuerint. Abscedunt enim fricando primum foliola floris exteriora: mox, si instes, etiam interiora & arctius complectentia sive stipantia semen, quod figurâ oblongulum apparet, strigosum & vietum sive flaccidum, vigoremque præ se ferens nullum. Oritur inde, dum saccharo obducere tentant, tanta pharmacopœis difficultas in hoc semine, quanta in nullo alio, nimirum ob foliacea illa integumenta, frictione & oris halitu auferenda prius, quam sacchari liquamen hærere velit. Neque tamen illa foliola cuncta inter conficiendum auferre decet, sed semini propinqua pluscula relinquere, quæ unà cum semine contento globulos quasi parvos junctim constituant: cum nuda semina ob exilitatem hactenus apud nos confecerit nemo. Manifestum, inde evadit, confectionem sementinæ in officinis non tam semine, quam floribus, aut certe maximam partem floribus constare, nec mirum amplius, si lata quibusdam multoties tam imperfecta semina non creverint.

II. Neque majoris momenti est experimentum *Joan. Bodæi Stapelii comment. super Theophrast. Histor. Plantar. pag.* 1151. quod his verbis exprimit: *Bis semen terræ commisi, quod in officinis seminis sancti nomine venditur, bis ex eo natum nobis Tanaceti genus est.* Curavit etiam illius Tanaceti effigiem adsculpi ibidem *Bodæus*, quæ Tanacetum vulgare prorsus refert. Atqui idem ipsi, quod *Joan. Bauhino* & *Lud. Jungermanno* contigisse censendum: comas puta florum, cum seminibus nondum maturis, quales in tabernis prostant, etiam à *Bodæo* fuisse satas, quæ in terra computruerunt; iis interim immissa simul fuisse aliquot semina Tanaceti vegeta, quæ creverunt. Neque mistura illa seminum est tam infrequens, cum nobis inter semen Zinæ non raro

 semi-

semina cumini, thlaspi, & similia quædam occurrerint: absit tamen ut statim inde fraudem aut adulterationem universalem inferre velimus.

III. Argumentum etiam à copia sumtum parum concludit, cum stirps isthæc ex earum numero sit, quæ semine abundant, sive quemadmodum *Matt. Lobelius* loco citato loquitur, *seminibus gliscunt.* Vero simile autem est, colligi illas florum cimas eâdem ratione, quâ nos solemus uti in similibus stirpibus, ex quibus strictis manibus folia aut flores aut semina celeriter & nullo negotio detrahimus, id quod Germani proprio verbo abstreiffen nominant.

IV. Idem quoque de pretio sentiendum, quod non valet esse ingens tum ob abundantiam in patrio solo, tum ob naturalem levitatem, qua naves gravare onerarias ista merx non potest. Et quamvis *Caspar. Bauhinus Pinac. botan. lib. IV. sect. 2.* absinthii santonici quatuor species, Iudaicum videlicet, Alexandrinum, Ægyptiacum atque Gallicum afferat, & inter hæc Alexandrino, ut ex synonymis additis patescit, primas tribuat: credibile tamen est, à mercatoribus Batavis ob viciniam loci, ex Santonia, Galliæ Aquitanicæ provincia, hanc mercem hodiè majori ex parte Amstelodamum, unde nos accipimus, asportari. Vectura autem è regione tam propinqua, & itinere insuper maritimo, non potest magni constare: neque omnino præsumuntur mangones in tam vilibus rebus studium suum locare aut lucrum quærere, cum non desint ipsis in pretiosioribus & nequitia sua mage dignis, mangonia.

Ut igitur, quæ dicta sunt hactenus, in summam contrahamus, semine Zinæ genuino, saltem Gallicano, officinas non destitui, concludimus: quin pro certo etiam habemus, ex semine fœcundo posse illud sub nostro climate nasci. Ad semen autem Tanaceti quod attinet, illud interveniente accuratâ inspectione ab altero non parum differre deprehenditur: & licet adulterari semen sanctum cum isthoc exigua quantitate admisto forte non nequeat, operæ tamen vix pretium esse mangones experientur.

OBSERVATIO CXXIIX.

D. GEORGII SEGERI

DE

CAPREÆ MOSCHIFERÆ EXUVIIS.

HOc Anno 1675. mense Junio, obtinuit Nobilissimus *Dn. Jac. Breynius* à patruele suo *Joh. Breynio*, mercatore Amstelreda-

redamensi, exuvias capreæ moschiferæ, quo toto corpore suo, solis dentibus prominentibus exceptis, capreæ seu Dorcadis nostratis mediocris magnitudinis figuram refert. Exuviarum harum moschi odore fragrantium, longitudo, excluso capite, sex sunt quadrantes una cum semisse ulnæ nostratis. Latitudo verò maxima, quæ inprimis est circa clunes, integram ulnam vix superat. Caudæ vestigia apparent nulla. Pilorum color in dorso præsertim & lateribus circa extremitates suas variegatus est, & in quibusdam ex luteo castaninus, in aliis contra ex castaneo luteus. Unde maculis ad instar juniorum nostrarum caprearum, egregiè superbit. In abdomine cinerei magis sunt, in capite verò ex albo & cinereo castanei, ut & in collo, ubi insuper ex collectione alborum ad latitudinem digiti intortas efformant lineas. Longissimi porrò pili sunt illi, qui circa clunes & in abdomine juxta pedes posteriores radicantur, ubi digitum medium longitudine æquant. Hinc collum versus sensim abbreviantur, ita tamen, ut eousque auricularis longitudinem servent. In collo autem ipso breviores sunt. Qui verò caput & pedes investiunt, omnium sunt brevissimi. Crassissimi præterea & durissimi sunt circa clunes & lumbos, subtilissimi & mollissimi in iliis, capite & pedibus. Omnes denique id habent commune, quod circa radicem præsertim sinuosis flexibus oblongè aliquantulum intorqueantur; & præterea adeò sunt fragiles, ut vel ad levissimam etiam extensionem dissiliant. Cavos verò eos esse, prout nonnulli de cervinis referunt, ne qvidem per microscopium observare licuit. Sunt tamen qua medullam suam fungosi. Cæterùm in abdomine non longè à posterioribus pedibus, eminet tumor rotundus & durus, ovi gallinacei mediocris magnitudine, pilis albis, iisque non flexuosis, sed rectis, & ad folliculi fastigium porrectis obsitus. Circa cujus partem inferiorem unica utrinque caruncula apparet. Qualis etiam, licet paulò major non longè ab istis in sinistro conspicitur latere. Is autem tumor nihil aliud est, nisi folliculus ille, in quo colligitur moschus. Cujus interiorem faciem scrutari non permittebatur, ob metum, ne pretiosis hisce exuviis de splendore suo quidquam decedat. Maxilla præterea superior pollice transverso excedit inferiorem. In superioris medietate utrinque dens unicus eminet, retrorsum versus nonnihil incurvatus, acuminatus, & ad latera

tera

tera aliquantulum compressus, duos pollices transversos longitudine suâ æquans. Præter hos binos autem nulla aliorum dentium apparent vestigia. In maxillæ inferioris parte anteriore quinque visuntur dentes, & tres alveoli, è quibus dentes exciderunt. Octo igitur dentes anteriores in inferiori maxillâ habet hoc animal, qui omnes ut ex residuis optimè colligere licet, sunt incisores. Quorum duo, medium occupantes locum, nimirum quartus & quintus, reliquis sunt prominentiores, acutiores & latiores. Verùm, præter dentes hos anteriores aliis adhuc in inferiori maxillâ præditum esse dentibus hoc animal, inde patet, quia in faucibus frustulum dictæ maxillæ repertum est, cui duo inhæsere dentes, caninus scil. & molaris. Auris dextra, quæ quinque pollices transversos longa, & duos cum semisse lata, sinistram suâ excedit longitudine, Illi enim cartilago adhuc inest, quæ huic exempta, unde istius cutis exsiccata brevior evasit. Cornua adsunt nulla, imò ne quidem eorum vestigia. Pedes anteriores breviores sunt posterioribus, & à nostrarum caprearum pedibus nullo modo differunt. Meritò igitur quadrupedibus adnumeratur bisulcis. Jconem illius ex liberalitate Nobilissimi Breynii adjacens monstrat tabula. In qua *Figura I.* ipsas exhibet exuvias ad vivum planè expressas. Ubi tamen oculos, linguam & dentes in maxilla inferiori posteriores de suo addidit Pictor. *Figura II.* repræsentat exteriorem folliculi faciem graphicè depictam, ubi locus superior, asterisco notatus, est ejus fastigium moscho in illo collecto, dum animal vivit, exitum præbens. Et sic quidem ex supra relatis patet, in quantum aliorum icones admitti possint. Illa nimirum, quam *Gesnerus lib. 1. de quadrup. vivip. pag. 696.* tradit, atque ab *Ant. Musa Brasavolo* se accepisse meminit, ideò vitiosa, quia in ea desunt dentes illi duo, è superiori maxillâ prominentes; & quia in fronte pilos repræsentat, instar antiarum elatos. Icon, quam proponit *P. Boymus, in Flora Sinensi sub. Lit. Z.* satis est laudabilis, nisi quod in ea aures & ungulæ pedum sunt justo acuminatiores, folliculusque nimium extet. *P. Kircheri* icon, quam exhibet in *Chinæ Illustratæ Part. 4. cap. 7.* in omnibus convenit, nisi quod loco bisulcorum pedes pingat digitatos, *Calceolarii figuram*, quam ex ejus *Musei Veronensis pag. 666.* in eruditissimam suam de moscho disputationem, Anno 1667. Jenæ habitam *Dn. D. Lucas Schroccius* transtulit, si talis est in ipso Calceolarii museo (neque enim istud evolvere licuit) qualem proponit ille,

in

CAPREA MOSCHIFERA EX MUSEO JACOBI BREYNII.

Ad Ann. VI. Obs. N°. n.

Ad Ann. VI. Obs. N°. o

Fig I.







Fig. II.











NUX INDICA Sive COCCUS MINIMA CER COPI=THECI FACIEM REPRÆSENTANS. ex Museo Jacobi Br

in plurimis est vitiosa. Aures enim pingit obtusas, cum sint subrotundæ: addit etiam caudam, quæ tamen naturaliter deest: folliculum quoque nimis exstantem exprimit: & denique pilos ita intortos refert, ac animal hoc esset villosum, quod tamen falsum.

OBSERVATIO CXXIX.

D. GEORGII SEGERI

DE

NUCE INDICA SIVE COCCO MINIMA CERCOPITHECI FACIEM REPRÆSENTANTE.

CUm non ita pridem Nobilissimum Dn. Breynium inviserem, isque inter alia rara, illa præsertim, quorum descriptiones dedit *in Miscellaneorum vestrorum Curiosorum Anno Tertio* (*nimirum; Amomi Arabici ramulos, cum flosculis exsiccatis; Amygdalum holosericum Capitis Bonæ Spei; Lignum Gvianense ex Citri & Coriandri misto odore & sapore; Radicem arboris Jacæ; Radicem Tauzarghanta, Jacamabacam liquidam; Resinam Ambræ facie Gvianicam & Terram Gvianensem fœtidam*) meis sisteret tùm oculis tùm examini: remotis istis fructum mihi quoque ostendit exoticum, quem nucem Indicam, sive Coccum minimam Cercopitheci faciem repræsentantem nominavit. Covenit hæc nux cum fructu exotico *2. Clusii, à Clusio Exoticorum Lib. 2. cap. 23. pag.* 50. descripto, qui à *Joh. Bauhino Hist. plant. univ. lib. 3. cap. 192. tom. 1. pag.* 393. *a.* retenta *Clusii* descriptione Fausel accedens nux; & à *Casp. Bauhino Pinac. lib.* 12. *sect. 6 pag.* 510. *b.* Palma nucem ferens decima quarta, seu fructus exoticus Fausel affinis, vocatur, integer hic fructus rectè à *Clusio* dicitur esse sesuncialis longitudinis; est tamen paulò majoris, quam uncialis crassitudinis. Cutaceum putamen, quod cultri mediocris dorsum crassitie non superat, non est foris cinerei coloris tantum, sed potius cinerei cum fusco misti, ita tamen, ut in unâ medietate cinereus, in alterâ fuscus prævaleat. Internè putamen hoc rectè dicitur *à Clusio* multis constare fibris, quæ tamen similes potius sunt fibris involucri coccorum, quam nucis Fausel, quam itidem involucro suo inhærentem mihi tum monstravit *Breynius* noster. Quod autem dictum putamen infernâ parte gemino & duplicato calice munitum sit, supremâ mucronatâ existente, optimè monuit *Clusius.* Ubi tamen circa

supernam partem notandum, quod putamen illud non ita desinat in mucronem, prout quidem *Clusii* figura id indicare videtur; sed quod tenuior quidam stylus, ex supernæ partis medietate singulari modo egrediatur. Cæterum cutaceo illo putamine remoto, in conspectum venit nux lignea, dura, superficietenus rugosa, oblonga & coloris ex flavo castanei. Hujus extremitas anterior rotunda est, posterior ob concursum triplicis processus acuminata. Tres autem isti processus ita formati sunt, ut medius duobus lateralibus incumbat, & ille quidem nasum, hi verò labia repræsentent compressa. Non longè etiam ab eâdem extremitate tres conspiciuntur impressi, non tamen planè pertusi scrobiculi, pisi minoris magnitudine, circumcirca villis quibusdam nigris, instar ciliorum aut superciliorum, ornati. Quorum bini illi, ad nasi latera conspicui, unà cum naso larvam cercopitheci aut etiam leporis haud absurdè æmulantur. Et hanc quidem nucem ad Faufel non ineptè referri posse, monet *Clusius*. Nobilissimus verò *Breynius* non Faufel, sed nucis Indicæ, Coccus dictæ, veram speciem esse contendit. Et meritò quidem, cum & fibræ putaminis interiores, & tres illi scrobiculi, ei cum Coccis sint communes. Laudatus etiam *Breynius* nucem hanc, nec cum nuce Indicâ primâ larvam ostendente, nec cum aliâ ei simili, quas ambas *Joh. Bauhinus L. cit. cap.* 183. *pag.* 378. *a.* describit & depingit, convenire, facilè mihi persuasit, cum ut utramque conferrem humanissimè mihi concesserit. Adjacens tabula nucem à nobis descriptam, qua quantitatem & formam externam, exactè repræsentat. Ita quidem, ut *Figura I. & II.* eam cutaceo suo putamini adhuc inclusam, *reliquæ* verò *figuræ* eam à putamine liberatam exhibeant.

OBSERVATIO CXXX.
D. GEORGII SEGERI
DE
HISTORIIS SUBMERSORUM OBS. XX.
JUDICIUM.

SAnctè affirmo, me quid in universum de tribus illis ultra justum tempus aquâ submersis, nec tamen suffocatis, scribere debeam, omnino ambigere. Duæ namque posteriores, & inprimis ultima relatio, captum meum planè excedunt. Neque enim quomodo

vel

vel per solum triduum homo aquis submersus naturaliter supervivere queat, capere possum. Notanter dico, *Homo*. Nam quæ de hirundinibus, intra aquam per hyemem latitantibus, vulgò referuntur, qualia etiam ciconiis accidere meminit *Kircherus Mund. Subt. Lib.* 8. *Sect.* 4. *cap.* 1. *Tom.* 2. *pag.* 89. *b.* ea homini applicari non possunt, quippe cujus respiratio liberum semper requirit aërem. Notanter etiam addo; *aquis submersus*. Neque enim me latent exempla, tàm eorum, qui tempore pestis pro mortuis habiti, quàm mulierum, quæ hystericis insultibus suffocatæ quasi, (quale exemplum *Paræus Lib.* 24. *c.* 19. refert) vixerunt. Quæ tamen cuncta nihil hic probant, cum non in aquis, sed in libero potius aëre decubuerint. Notanter denique subjungo; *naturaliter*. Hominis namque naturam, diutinam sub aquis moram, naturaliter ferre non posse, vel lippis ac tonsoribus notum. Unde quæ de famoso illo quondam in Sicilia urinatore Nicolao, ex Archivo Regio recenset *Kircherus Mund. Subt. Lib.* 2. *cap.* 15. *pag* 98. si quidem vera sunt, huc quoque non faciunt. Siculum namque illum singulari planè constitutione partium, etiam internarum, præditum fuisse vel ex ipsâ manuum (quidni & pedum?) deformitate monstrosâ colligere licet; cum inter digitos ejus, in formam pedum anseris, cartilago ad natandum necessaria excreverit.

Missis igitur binis historiis posterioribus, primam ita breviter expedio. Hortulanum illum quadragesimo septimo ætatis anno in aquis submersum, duplici de causâ per sedecim horas suffocatum non fuisse conjicio. *Primò*, quia statim toto corpore obriguit, omnemque sensum ac motum amisit. Et *secundò*, quia ipso momento, quo demergebatur, bulla satis ampla ex ore ejus prorupit. Si igitur subitaneus ille atque universalis rigor necessitatem debitæ & solitæ respirationis sustulit, relictâ solùm insensili, ac ad vitam adeò languidam conservandam satis idoneâ, cui aër in bullâ, aquam arcente, sufficienter inserviebat. Cum enim bulla illa, non tam ex ore submersi proruperit, quàm ab erumpente illius anhelitu, in aquâ os ambiente, excitata sit; aquæ autem Svecicæ, referente *Cl. Langelotto*, multo nitro abundent, ad tam languidã respirationem conservandam sufficientem in bullâ materiam fuisse, facile exinde liquet, quia respirationis materia non est purus aër, sed aër aqueis atomis, aut si cum recentioribus, & inprimis *Thrustono* ac *Moyowio* loqui velimus, tenuioribus & nitrosis particulis debitè refertus.

Cæterum dum in causis naturalibus explicandis occupatus sum supranaturales, & inprimis divinam providentiam ac misericordiam, homines in gravissimis periculis mirè conservantem, nullo modo excludo, immò eidem in hisce casibus primas tribuo, memor illius Davidici ex *Psalm. 66. v. 12.* transivimus per ignem & aquam, & adduxisti nos in refrigerium.

(*Ad Collectores Ephemeridum d.* 18. *Octob. Ann.* 1675.)

OBSERVATIO CXXXI.

D. JOHANNIS DOLÆI.

DE

OVARIO MULIEBRI.

CL. Dn. *Kerckringium* aliosque præclaros viros ovarium muliebre descripsisse, atque demonstrasse, *hominem ex ovo esse*, luculenter constat ex eorum scriptis. Hæc ipsa ova, quæ tamen mallem vesiculas cum expertissimo *Fallopio* nuncupare, jam diu Lugduni Batavorum vidi, nec non jam pridem ad ova hæc demonstranda, præsente experto chirurgo *Joh. Wilhelmo Birkenbühl* Limburgensi, uterum vaccæ aperui, in testiculis vesiculas plures inveni, quæ tamen cuspide cultri leviter solummodo tactæ humorem intus contentum in faciem explosêre (quem humorem pro semine muliebri veterum reputo.) Ea propter vix credere possum, cum quibusdam ova sive vesiculas tales integras pervenire posse usque in uterum, & exinde fieri conceptum, sed in eam inclino sententiam, (salvis aliorum opinionibus) quod ab ejaculatione seminis virilis, quod per ductum Fallopianum pertingit usque ad istas vesiculas, facile illisu seminis virilis, vesiculæ tales rumpantur, & isti duo humores refluentes in uterum conjungantur, fermentationemque excitent. Quod tamen aliis, acutiore ingenio præditis discutiendum relinquo.

(*In literis ad D. Salomonem Reiselium, Ditziis Wormatiam*)

QUæ de ovario muliebri optimè mones, alios sectionibus persvadendos esse; ecce præstiti. Decimus nondum excurrit dies, quo anatomico cultro fœminam 30. annorum hydrope ascite defunctam, subjeci, ad confirmandam & magis illustrandam hanc opinionem. Solum uterum aperui, præsente industrio chirurgo *Joh. Wilh. Birkenbühl*, & ductui Fallopiano Siphonem lacte repletum intrusi, effusum

lac

lac perveniſſe ad ovarium ſeu teſtes usque jucundo ſpectaculo vidimus. Cum repetiiſſem hunc laborem, omnes veſiculæ, quæ antea erant integræ, evanuerunt, & lac cum humore in iſtis veſiculis contento in uterum refluxit.

(*Idem Dn. D. Dolæus ad eundem Dn. D. Reiſelium in literis.*)

OBSERVATIO CXXXII.
D. MATTHIÆ TILINGII
DE
PULMONUM CALCULO TUSSI PROJECTO.

Faber lignarius quidam Embdanus cum aſſiduis deſtillationibus à capite in pulmonem eſſet obnoxius, cogereturque hac de cauſâ orthopnœâ laborans plurimas noctes inſomnes ducere: Ecce quatuor menſium ſpatio difficultate ſpirandi ita premebatur, ut veluti ſuffocari videretur. Ego in auxilium vocatus, ſtatim præſcripſi medicamenta expurgantia, expectorantia; inter quæ præcipua erant *Elixir ſulphuris & ſpecies diaſulphuris Mynſichti*; quæ aliàs ad extergendos lentos humores in cavitatibus pulmonum infarctos à me uſurpari ſolent. Cumque tuſſi ſiccâ oppreſſus anxietudine ſummâ & animi deliquiô premeretur, excretâ primò tenacis viſcidæque pituitæ copiâ, eructavit innumeros ferè calculos duros, oblongos & aſperos, quibus projectis, ad priſtinam ſanitatem adhibitis aliis remediis commodis, hâc vice redactus eſt; quantumvis poſtea tabe conſumptus tandem mortuus ſit.

SCHOLION.

Quemadmodum quotidiè calculos in renibus & veſica generari videmus; ita in ſingulis propemodum corporis noſtri partibus eos gigni experientia docuit. Exempla collecta videmus apud *Marcellum Donatum lib. 4. de Medic. hiſtor. mirabil. cap. 30. Sennertum lib. 2. part. 2. cap. 9. Inſtitut. Gregorium* Horſtium *lib. 4. obſ. 4. Gothofredum Mœbium lib. 2. part. 2. cap. 13. Inſtitut.* & alios. In pulmonibus ægroti noſtri calculi generabantur ex humore pituitoſo in bronchia pulmonum deſtillante; qui nimis diu ibi hærens accedente ſpiritu lapidificô ac ipſorum calore pulmonum in calculos concrevit. Sententiæ huic non refragatur *Caſparus Hoffmannus* apud *Cratonem Conſil. 91. pag. 145.* *Quin,*

Quin, inquit, *aliquando pituita vetustate concrescit in grandinem atque etiam interdum in veros calculos: observatumque est à quibusdam, in valida tussi, calculos, hordei aut pisi magnitudine, rejectos esse.* Nonnunquam etiam ex grumo sanguinis aut reliquiis paris eos generari exempla testantur.

Non mirandum autem est, quod calculi & lapilli in pulmonibus nascantur; nam ossa vidit *Columbus* in pulmonibus *Francisci Capelli* non parva, *lib.* 15. *de iis, quæ raro in anatome fiunt.* Et Senex quidam apud *Zacutum Lusitanum Medicor. princip. Histor.* 37. *obs.* 8. cum laborâsset multò antea tempore importunâ tussi, è catarrhosa defluxione originem ducente, & plurima diu tentâsset auxilia, quibus tussis non quietior, verùm vehementior redderetur, tandem unô die cum suffocationis discrimine globulum crystalliformem avellanæ parvæ magnitudine molestissima tussi excrevit, durum & compactum, quô ejectô, convaluit. Quid plura? Nonne in pulmonibus, aspera arteria, vitalium instrumentorum capacitate, animalcula muscis, strobylis, nucleis, cimicibus, vermiculis similia generantur, quæ tussi tandem rejiciuntur? Hæc omnia per tussim excerni è pectore, testes sunt fidelissimi *Autores Medici, Avenzoar. lib.* 1. *tr.* 11. *cap.* 3. *Alsaharavius tr.* 13. *pract. cap.* 1. *de tussi, Ant. Musa Brassavola comm. ad aph.* 79. *sect.* 4. *Hipp. Th. à Vega comm. ad cap.* 5. *lib.* 1. *Galeni de loc. affect. Joh. Schenkius lib.* 2. *observat. Medicinal. & Camerarius in obs.* Ita & vermes in pulmone genitos tussis causam esse, testis est *Aloysius Mundella* non contemnendæ authoritatis Medicus *dialog.* 4. *num.* 42. *Antonius Benivenius de abdit. morbor. caus.* & *sanat. cap.* 77. scribit, *Antonium Siculum*, qui molestâ quâdam tussiculâ laborabat, multos consuluisse Medicos, ac tandem marrubii succo cum melle devorato, interjectisque temporibus scyllam lambendo, verme ex ejus pectore unà cum tussi propulso, sanitati restitutum. Vermium ex pulmonibus excretorum meminit *Fernelius lib.* 6. *pathol. cap.* 10. quòd fieri posse non negat *Galenus in calc. lib.* 4. *de loc. affect.*

Quare, si hæc in iis reperiuntur, quantò magis lapilli & calculi, quos natos in pulmonibus apud *Scriptores Medicos* legimus. *Galenus lib.* 4. *cap.* 8. *de loc. affect.* historiam describit cujusdam viri, diuturnâ tussi vexati, qui frustulum quoddam grandini simillimum excrevit. Notus certè fuit quidam *Paulo Æginetæ* ex iis, qui sanguinem è pulmone rejiciebant, qui temporis processu maximâ cum tussi & sanguinis copiâ,

calcu-

calculos quatuor aut quinque expuebat, asperos, tribulorum modô, ad magnitudinem siliquarum trium aut quatuor, ac deinde dolore levatus est, *lib. 3. cap.* 31. *Alexander Trallianus lib.* 5. *cap.* 3. virum quendam calculum exquisitè figuratum expuere observavit, non crassum humorem & viscosum, sed revera calculum, non asperum, sed eum valdè lævem, durum & renitentem, ut in terram quoque projectus sonum ederet. Hic vir longô tempore tussi vexatus, non potuit, ne valdè tussiret, liberari, quousque calculum expuisset. Idem voluisse *Aretæus lib.* 1, *cap.* 12, videtur, ubi de pulmonariis verba faciens inquit: *Tametsi his pulmo non suppuret, humorum tamen veluti concretorum plenus est.* Refert *Gentilis,* quod vidit mulierem ferè suffocatam, quæ tandem exspuit quoddam frustum in quantitate ossis dactyli, solidum, conglobatum & lapidosum è pulmone, subditque & dixit *Alkindus,* vidi patientem spuere per os, post sputum sanguinis lapides parvos cum tussi vehementi. Tradit *Anton. Benivenius de abdit. morb. caus.* & *sanat. cap.* 24. quendam *Henricum Alemannum* lateris dolore cum tussicula sicca per triennium vexatum, tandem calculum ad avellanæ magnitudinem exspuisse, ac sanitati fuisse restitutum. Refert *Jul. Cæsar. Scaliger ad Cardan. exercitat.* 108. *num.* 3. se vidisse in pulmonibus *Alberici* quæstoris aliquot calculos, æquabili superficie, durissimos, colore argillaceô. Calculi ex pulmonum arteriis excreti meminit *Remb. Dodonæus cap.* 23. *obs. medicinal.* Scribit *Fernelius lib.* 5. *patholog. cap.* 10. se vidisse virum quendam, quoties exercitatione incalescebat, concitata tussi calculos è pulmonibus edidisse præduros, eosque modò hordei, modò pisi magnitudine. In nonnullis etiam ex orthopnoëa extinctis & dissectis, in pulmonibus veros calculos se deprehendisse refert *Victor Trincavellius lib.* 10. *de curand. part. affect. cap.* 6. Vidit eosdem calculos in pulmonibus, & manibus propriis extraxit *Columbus lib.* 15. *de iis, quæ raro in anatome fiunt.* Eosdem reperit *Joh. Kentmannus libro proprio de lapid. in humano corpore repert.* *Steph. Rodericus Castrensis, lib. de meteor.* | *microcosm. cap.* 15. se vidisse scribit in matrona quadam, quæ dissecta fuit, pulmones universos quasi grandine respersos, & monialem se curâsse refert, quæ granulosa quædam grandinis instar excernebat. *Zacutus Lusitanus prax. Medic. admirand. lib.* 1. *obs.* 103. se vidisse virum quadragenarium scribit, qui, orthopnoëa ex destillationibus à capite in pulmonem propagatâ, cum tussi sicca afflictus,

nec

nec non anxietudine summâ & animi deliquiô pressus, excreta primò tenacis viscidæque pituitæ copiâ, eructavit calculum, durum, oblongum, asperum ossis dactyli instar, & ita gravem, ut granorum 20. cum dimidio pondus æquaret; quô projectô, ad pristinam sanitatem, factis aliis præsidiis commodis, reductus est. Et *obs.* 104. Generosus quidam vir, trienniô, ex intervallis, quotidiè septies, aut pluries, cum sicca tussi excrevit tres quatuorve calculos, non magnos, sed qui granula sinapi æquarent, colore candidos, duros, minutissimæ grandini simillimos. *Joh. Wierus lib.* 3. *cap.* 2. *de præstig. dæmon.* refert, collegam suum lapillum fabæ magnitudinis habuisse, annô 1553. à se exemptum in Hospitali *Pisano* ex sinistro pulmone cujusdam adolescentis, phthisi demortui, qui jam diu tussi vexatus propè annos tres inceperat tabe marcescere, quâ tandem interiit. Lapillus fuit inæqualis, asper, non admodum gravis; pallescens atque ovalis. Et *lib.* 4. *cap.* 17. *in eodem opere* dicit, filium suum *Galenum, Medicinarum Doctorem* vidisse *Patavii* Nobilem *Germanum*, qui ab exercitio plures tussiendo rejecerit calculos, instar pisi, molles adhuc & friabiles. Virum *Brilensem* tabe affectum & tussi validâ in cura habuit *Petrus Forestus lib.* 14. *observ.* 16. *in Schol.* qui calculos gypseos (qui intra digitorum articulos, chiragrâ laborantibus, accrescere ex pituita solent) rejecerit: quamvis & hic tabe & phthisi consumptus obierit. Lapillos in pulmonibus Studiosi cujusdam rotundos, albos, tophaceos, uti & in testibus sectione se invenisse testatur *Felix Platerus in obs. propr.* E pulmone lapidem vidit magnitudine grani Maici *Cardanus comm. ad aph.* 79. *sect.* 4. *Hipp.* In pulmonibus generatos atque per os excretos observavit lapides parvos, albicantes, duros supra modum *Cornelius Gemma lib.* 1. *cap.* 6. *Cosmocrit.* & *lib.* 2. *Cyclognom. pag.* 76. Vidit & sub curatione sua habuit quendam *Gerardus Bergensis lib. de calculo & arthritide pag.* 90. qui per tussim plures excreverit lapides. *Cl. Daniel Sennertus Med. pract. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 7. idem in viro quodam doctô & olim Professore Academiæ Wittebergensis observavit, qui grandines colore albo & duros è pulmone ejecerit, & tandem phthisi correptus ac mortuus sit. Calculos pulmonum friabiles complures annotavit *Phil. Salmuth. cent.* 1. *obs.* 7. Exemplum etiam vidit Cl. *Wolfgangus Hoefer. in Hercul. Medic. lib.* 2. *cap.* 2. in primarii cujusdam civis uxore, *Waidhovii* ad *Ypsam*, quæ annis quatuor integris per vomitum quotidiè bilem copiosam, per

tussim

tuſſim pituitam, & nonnunquam calculos juſtè concretos rejecit: poſtea menſe Martio annó 1655. tabe conſumpta. Ab internis quoque cauſis, potiſſimùm verò à pulvere calcis in aſperam arteriam & pulmones immiſſo poſſe generari ibidem calculos hiſtoriæ teſtantur. De quibus aliisque videatur *Geſnerus part. 1. cap. 12. de foſſi lib. Ferdinandus Senior lib. de nephritid. Gordonius part. 5. cap. 18. Lilii. Gilbertus Anglicus lib. 6 compend. cap. de lapid. ren. Arculanus in comm. ad cap. de lapid. veſic. Rhaſis, Hollerius in comm. ad cap. 48. lib. 12. de morb. intern. Jacotius comm. in aph. 67. ſect. 2. lib. 5. coac. Hipp. Sebaſt. Roth in Diſp. Medic. Joh. Schenckius lib. 2. obſ. Medicinal. Thom. Bartholinus cent. 1. hiſtor. 33. Act. Medic. & Philoſophic. Hafnienſ. volum 1. obſ. 99. Hornungius ciſt. Medic. Epiſt. 244. Fabric. Bartholetus de Reſpirat. lib. 4. cap. 3. Petr. Pawius obſ. anat. 9.* & præter alios *Dn. D. Velſch. in Ephem. Curioſar. Phyſico-Medicar. Ann. I. obſ. 158. p. 337. Dn. D. Dobrzensk. Ann. II. Eph. Cur. obſ. 181. p. 278. Dn. D. Wedel. Ann. III. earundem Ephem. Obſ. 16. p. 21.*

OBSERVATIO CXXXIII.
D. MATTHIÆ TILINGII
DE
LIENE INDURATO, SCIRRHOSO ET FERE LAPIDOSO.

SErenìſſimi ac Celſiſſimi Principis ac Domini, Domini *Ferdinandi Alberti*, Ducis *Brunſvicenſis* & *Luneburgenſis*, Domini mei Clementiſſimi, Filiolus unius anni, convulſionibus epilepticis admodum erat obnoxius; cum his ita graviter adfligeretur, ut tandem vitam piè cum morte commutaret, corpus ejus die 27. Januarii anni 1673. aperui, & lienem colore lividum & nigrum, ſubſtantiâ admodum induratum, ſcirrhoſum & ferè lapidoſum inveni.

SCHOLION.

VAriis Lien morbis corripitur: patitur enim intemperiem quamlibet, obſtructiones, tumores varios, præſertim ſcirrhum: interdum inflammationem, & tùm palpitare ſubſtantia deprehenditur, propter arteriarum multitudinem, quibus referta eſt; raró abſceſſum patitur. Tunica ſæpiùs incraſſatur & cartilaginea fit. Sic *Realdus Columbus lib. 15. de iis, quæ raro in anatome contingunt*, lienem non modò ſcirrho laborantem ſe vidiſſe teſtatur, ſed etiam extra cartilagine obductum, quod ſumma cum voluptate vidit *Stephanus Coraſius Dn. D.*

Georgius Sebast. Jungius Ephem. nost. Germanic. Curios. Ann. I. obs. 29. *Viennæ* in cadavere virili Lienis membranam in parte gibba potissimùm in cartilaginem, facilè à substrato splenis corpore separabilem abiisse vidit. Et D. D. *Christianus Rudnicius Anno* 3. *Ephemerid. Germanic. nostr. Curios. obs.* 159. in mercatoris cujusdam *Gedanensis*, corpore apertô lienem dimidiâ ferè sui parte osseâ cartilagine incrustatum vidit, adeò durâ, ut acutissimo quamvis cultro vix discindi, sineque læsione parenchymatis separari potuerit. Crassissimam hanc membranam corio bubulo similem reperit etiam *Thom. Bartholinus cent.* 1. *obs.* 8. ut levi operâ manu à parenchymate separari potuerit & exsiccari. Exsiccatam autem eam, quam in museo suo asservat, gluten siccum præ se ferre scribit. *Nic. Tulpius lib.* 2. *obs. cap.* 28. lienem observavit costas pulsantem, qui ejus sententiâ cartilaginosus fuit. *Joh. Riolanus Enchirid. Anat. & Pathologic. lib.* 2. *cap.* 27. tale quid sæpè observavit; quod factum est per inflammationem lienis, à quo tam valdè costæ collidebantur, ut illis ictus perciperentur. Parenchyma ipsum induratur, scirrhosum & ferè lapidosum, ut in piè defuncto Principe, evadit. Sic lienem planè lapidosum *Petrus Forestus lib.* 2. *de incerto urinæ judicio* conspexit.

Vir celebertimus, & Anatomicus illustris *Thom. Bartholinus cent.* 4. *histor. anat.* 6. lienem in cadavere defunctæ mulieris dissecto invenit tantæ fuisse duritiei, ut vix cultro cederet, nisi magnâ vi intruso. Inter secandum non dissimilis audiebatur sonitus, quem in lignis spongiosis discissis animadvertimus; & si clarius loqui licet, & colore, & duritie carnem fumo diutino induratam lien retulit, sive quod interceptis obstructisque vasis spleneticis exaruerit, sive quòd atro succo repletus nutritusque fuerit induratus. *Petr. Pawius obs. Anat.* 61. puerulum triennem aperuit, in quo lien admodum fuit induratus. *Theod. Kerkringius obs. Anat.* 33. *pag. m.* 74. exemplum adducit lienis & magnitudine & duritie peccantis, & disquirit ibi, annon in tali casu audendum esset famosi præterito seculo Empirici *Leonhardi Fiorovanti* facinus, ab ipso notatum in *Thesaur. vit. lib.* 2. *cap.* 8. *pag. m.* 26. qui *Panormi* fœminæ *Marullæ* annorum 24. lienem oppilatum & tantâ mole auctum, ut corpus ampliorem non caperet, feliciter exsecuit, & à præsenti interitu restituit, præcipuè cùm ex *Ballonio lib.* 2. *Ephemerid. p.* 252. *Thom. Bartholinus cent.* 4. *obs.* 51. *pag.* 345. adducat exemplum in vulnerato ad nothas costas

ab

ab imprudente sectore, qui ignoravit splenem foras apparere, fuisse eundem resectum, convalescente ægro. *Hieronymus ab Aquapendente lib. Operat. Chirurgic. cap.* 52. de Empirico quodam scribit, percutiente malleo suo tam vehementer indurati lienis scirrhum: ut ipsus rimas; & æger vapulans ageret animam. Substantiâ ergò & habitu, adeò firmus interdum lien redditur, ut etiam in totum indurari observetur. *Dodonæus* in *annotat.* ad *Benivenium* nonnullorum, qui ab ictero in ascitem delapsi erant, jecinora vidisse refert adeò dura, & lapillis undique plena, ut novaculâ perscindi non potuerint. Simile narrat etiam *Andr. Vesalius in Epist. de China ad Joachimum Rolands* de quodam viro *Senensi*, cujus jecur prorsus candicans superficie constitit non lævi, sed admodum inæquali, & lævibus tuberculis exasperata, anterior verò ejus pars & universa sinistra ad modum lapidis indurata. Vaccæ lienem planè induratum ac lapillis refertum ego quoque Rostochii vidi. Substantia porrò hæc lienis fit vitiosa ob rem vel p. n. in eo contentam, vel ei adnatam. Ita lienis substantiam materiâ gypsea refertam vidit *Fabricius Hildanus cent. 2. obs. Chirur.* 44. Cùm nepos *Georgii* Illustrissimi *Hassiæ* Principis hydrope die 21. Junii 1655. vix annum natus decederet Cl. *Horstius* in examine ejus viscerum notavit, quòd in hepate & liene foveæ aquâ plenæ apparerent, sicut ad *Thom. Bartholinum* amicâ manu perscripsit, *cent. 3. histor. anat.* 81. & *cent. 4. histor. anat.* 25. In nobilissima quadam matrona hydropica lienem apostemate infectum pressumque puris copiam effudisse observavit *Paulus Mothius*. In *Martino* den Schlaper typographo, qui, quod febriculâ tentatus, carnificis ministerium occuparet, hoc est, ipsum se è clavo fenestræ suspenderet, cessit in prædam novaculis publicis, & quem secuit Dn. von Horn / solus lien peccasse visus est; ablata enim, qua tectus est, membrana, totum lienis parenchyma instar crassæ & nigræ amurcæ diffluxit, nihil in eo solidum, ut non creditum sit dissimile vero, ex corruptione melancholici visceris miserum in diliria actum jus vitæ suæ laqueo dixisse. *Olaus Borrichius* apud *Thom. Bartholinum cent. 3. epist. medic.* 97. se in cive *Patavino* per triennium carcere detento, nigro arquato in maximis mœroribus defuncto, in gibba lienis parte adipem adnatum in candidissimum & durissimum lapidem concretum, in publica sectione reperiisse. Vesicam aqua plenam duorum pugnorum magnitudi-

 ne sub

ne sub liene invenit *Volcherus Coiter*, uti refert in *Observat. suis anat. & chirurgic.* Vesiculas quoque lieni adnatas vidit *Platerus*; similiter & ego eas in liene ovis deprehendi, conformes iis, quæ hepati interdum adnascuntur. Lapides in liene repertos fuisse referunt *Vesalius lib. 5. Fabric. corp. hum. cap. 9. Hollerius lib. 1. de morb. intern. cap. 48. in schol. & Fallopius in Obs. anat. ad Petr. Mannam Med.* Lapidem in liene n. bilis & generosæ fœminæ *Christianæ Verin* reperit *Thurnheisserus* in *Exam. Urinar.* castaneæ magnitudine, subalbidum, alabastri mollitie, pondere unciarum duarum semis & drachmæ unius, laminis, ovorum putaminibus invicem crustatim involutis, similibus concretum. Fuit hæc fœmina juvenis, formosa, quæ subinde plenilunii tempore gravissimè ex sinistro latere ad triduum usque affligebatur: quo exacto, dolor eo usque remisit, donec novum plenilunii punctum instaret. Calculos è liene ad vas breve, & ex inde in ventriculum fuisse rejectos, asserit *Riverius in obs. communicat.* Et tandem *D. Luques* apud *Petr. Borellum cent. 1. obs. 4.* in liene hominis os cruciforme invenit, quod tamen fuisse existimavit vasorum orificia durefacta, quæ obcalluerant, ut in corde boum & equorum sæpè accidit, taleque est os de corde cervi dictum, quo in medicina adversus venena utimur. Rotundum quendam tumorem, instar steatomatis, undiquaque liberum, lieni à parte inferiore per connexionem membranæ adhærenten, juglandem magnitudine, ipsum verò lienem colore & substantiâ æquantem, in anatome cujusdam corporis humani vidit Cl. *Henr. à Moinichen* apud *Thom. Bartholinum cent. 2. Epist. med. 56.* Ab inflatione simili modo lien in tumorem effertur. Et tum tumor & distentio cum aliquo dolore, sed sine sensu gravitatis & ponderis adest. Murmur & sonus editur. Compressus lien cedit. Inflammationem hanc excitant aquæ frigidæ largior haustus, cibi flatu pleni, ut pisa, castaneæ, fabæ, &c. vel humores crassi & viscidi, qui à calore imbecilli vinci non possunt, & in vapores resolvuntur, quia spongiosus est, facilè inflare queunt.

[*Ad Collect. Ephemeridum d. 24. Octobr. Ann. 1675.*]

OBSERVATIO CXXXIV.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

EPIGENESI IN MORBUM TOTO GENERE DIVERSUM.

Seu

Seu

DE

PARALYSI LETHALI, HYDROPI SUPERVENIENTE.

Simon Seidel, civis & lanio Thorunensis, vir robustus & plethoricus, annorum 59. cum jam à pluribus annis de magnâ ventriculi & abdominis flatulentiâ conquereretur, ea quotidiè magis ingravescens, tandem in hydropem tympanitico-asciten erupit: cui ego, Anno 1674. 23. Januarii in consilium vocatus, sequentem potionem purgantem exhibui: Rec. *spec. decoct. aperit. maj.* miß. *fl. chamæm.* mß. *rad. fœnic.* ʒvj. Decoque l. art. in f. qv. *aqv. Chamæm.* Colaturæ fort expr. ℥iiß. adde *elect. laxat. extr. fol. senn. nostr.* ℥ß. *res. scammon. galapp.* ā. gr. iij. *crem. tartari* ℈j. *aqu. cinam. cord.* ʒij. *M. F. Haustus.* A cujus usu, post dejectiones copiosas cum euphoriâ solutus benè habuit, & nuptiis filiæ, die 30. Januarii celebratis interfuit. Sed primâ Februarii rursum malè habens me ad se vocavit, ubi tum ab obstructione alvinâ & distensione ventris à flatibus valdè angebatur. Urina erat tincta, pulsus parvus, sitis maxima. Præscripsi ei istâ die sequens laxativum: Rec. *aq. laxat. nostr.* ʒiiß, *pulv. laxat.* ʒß. *Julepi rosat. qv. s.* ad grat. dulced. M. pro una dosi; indeque blandas habuit dejectiones. Cum verò constipatio alvi ipsi admodum molesta esset, ordinavi ipsi sequens electuarium alternis diebus sumendum quantitate nucis moschatæ vel juglandis: Rec. *elect. laxat. extr. fol. senn. nostr.* ℥ij. admiscendo *res. scammon. galapp.* āā. gr. iij. *crem. tartari* ℈iß. misce exactissimè. Hoc ferè quotidiè non sine optimo successu utebatur. Diebus ab electuario liberis, nonnunquam etiam circa vesperam istas rotulas assumebat: Rec. *spec. diarrh. Abb. aromat. rosat.* āā. ʒiß. *chor. præpar.* ʒj. *ol. dest. fœnic. carui* āā g. v. *sacchar. Canar. alb. in s. qv. aqv. cinam. cord. dissol.* ℥iiij. F. l. a. Rotulæ, sumantur 13. vel 15. una vice. Sed respiratio indies difficilior reddebatur, vires autem debiliores: quare 3. Februar. hunc pulverem ordinavimus: Rec. *ol. dest. carui, cymini, anisi, fœniculi* āā. g. ij. *sacchar. Canar. alb.* ℈iv. M. F. Pulvis. Post cujus usum etiam melius habuit. Dein istud linimentum pro inunctione totius abdominis: Rec. *ungv. de arthanita, deoppilat.* āā. ℥ß. *ol. rutac.* ʒvj. *Ol. dest. carui, fœnic. cymini, anisi,* āā. ℈ß. M. Sed die 4. Februar. virium roborandarum gratiâ talem Julepum exhibuim9. Rec. *conserv. fl. anthos, borag. bugloss. violar.* āā. ʒij. cum *aqv. hyssopi, capill.*

Veneris ãã. ℥iiijß. Ebulliant in diplom. clauso. Colaturæ fort. expr. admisc. *aqv. rosar. fragr.* ℨx. *aqv. cinam. cord.* ℨvj. M. Cum intereà lotium non nisi difficillimè & in paucâ quantitate redderet, assumptâ sequenti mistura, illud copiosius effluebat, quæ talis fuit. Rec. *elix. proprietatis Paracelsi, essent. absinth.* ãã, ℨj. *spir. salis dulc. ol. dest. carui, cymini, anisi, fœnic.* ãã. g. v. M. Dos. gutt. 9. 11, aut 15. Die 9. Febr. manè adhuc omnia in optimo statu persistebant, quâ etiam à meridie paracentesin circa umbilicum ad aquam educendam instituere volebamus; sed horâ tertia pomeridianâ, paralysi totius lateris sinistri tactus est, motu & sensu tàm brachii quàm pedis ablatis, sed loquelâ & sensibus internis usque ad mortem integris permanentibus, & quamvis naturam in depellendo affectu isto juvaremus, ut, Rec. *conserv. fl. anthos, salviæ, lavend. betonic. lil. convall.* ã. ℨij. *cum aqv. betonic. ceras, nigr. fl. tiliæ, pæon. carduiben.* ã ℥ij. Ebulliant in diplom. claus. Colaturæ fort. expr. adde *aqv. cinam. cord.* ℨx. *apoplect. Lang.* ℨij. M. pro julapio cochleatim sæpius sumendo. Item Rec. *pulv. Marchion.* ℨß. *spec. dianth. diamosch. d.* ã. ℈ß. M. F. Pulvis pro unâ dosi. Item Rec. *mell. ad densit. coct. q. s. spec. dehiera cum agar.* ℨj. *troch. alhand.* ℈ß. *salis gemmæ* ℈j. F. l. art. suppositorium; frustrà tamen omnia adhibita sunt; nam die 12. Febr. horâ undecimâ nocturnâ placidè in Christo obdormivit.

Cadavere post mortem aperto, humor paucus, sed flatus in magnâ copiâ reperiebatur: quid mirum? cum statim post usum misturæ superius descriptæ cum urinâ serum dies noctesque flueret. Atque hæc est vera epigenesis, cujus diversa genera describentem *vide Steph. Rod. Castrensem in Opusculo Quæ ex quibus libr.* 1. *cap.* 11. *usq. ad* 17. Præsertim confer cum præsenti casu *cap.* 13. *de epigenesi in morbum toto genere diversum.* Adde etiam *cap.* 25. *ejusdem libri de hydropis epigenomenis.* Quibus majoris elucidationis gratia operæ pretium videtur subjungere dignam *Caroli Pisonis* observationem, *quæ libr. sing. select. Observ. & Consil. de morb. à sero in præfat. Operis Edition. in quarto p.* 33. *Edit. autem in Octavo sect.* 1. *Theor.* 3. *p.* 45. reperitur, hisce verbis: Fluxiones omnis generis & affectus p. n. quorum causa materialis est serum, invadunt affliguntque præsertim sinistras partes: ex quo quia natura in his rectitudinem pro more servat cum viscere, quod est fons serosi humoris, hunc esse lienem, quippe sinistrum hypochondrium occupantem, arguere est.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXV.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
ABSCESSU UMBILICI, PHTHISIN UNIVERSALEM DETEGENTE, ET MORTEM PRODUCENTE.

Cum Christina Pickia, triginta novem annos nata, Gregorii Jetken, pistoris Thorunensis conjux, per tres ferè septimanas malè habuisset, & de tumore abdominis cum continuo dolore conquesta esset, se gravidam esse, à quibusdam mulierculis persvaderi passa est, inque isto errore hucusque permansit, donec in dies malo increscente, Georgium Grunack, chirurgam ad se vocavit, qui ei *oleum anodynum* cum *chamæmelino* mixtum porrexit, utque eo abdomen cum dolore tumidum quotidiè inungeret, jussit: hoc facto in somno tertia ab inunctione nocte, scil. 21. Junii, anni 1674. materiæ purulentæ ferè duæ libræ per umbilicum effluxerunt, natura sibi in ipso umbilici centro parvulum foramen efformante, & abdomen à congesta illa materia vitiosa liberante, non sine magno fœtore viriumque insigni prostratione. Ego eadem die hora pomeridiana ad eam vocatus, offendi debilem, in abdomine autem circa regionem hepatis duritiem aliquam cum dolore animadverti, urina nonnihil erat tincta, pulsus parvus & debilis, pectus purulenta sanie plenum, quam tussis crebra prodidit, quæ omnia atrophia artuum præsertim superiorum comitabatur. Appetitus cibi integer adhuc erat, sitisque nulla eam infestabat, singulis etiam noctibus placidè dormiebat. Sed à 24. Junii durities ventris disparebat: Chirurgus interim canaliculum plumbeum subtilissimum semper indidit, per quem dies noctesque coctum pus copiosè effluere solebat, superimpositis emplastris idoneis. Ego ipsi primum corroborantia præscripsi, deinde ob materiæ purulentæ in pectore contentæ copiam expectorantia. Die 26. Junii puris quantitas valdè imminuebatur, abdomine quoque naturalem formam acquirente, sed post deligationem vulnusculi à chirurgo, manè hora 7. peractam, horrorem quendam percipiebat, tum etiam circa noctem subsequentem semper calorem præternaturalem aliquot horarum. A meridie puris quantitas major erat, abdomine ubique molli, pus autem per vasa umbilicalia foràs erumpebat, in quæ etiam chirurgus instru-

mentum

mentum ad medii digiti longitudinem immittere potuit, ad latera verò in carnem musculosam nullatenus: unde facilè dignoscere potuimus, pus illud per venam umbilicalem tumore mox concidente ex hepate originem habuisse. Hinc venæ umbilicalis sectionem Anatomici periculosam esse demonstrant, ceu videre est apud *Riolanum Fil. Enchirid. anat. libr. 2. cap. 15. in consid. med.* Ideo etiam epomphalia medicamenta admota umbilico purgare, manifestum est. Scitum etiam ex Hippocrate, *abscessuum ventris esse terminum umbilicum.* Sed & aquam hydropicorum interdum per umbilicum erumpe e, ejusque affectus esse graves, hinc patet. Sic nos in præsenti casu coctum pus per abscessum umbilicalem usque ad mortem fluere observavimus: natura scilicet illud undequaque ex visceribus putridis foras expellente. Postmodum ulcus in mammillâ sinistrâ unum, alterum in sinistrâ natium exoriebatur: donec tandem totum corpus atrophia consumptum sceleton repræsentabat, & tum misera illa die 29. Julii horâ mediâ octavâ matutinâ placidè obiit. A meridie horâ mediâ primâ, cadavere à *Georgio Grunack*. chirurgo, aperto, inventum pus & sanies fœtidissimi odoris, in vasis umbilicalibus, quæ ex hepate ulceroso scaturiebant, & per umbilicum stillabant: hepar duritie & ulceribus tumidum quinque libras civiles cum semisse ponderabat: peritonæum; mesenterium, omentum, pancreas, omnia plena puris, & vix non consumpta, intestina etiam aliquâ ex parte corrupta, lien, renes & ventriculus benè constituta erant. Uterus purulentæ materiæ plenus & ulcerosus. Caro musculosa circa regionem hepatis eidem adhærebat, & livido-saniosa apparebat. Diaphragma, mediastinum, putrida, pulmones à pure consumpti, maximè in sinistrâ parte, ubi nihil de parenchymate pulmonis conspiciebatur, imo pleura sinistra tota consumpta erat; dextri cutem lateris superior pulmonis lobus nonnihil adhuc de substantiâ pulmonis habebat, flaccidâ tamen & ulcerosâ: bronchia pulmonum, quæ adhuc salva erant, usque ad principium asperæ arteriæ versus palatum pure scatebant: cor salvum, sed flaccidum, ejusque capsula humore vacua: totum corpus plane consumptum. Hinc (exceptis liene, renibus & ventriculo) præsentem affectum phthiseos universalis nomine appellandum censemus.

OBSERVATIO CXXXVI.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE
APHONIA EX OCCULTO AMORE.

DEscribunt quidem plurimi Medici diversas historias aphoniæ seu interceptæ loquelæ ex variis causis, ut de vocis amissione ex læsione nervorum, *Amatus Lusitanus cent.2.cur.70. Ant.Beniven. observ. med cap.* 91. *Zacutus Lusitanus de PP. M. Lib. 2. Hist.*15. de eadem ex crapulâ *Hœchstet. decad.* 3. *obs. 9.* de eadem cum convulsione ab ebrietate *Ronsseus Epist. 12.* de eadem è casu ab alto cum fractâ calvaria *Fr. Valleriola observ. Med. lib. 6. obs. 4.* de eadem ex diversis causis *Joh: Schenkius in observ. Med.* varia exempla *lib.* 1 *sub tit. Lingv. p. m.* 180. *&c.* Item *Marc. Donatus hist. Med. mirab. lib. 3. cap. 2.* collegerunt, ut plures alios brevitatis causâ reticeam. Verùm cum de causâ in præsente observatione expressâ nullam adhuc historiam invenire potuerim, quin eandem posteritati communicarem, intermittere nolui.

Commorabatur ante aliquot annos apud nos studiosus quidam Juris, natione Gvestphalus, Ephorus liberorum viri è præcipuis civitatis nostræ. Hic quodam tempore ex improviso mutus factus, ne verbum quidem proferre potuit, sed quasi attonitus, meditabundus in lecto jacebat. Ad quem ego vocatus in causam aphoniæ inquisivi, sed nullam manifestam indagare potui, adhibitis etiam remediis idoneis, tàm internis quàm externis, nihil profeci: sensus tamen omnes tàm interni quàm externi illæsi manebant, omnia intelligebat & mentem scriptione, necessitate urgente, aperiebat. Durabat hic affectus per aliquot dies, nihil interim de cibo assumebat, parùm bibebat, calor ad tactum lentus erat, urinaque naturali similis. Tandem quadam die, me præsente, museum virgine domesticâ egregiæ formæ intrante, primùm color faciei mutabatur, qui jam erat pallidus, mox rubicundus, statim etiam perspicuè loqui cœpit: pulsusque arteriæ latentem amorem monstrabat. Ab eo tempore ille semper sanus permansit, neq; tale quid amplius passus est, abiitque postea hinc: sed post unum & alterum annum huc reversus est, virginem illam sibi desponsari cupiens. Verùm illa tum temporis jam alterius mariti conjux erat, juve-

nisque ille indignabundus hinc profectus est. Aphoniæ ex visione cancrorum exemplum vide in *Anno II. Miscell. Curios. Med. Phys. Acad. Nat. Curios. Germ. observ.* 145. *Dn. D. Franc. Matth. Hertodii*, & *Dn. D. Johan. Schmiedt observ.* 121. *tertii anni*, Aphoniæ mirabilis subitaneæ exemplum alterum.

OBSERVATIO CXXXVII.
D. SIMONIS SCHULTZII
DE
FEBRE TERTIANA, IN SENE IN IPSA HERBA SUPPRESSA.

CUm Illustrissimus & Reverendissimus *Dn. Matthæus Bystram*, Episcopus Argivensis, Suffraganeus Culmensis, & Parochus Thorunensis atque p. t. Episcopatus Culmensis Administrator, septuagenario paulò minor anno 1672. 28. Aprilis Thorunium venisset, & de dolore ventriculi, post tempus Quadragesimæ, consequeretur, usus est è consilio meo die 30. Aprilis medicamento laxativo, præmissâ prius digestivâ potione: à quo ille non solùm per inferiora, verùm etiam per superiora blandè, sed sufficienter purgatus, die 1. Maij in febrem incidit, quæ tertiâ die reversa est: cujus causâ Reverendissimo ad ventriculum roborandum sequens remedium præscripsi: Rec. *elix. proprietat. Paracelsi* ℥ij. *essent. absinth.* ℥j. M. de qua mixturâ singulis matutinis guttæ 11. 13. aut 15. cum jusculo sumantur. Sed ne paroxysmus febrilis tertiâ vice ipsum adoriretur, autor fui, ut horâ unâ aut alterâ ante paroxysmum hoc antifebrili sæpius experto uteretur: Rec. ♀*ri alb. subtil. pulv.* ʒj *salis absinth. lap. prunell.* ãã. gr. iij. *nuc. mosch.* gr. j. M. F. Pulvis. Quo assumpto paroxysmus nunquam rediit. Verùm ad obstructionem alvinam tollendam sequente enemate Illustrissimus posteà usus est: Rec. *spec decoct. emoll. carminat.* ã. Mij. *caric. pingv.* no. iiij. *sem. lini leviter contusi* ʒij. decoqu. l. a. in *s. qv. aqv. font.* colaturæ ℥ix. *adde elect. diacathol.* ʒvj. *facch. Thom.* ʒx. *ol. chamæm. malvæ* ã. ʒvj. *salis gemmæ* ʒß. M. F. Enema. Tandem ad reliquias per sudorem, (ad quem naturâ inclinabat) expellendas, pulverem hunc pro duabus vicibus ordinavi. Rec. *pulv. rub. Pann. alt.* ℈ij. *salis carduiben. lap. prunell.* ã. gr. vj. M. Et sic benedicente summo Archiatro, Illustriss. Dn. Episcopus in tam provectâ ætate à febri liber factus, huc usque sanus atque vegetus vivit.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXVIII.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
PLICA EXPLICATA.

CErtum est, quamlibet ferè regionem aliquid habere, quod sibi jure quosdammodo suo vendicare videtur: sic quoque & morbos quosdam nonnullis provinciis ita familiares esse, ut ejus quasi proprii dicantur, in aprico est. Appellant hos Medici propter communem aliquam causam ἐνδημίους, ac si dicas, vernaculos sive indigenas & proprios. Talis morbus à *Plinio* sceletyrbe & stomacace, à recentioribus scorbutus dictus, ad septentrionalis maris littus habitantibus communis est. Talis Neapolitanis podagra, Alpinarum regionum incolis, Hispaniæque finitimis bronchocele esse putatur. *Galenus* Alexandrinis elephantiasin familiarem scripsit. Judæos inprimis leprâ contagiosâ divexatos fuisse, Sacræ Literæ testantur. De singulorum naturâ varii varia observârunt. Affectum cui à capillorum ceu glutine quodam inviscatione & invicem complicatione Plicæ nomen tribuitur, & qui Polonis inprimis, hisque finitimis peculiaris est, vix quidam ex observatione propriâ, pauci ex relatione aliorum hucusque descripserunt. Hinc natura ejus nondum planè perspectâ, de eo aliquid certi statuere, haut facilè erit. Nos tamen auxiliante divino Numine, quicquid tùm propriâ experientiâ, tùm ex relatione aliorum hucusque collegimus, circa plicæ hujus explicationem nunc consignare studebimus.

Dictus est hic morbus *Plica*, quod capillos planè inter se complicet: Plica Polonica, quod Polonis, & inprimis eis, qui inter Hungariam & Pocutium habitant, Russis & his finitimis, (quamvis noster temporibus totam Poloniam pervagatus, usque ad nos Prussos pervenerit) familiaris; hinc licet primo ortu epidemius fuerit, jam endemius factus sit. *Schenkius observ. Med lib.* 1. *obs.* 3. etiam Brisgois, Alsatis, Belgis, nonnullisque Rheni tractibus morbum hunc notum esse scribit: sed rarò à Medicis illorum locorum tale quid observatum est. Vocantur aliàs capilli ita convoluti ab hoc affectu *Tricæ incuborum*, quod vulgus capillos ab incubis intricari & noctu sugendo tractari putet. *Trichoma: morbus cirrorum*, capilli enim intricati cirros repræsentant, & secti, nonnunquam sanguinem fundunt, quod autem alii negant. Germano-

rum appellationes sunt, die Marenflechten/ Marenwirckung/ Marenlocken/ Schröttlins Zöpffe/ quæ eandem rationem cum Latinâ appellatione obtinent. Præterea Wichtel Zöpffe vocant, quod superstitiose creditum sit ab infantibus non baptizatis, (quos antiqui Wichteln dixerunt) necti. Juden-Zöpffe/ quod ab incubo Judæi specie fieri existimantur. A Polonis notatur nomine *Gozdziec* sive *Gwozdziec*, quo vocabulo morbus ipse exprimitur, item *Koltun*, quod propriè capillorum complicationem significat. Est itaque Plica *capillorum cuti capitis infixorum & in amplum distentorum involuta contorsio, cum gravissimâ totius corporis artuumque tam superiorum quàm inferiorum, capitisque læsione, & antequam capilli complicentur, magno dolore, sudore plerumque concomitante.*

Subjectum ejus *primarium* seu radicale est hepar, vel partes succo sanguineo generando & separando destinatæ: *secundarium* & per sympathiam recipiens, cutis capitis secundum radices pilorum, & pili ipsi, ubi morbus firmatur, natura criticè ad illas partes sibi molestum deponere tentante atque perficiente. Apparet hinc pilos poris non destitui: & inde etiam quod unâ nocte omnes possint canescere ab apprehensione gravis mali imminentis vel præsentis. Unde suspicio vitam eis inesse, quasi alantur, per succi sibi appropriati intus susceptionem.

Neque tamen hæc affectio dicenda pilorum convulsio, quia ea tum propria est, tum analoga partium sensu & motu voluntario præditarum. *Subjectum adæquatum* est totum ferè corpus, articuli & periostia &c. ut patet ex actionibus læsis & qualitatibus mutatis.

Quanquam autem motus hic naturæ, ut superiùs dictum, videtur esse criticus, non tamen simpliciter talis est, haud enim tota materia illuc deducitur; vel si aliquando per abscessum ad illas partes morbus judicatur, id nimis longo obtingit temporis intervallo, secus ac fit in verâ crisi. *Galen. in Aphor. Hippocr. comment. 2. Aphor.* 13. Neque etiam appellare quis posset symptomaticum, fit enim ex interioribus ad exteriores, ex nobilioribus ad ignobiliores partes humoris pravi expulsio. Ex utroque igitur mixtum nuncupare lubet. *Causa* προηγουμένη seu *antecedens* est morbosus apparatus, sive dispositio talis humorum & partium, quæ ad effectum hunc generandum, sive aliunde susceptum, sive congenitum magis apta redditur: quemadmodum sunt magnæ cruditates

tates in tribus coctionibus cumulatæ, sanguis multus, crudus, quocunque modo corruptus & venenatam aliquam conditionem adeptus. Utut enim malum hoc ob communem aliquam ejus regionis causam endemium sit, ita ut sæpè in una domo duo vel tres eo affecti reperiantur, non tamen absolutè contagiosum dicendum est, nam plurimi, licet cum ægris illis conversentur, non inficiuntur, sed qui διάθεσιν aliquam internam nacti sunt. *Causa προκαταρκτική* morbosum apparatum in actum deducere valens, è triplici serie rerum naturalium, non-naturalium & præternaturalium Medicis dictarum, hic quoque peti potest. Inter res naturales dispositio hæreditaria multum facit, & immediata plerumque seminarii morbifici existit causa, quando cum generationum principiis in ipsum fœtum transfunditur. Præter quotidianam experientiam testis est oculatus *Cl. Sennertus*, qui *libr. 5. Med. Pract. part. 3. sect. 2. cap. 9.* de plicâ, Generosi cujusdam Poloniæ Comitis plicâ laborantis filium sexennem, plicas jam aliquot in pilis capitis habentem introducit. *Idem* militem quendam senem, plicam in occipitio à matre suâ, quæ septem plicas duarum ulnarum longitudine ad mortem usque alebat, hæreditate accepisse, *ibidem* asserit. Ætas quælibet ad morbum hunc suscipiendum apta est. In sexu maximam partem fœminas invadere nonnulli existimant, potissimùm suppresso menstruo sanguine: sed falsum id esse, experientia testatur.

Inter res non-naturales est aëris mala constitutio eidem à vaporibus è terrâ & aquis, quæ in Poloniam ex montibus Ungariæ defluunt, exhalantibus, impressa. Sive quis cum *Fonseca libr. 1. consult. Med. cons. 1.* eum etiam totâ substantiâ ob cœlestes influxus ab initio mutatum fuisse credere maluerit: qui unà à maleficis unguentis eundem contagium sumpsisse ibidem suspicatur. Cibus & potus tam quantitate, quam modo assumendi peccans, morbo citius generando quoque aliquid addit. Poloni præsertim ejus provinciæ cibos crassæ substantiæ & in magnâ quidem copiâ assumunt, potui nimis indulgent, non solum cerevisiæ crassæ & potentis valdè lupulatæ, verum etiam vini generosi & [illegible]us frumenti, atque mulsæ cum lupulo decoctæ: unde cruditates & exhalationes proveniunt. Sed peculiare quiddam aquis ejus loci, quarum quotidianus iis hominibus usus est, ad plicam producendam inesse, nonnulli rentur. Reliquæ res non-naturales quid hic præstent, facilè quivis perspicere potest.

Res præternaturales mali hujus apparatum promovent, observatumque est, eos, qui in luem veneream propendet, vel eâ jam infecti sunt, faciliùs plicâ affici: tùm etiam scorbutum cum hoc morbo magnam analogiam habere.

De *causâ proximâ* & continente intricata res est. Ad solum humorem viscidum causam referre, minus probabile videtur, sic enim in omnibus ferè regionibus multi, qui ad viscidos humores generandos dispositi sunt, imò eis abundant, accedente aliquo aëris vitio, plicæ obnoxii essent, nullaque ratio est, cur solùm ad capillos & partes superiores, non etiam ad inferiores, quò viscidi & lenti humores magis vergunt, vel alias partes materia hæc detrudatur. Quinimo nec vapore solo circumscribi potest; quia capilli secti sanguinem emittunt: quod tamen plurimi negant, egoque nunquam observavi. Præter alios tantùm unicum testem verum hic produco, Per-Illustrem & admodum Reverendum Dn. Sebastianum Belenski, Canonicum Vladislaviensem & Præpositum Brzezinensem sanctè affirmantem, quòd sibi plicas omnes absq; noxâ & sanguinis effluxione aliquoties præcidi curaverit. Sed neque humor, qui corpori noxius est, idem pilis copiosum alimentum suppeditare potest, atque hinc capillorum inviscationem efficere, siquidem is potiùs capillorum luxuriei causa existeret. Causa itaque plicæ proxima statuenda est *maligna glutinosa materia, cui sæpè humor atrabilarius permixtus accedit, peculiari modo cum vehiculo sanguinis in caput elevari apta ac ibidem firmata capillos inter se complicans; non aliâ ferè ratione, quàm ut arthritidis causa articulis infensa esse solet.* Evincunt hoc varia & sæva symptomata malignitatem ejus satis arguentia, ipseque morbus curationem methodicam planè contemnens. Chymici fortè dixerint esse resolutionem sulphuris in succo sanguineo cum salis reverberati ad mordacitatem dispositi separatione: & modum determinatam esse ab originali aëris inquinamento, quod in minutis particulis inversam proportionem efficiens, resolutionem & separationem eam præstat. Sulphur quidem resolutum quum occupat sedem mentis, soporem inducit suâ viscíditate, at quum per venas jugulares ad radices capillorum repit, unà cum sanguine corrupto per modum partialis criseos, implicationem inviscatam in capillis præstat; quod si capilli tum secentur (de quo inter signa) humor irritatus, qui sal à contemperatione separatum sibi admixtum habet, exhalationes in

quas-

quaslibet partes subjectas, ad oculos, articulos, periostia &c. transmittit, etenim continuo filo humor cohærens per irritationem etiam in ipsâ minerâ agitatus, sparsim venenatos vapores diffundit.

Quid hic affectus (de quo mox) tineæ in cute capitis similis fiat, nec tamen in ulcus desinat, est à sale, quod à glutinosa viscidi tate sulphuris resoluti cohibetur: quod atrabilarius nonnunquam fiat morbus, est à salis in massâ glutinosâ assatione. Cum autem in articulis dolorem excitat, fit hoc à salis acumine, quod in loco frigido & sicco siccescit magis: sed hanc opinionem speciosam magis, quàm ad curationem morbi utilem, utpote cujus fundamenta nondum satis confirmata sunt, hîc prolixè examinare supersedemus.

Multi sunt affectus, cum quibus plica communia quædam habet symptomata. Cum lue venereâ lassitudinem totius, colorem faciei immutatum, adustionem quandam & calorem, crucictum ossium: cum scorbuto artuum dolores, contractiones: cum capillorum tineâ redundationem vermiculorum, (qui tamen rarissimè ægros infestant) cum πιτυμάσει immunditiem & squamulas furfuraceas; verùm facilè ab iis discernitur, si reliqua graviora ejusque magis propria conjunctim cum his perpendantur symptomata.

Signa morbi talia sunt. In principio cum natura vitiosum illud sibique molestum à partibus interioribus ad exteriores propellere tentat, color faciei in pallidum mutatur, ossa infringuntur, artus laxantur, caput, pedes, manus, omnesque artus, & juncturæ dolore atrocissimo infestantur, tinnitus aurium percipiuntur, convulsiones interdum excitantur: membra etiam contrahuntur & gibbi quandoque efficiuntur, si nimirum actio causæ ab initio vehemens fuerit. Dein naturâ superiore quasi existente, ad capillos præcipuè (ut in arthritide ad articulos) materia morbifica protruditur, unde nonnunquam furfurum & pediculorum in capite generatio, capitis spurcities, fœtor, capillorum inter se complicatio & in cirros convolutio, ut eos nec arte nec labore ullo explicare queas, si verò seces aut radas (quod alii, immò plurimi, ceu suprà dictum, negant) sangvinem fundent, plurimis etiam cirri sponte decidunt. Ungues insimul præsertim in pollicibus pedum scabri, longi, & instar cornu hircini, nigri evadunt, atque hoc tantùm iis, qui hoc morbo graviter laborant, obtingit: quibusdam etiam planè decidunt, & post explicationem plicæ renascuntur;

tur; quod mihi oretenus retulit Illustrissima Comitissa à Dönhoff/ Illustrissimi itidem Palatini Pomeraniæ &c. Dni Johannis Ignatii Bonkovvskii conjux se in propriis digitis observâsse.

Prognostica quod attinet, maximo cum periculo malum hoc conjunctum est, & eò majorem habet laborem, quo sæviora Symptomata in pluribus partibus, ad quas materia detruditur, excitat. At naturâ vincente, cum materia ad capillos delata, eos in densos cirros deformavit, corpus à malis suprà enumeratis liberatur, quod tamen sæpè longam temporis moram requirit, natura interim reliquias humoris peccantis ad capillos pedetentim deferente. Et sanè plurimi ejusmodi plicas, citra noxam, quoad vivunt, circumferunt, quanquam non sine deformitate. Existimarunt quidem nonnulli, si isti cirri temerè præcidantur, gravissimis malis corpus iterum obnoxium reddi, quia vehementia causæ per istam irritationem increscit & motus materiæ ab ignobilibus partibus ad internas nobiliores revocatur. Oportet autem humores, quorum maturationes progressu temporis contingunt, quæ vel foràs, vel intrò, vel aliò, quo expedit, tendunt, ducere, ut *Hippocrates libro de Humoribus* docet: hinc statuunt materiæ exitu denegato, evacuationeque ejus solitâ impeditâ, quosdam visu privari, alios gibbosos fieri, alios alia damna pati, prout humoris motus in hunc vel illum locum inclinat. Veruntamen expurgatâ jam in totum corporis profunditate ipsæ plicæ sæpè sponte decidunt, & si non, fortasse tum medico earum resectionem moliri liceret, modò de materia non amplius in corpore præsente certus esset. Hoc quamvis difficile sit, attamen Medico cuncta accuratè perscitanti, & secundùm rationem agenti haud impossibile. Verum testati sunt plurimi, cirros illos post finalem conglutinationem illis sine omni noxa præcisos fuisse. Nihilominus tamen mihi noti sunt quidam, qui post abscissionem cirrorum ad tempus visu privati fuerint, & dolores graviores artuum & capitis inde retulerint.

Curationem plicæ perfectam nemo sibi polliceatur, antequam ejus loci, ubi morbus hic endemius est, genium & incolas, cæteraque ad hoc pertinentia benè cognoverit, quod quantum ad morborum investigationem & depulsionem faciat, magnus *Hippocrates libro de aere, locis & aquis* satis demonstravit.

An verò hic ternarius ille indicantium numerus triplicem indicationem suppeditans, quâ primò præservatoria causam antecedentem tollit;

tollit; secundò curatoria morbum causamque continentem debellat: tertiò vitalis viribus pristinum robur restituit, locum inveniat, non sine causa in dubium vocatur.

Quibus hactenus in principio morbi *venæ sectio* instituta est, plus obfuit, quàm profuit. Illustrissimam Matronam Polonam, cui vena cubiti in principio secta est, confestim sævissimos in eo brachio dolores cum tumore œdematoso passam esse; pari modo in pedibus vena aperta, dolores acerbissimos in utroque crure ad malleolos excitatos fuisse, testatur *Hercul. Saxonia Med. Pract. lib.* 10. *de plicâ cap.* 7. Quibus nos etiam libenter suffragamur, plurimis plica laborantibus id affirmantibus, propriaque experientia edocti. Sed multò minus purgationibus exhibitis noxii humores superantur, quin potius commoti ita per totum corpus disperguntur, ut quosdam cœcos, alios claudos reddant, alios alio modo graviter afficiant: quod ij experti sunt, qui purgantibus medicamentis hunc affectum ab initio exstirpare tentaverunt, ex relatione ægrorum.

Quare plica methodicam curationem respuere videtur, siquidem generosis auxiliis magis irritatur. Itaque ingruente ea leniens curatio instituenda: valida & extirpans post pilorum inviscationem & capitis immunditiem locum habere posset; sed omnes ferè post capillorum conglutinationem sani evadunt, quod nos aliquoties experti sumus. Quia autem motus hic naturæ ex parte criticus est, tutissimum, materiam vitiosam ad capillos, quo tendit, primò invitare & adducere, secundùm *Hippocratem Aphor.* 21. *lib.* 1. *& Galen. comment. in eundem.* Præsertim cum in morbis venenatis judicatio per abscessum ad partes externas & ignobiles fieri consueverit.

Fiet hoc leniter aperiendo poros cutis capitis per emollientia & laxantia externa; sed inprimis commendant capitis lotionem cum decocto *brancæ ursinæ*, sive acanthi Germanici, etiam Polonici dicti, & *sedi* seu *semper vivi majoris*: atque *musci terrestris*: forsan ob signaturam. *Vide Crollii de signaturis tract.* tum *Guern. Rolfincium de vegetabilib. plant.* &c. *lib.* 2. *sect.* 8. *cap.* 5. atque *Pracelf. Portam & Quercetan. locis propr.* Quidam etiam magni faciunt *radices lupuli*: experientiaque constat, decoctum harum herbarum in ablutione capitis multùm profuisse; quare vel istis vel additis aliis convenientibus hoc in casu utendum, in iisque tam diu subsistendum, donec omnes capilli in cirros abierint,

 & ma-

& magna pars virulentiæ, corpus à magnis imminentibus malis liberatura ad cutem capitis attracta animadvertatur. Verum ut branca ursina decocta externè in ablutione capitis prodesse dicitur; ita contra ea potus ex illa paratus, & juscula internè usurpata admodum nocere, plurimi confirmant. Sed de musco terrestri hoc in affectu evolvat B. L. *Observ. 52. Anni I. Miscel. Germ. Curios. D. D. Bernhardi à Bernitz.*

Purgatio (ut jam dictum) fit moderata, incipiendo aliquando à *vomitu*, quem ob multas cruditates collectas, & in primis viis hærentes, aliquoties repetere haud inutile esset. Tum tutissimum erit, reliquias per *alexipharmaca* & *sudorifica* ad ambitum corporis expellere, præsertim ad pilos capitis, quâ in re prudens Medicus naturæ erit minister, eandemque illuc viam commonstrantem sequi non repudiabit.

Testes curationis istius adducam verissimos inter alios plurimos, primo Illustrem & Magnificum Dn. Josephum Johannem Stamirowsky, Venatorem Sannocensem &c. dein generosum & strenuum Dn. Sebastianum Machowsky, S. R. M. tis Pol. Colonellum &c. tum nobilissimas Matronas, unam Generosi Dni Stanislai Jemielki, alteram nobiliss. Vladislai Niemoiewski conjugem, atque Johannem Koyen, juvenem: è quibus prima matrona tertia quaque die paroxysmum, ad modum febris tertianæ, cum horrore & calore, doloribusque capitis & homoplatarum per aliquot septimanas perpessa est, cujus terminus erat sudor copiosus totius corporis, usque dum materia vitiosa ad cutem capitis delata capillos complicavit, & morbo finem dedit: altera verò doloribus totius corporis, artuum omnium & capitis gravissimis, quasique ossa frangentibus, cum tumore pedum, maximisque cordis angustiis & continuis, non nisi per sudorem copiosum & capillorum conglutinationem liberata, per aliquot septimanas afficiebatur, & jam optimè valet. Juvenis Koye Warsaviâ huc veniens, morbo isto oppressus, primùm horrorem percepit, sequente mox calore p. n. continuo, concomitantibus doloribus capitis, artuum, sudoribus indefinentibus fœtidis, dejectionibus copiosis aqueis & tumore pedum, donec natura criticè ad cutem capitis & pilos ejusdem humores vitiosos transtulerit, cirrique illi capillorum mox omnes deciderint, sanitatemque integram ægro attulerint. Sed Illustris Dn. Venator

Sanno-

Sannocensis, vir vix triginta annos supergressus præter calorem præternaturalem, dolores articulorum & sudorem nunquam intermittentem, etiam convulsivos motus cum dolore capitis incipientes percipiebat. Generosus autem Colonellus, vir plus quàm sexagenarius, robustus tamen, ante pilorum contorsionem tantùm artuum doloribus divexabatur, quos semper haustu vini generosi Ungarici sudorem promoventis dispellebat; forsan hoc ex depravato quodam appetitu ad vinum factum: nam, ut mihi retulit supra nominatus Dn. Venator, proprium huic morbo est apud plurimos eo laborantes, ut ad hanc vel illam rem in cibo & potu magis inclinent, ceu ille sæpè appetitu insolito ad vinum sublimatum & quidem benè aromatisatum infestabatur, quo si potiri potuit morbi sævitia remittebat, si non, pessimè se habebat, quod etiam alios mihi narrâsse recordor.

Testis relationis hujus auritus est spectabilis *Georgius Merkner*, Scabinus Novo-Oppidanus, affinis & compater meus honorandus. Vivit etiam inter nostrates in hunc usque diem spectabilis *Jacobus Sachs*, Scabinus suburbanus, jam sexaginta annos supergressus, qui ante plures annos morbo hoc correptus, gravissimè decumbebat, & à b. m. clarissimis Antecessoribus meis Dn. D. *Georgio Mochingero* & Dn. D. *Christophero Meisnero* P. P. Ord. ut morbo aliquo venenato cum febre continuâ laborans, curatus est; medicamentis autem nihil proficientibus, post cirrorum aliquot explicationem convaluit, quorum adhuc duos habet, reliqui deciderunt. Ut hîc taceam Magnificos & Generosos Dn. *Nicolaum Rey*, Hæreditarium & Dominum in Skoky majoris Poloniæ &c. ac Dn. *Nicolaum Lubstowski*, Capitaneum Cruszwicensem, atque Nobilissimi Dni *Andreæ Niemoiewski* conjugem, quæ pro febricitante per semestre habebatur, utpote tertiâ quâvis die rigore & horrore febrili, atque calore succedente, repentibus: inter nostrates autem viduam *Weissiam* plusquam septuagenariam, & filium ejus *Georgium Weiss*, sutorem, plures-que alios.

Hoc verò notabile est ex relatione Per-Illustris & admodum Reverendi Dn. *Stanislai Belenski*, Canonici Vladislaviensis & Præpositi Brzezinensis in viciniâ Cujaviâ, quod ipsi Medicus quidam Polonus (dolores atrocissimos circa orificium ventriculi patienti & per aliquot septimanas oculorum caligine, tandem etiam totali cœcitate laboranti) antequam se plica explicasset, jusserit ceram virgineam seu albam oculis applicare.

plicare cum tali prognostico, si post aliquot horas in cerâ crines apparuerint, illud certissimum signum plicæ fore, quod etiam eventus edocuit, nam remotâ cerâ, plurimi crines ei adhærebant, moxque omnes capilli se in cirros contorserunt, quorum illi, qui à partibus capitis dextrâ & sinistrâ pendebant, fuerunt (ut mox de hac distinctione dicetur) rotundi, tenues & *masculi*, unus autem crassus & dilatatus in occipitio *fœmina* appellatus: post quorum explicationem dolor ventriculi, atque oculorum cœcitas statim cessarunt. Mirum sanè & disquisitione dignum, unde isti capilli provenerint? Id quod ego tempore destitutus, aliis discutiendum relinquo.

Hic obiter mentio facienda, plicam in illis locis, ubi endemia est, in *masculam* & *fœmineam* distingui: hæcque totum caput patientis horribili spectaculo involvit, ut non tam capilli, quam villosus aliquis pileus congenitus homini videatur, & ejusmodi species (quia ex nimia fortè humoris viscosi abundantia & nativi caloris defectu orrii creditur) plerumque pro desperata habetur. Talem ego primùm conspexi in Dn. *Stanislao Bystram* Nobili Prusso: dein in Judæo quodam staturæ proceræ in nundinis horribilem mitram retro pendentem repræsentante. Talem se quoque, & quidem in superiore capitis parte habuisse ante plures annos, *Illustrissima Dna Comitissa à* Dönhoff/ Illustrissimi Dni Palatini Pomeraniæ, &c. conjux, mihi nuper narravit, in præsentia Rever. Patr. Soc. Jesu & Reform. Discalc. cui jam iterum, post decisionem, capilli nigri creverunt. Sed mascula, quæ propendentes aliquot ad instar funiculorum plicaturas habet, licet & illa contumax sit, sæpè tamen sponte consumpto fortè per calorem humore nocivo, decidit, & patientem à doloribus & molestiis absolvit: hæcque est communior & mitior, illa verò rarior & contumacior.

Cum autem (ex occasione scripti, quod sub ficto nomine *Theophrasti veridici Scoti* Doctoris Medici typis Universitatis Abredonensis in Scotia An. 1668. impressum prodiit, & sub titulo Plico-Mastix seu Plicæ è numero morborum ἀπόσπασμα apud Jacobum Pufflerum Bibliopolam Dantisci venditur) tàm ab his prænominatis, quàm ab aliis quærerem, an non etiam capillorum illa convolutio & conglutinatio ex incuria quadam proveniret, quod Polona gens rarò pectine capillos explicet, omnes mihi constanter contradixerunt, sanctè affirmando, licet quotidiè aliquoties (tale quid jam in capillis animadvertentes

tentes, & anteà etiam observantes) pilos capitis pectine explicare voluerint, conglutinationem tamen illam inhibere haut potuerint. Non possum igitur hâc in parte suffragari Theophrasto illi veridico Scoto Doctori Medico suprà citato, quisquis ille fuerit, sententiam clarissimi & excellentissimi quondam alicujus Serenissimorum Regum Poloniæ Archiatri, in tractatu præfato contrà Vopiscum Fortunatum Plempium mordicus defendenti, qui plicam è morborum numero planè exterminare voluit, dicendo, eam ex superstitiosarum muliercularum cerebro natam, & in credulos aliquot Medicos transplantatam, causamque plicæ nullam aliam statuit, quam pectendi capillos negligentiam: idemque plicam nil aliud, quàm superstitiosarum mulierum commentum tenet. Idem *Theophrastus veridicus Plico-Mastix in isto Tractatu, in Responsione ad* Epistolam *Theodori Skuminovii Episcopi Gratiano-Politani, & per albam Russiam Suffraganei,* de plica ita scribit: *Plica est voluntarius morbus, si morbus debeat dici, & nullus habet, nisi qui non velit cavere; nam affectatio credendi absque ratione ea, quæ fama inter vulgus sparsit, illam genuit; & fama alas à credulitate suppeditavit. Plicam enim ut sobolem fama genuit, amploque progressu auxit, quia non habuit Medicos, sed plebem authorem, quæ quidem non purâ ratione, sed affectu & desiderio summo natos suos enutrire solet, proinde fingendo credunt, & credendo fingunt, & quicquid audiunt, credunt se vidisse, & quod vident, augent & extollunt, imò assvefactio seu affectatio videndi insveta, deformia & delira falsaque spectacula inducunt mentes hominum, ut primo æmulentur, quæ affectant, & ita, quæ prima vice apparent deformia, assvefactione longâ pulchra solent apparere, ita peregrina primâ facie displicent, postea appetuntur: ita plicosi primo visu apparent horridi, consuetudine postea contagiosâ mollescunt, ita ut si unus in pago plicam gerat, postea plures volunt habere, & tandem omnes; sed nimis sero in ejusmodi deliria animadvertitur, præcipuè si sub authoritate fide dignorum virorum descenderint.* Idem ibidem pergit, *impedita pectinatio capillorum retrorsum impedit transpirationem, impedita transpiratio obstruit meatus cerebri, meatus obstructi inducunt appoplexiam, epilepsiam & paralysin, quæ auferunt sua munia membris, imo & crines complicati causant viscerum dolorem consensu membranosarum partium, quæ obstruuntur; imo ego assero, dolorem viscerum causare etiam plicam, quia ægrum reddit sui negligentem, intermittendo pectinationem, & istos dolores provenire potiùs à colicâ biliosâ, at-*

 que

que aliquando per metastasin aut pravam epigenesin in paralysin transplantari cernimus, & ad istam transplantationem à membranosis partibus ad nervosas non parum conferunt crines plicati, quia capillitia complicata obstruunt suturas, ne fuliginosos vapores à cerebro expellant, & inde adimunt membris sua munia. Huc usque ille. Quæ quàm frivola sint, quilibet, nisi ab affectibus præoccupatus, videt.

Verùm meliùs sentit Episcopus ille Gratiano-Politanus, qui in Epistolâ suâ ad D. Vopiscum Fortun. Plempium tales quæstiones format: anne crines convoluti longo decubitu vel negligentiâ pectendi possint causare internum aliquem viscerum dolorem? vel hominem contorquere? vel adimere sua munia membris? & ita respondet: quâ tricantur facilitate, eâdem extricantur, & nulla sequitur alteratio: in plicâ contrarium, imò huic malo non crinium tantùm plicaturâ, sed etiam unguium excretione portentosa natura medetur; Nonnullis enim si fortè contrarius in capite prædominatur humor, venenum illud in ungues educitur, prodeuntque contorti, nigri, crassi, à formâ solitâ & colore humanorum ordinario alieni: datoque casu, hos etiam ut capillos præscindere æquè periculosum, attamen bonus ille Doctor negligentiam pectendi capitis huic malo imponit causam, & forsan multis imposuit, tametsi hoc certum, quod capillos ad numerum frangere, & mollitie cincinnorum cum mulierculis certare à decore nostro, uti virili, sit longè alienum. Non curamus itaque Poloni hæc prostituta excrementorum capitis ornamenta, sed illa magis, quæ sunt de necessitate naturæ, ipsa illa 1. *Corinth. XI.* 14. docet nos, quod vir, si comam nutriat, ignominia est illi, mulieri pro velamine dati sunt, sed quis Hercules Augiæ stabulum expurgabit? Dummodo

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti.

Honestas capillorum apud nos non muliebris: sed & glabritiem totius capitis Turcis Moschisque usitatam incusamus: medium pro more gentis & virili decore retinemus, caput semper pectimus, sæpe lavamus, nec illud frivolum curatur à nobis, caput ablue nunquam &c. quæ ibi videantur.

Cur autem Germani vel Borussi culturæ capitis magis studiosi etiam plicâ afficiantur, non possum invenire rationem, si apud Polonos & Russos incuria pectinandi caput accusetur? sed quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt? Longè meliùs & rectiùs sentit *Excellentissimus*

mus Dn. D. Martin. Bernhard à Berniz, S. R. M. Poloniæ Personæ & Cameræ Medicus observ. 52. miscell. Curios. Med. Phys. Ac. N. C. anni II. ubi simul modum plicæ curandi proponit: cui nos quoque adstipulamur; statuentes, plicam è numero morborum nullatenus esse excludendam, quanquam non diffitemur, plurimos lue venereâ infectos, nec non scorbuticos, se plicæ pallio obtegere, cum hi morbi magnam inter se analogiam obtineant: inprimis verò scorbutus varietate symptomatum secundùm individua plicæ admodum similis est; singuli enim ægri singularia accidentia patiuntur. Sed nos unicuique liberum sensum relinquimus, hancque controversiam nostram non facimus.

Effatum hoc nostrum & plurimorum Medicorum, qui de plicâ huc usque aliquid ediderunt, confirmat egregiè rarissimum exemplum, lectuque dignum de plicâ pudendorum muliebrium, cujus meminit *Dn. D. Johannes Paterson Hain. observ. 221. Miscell. Curios. Med. Phys. Ac. N. C. anni III.* Cui nos Epiphonematis loco addimus historiam miram de plicâ resectâ, & post sedecim annos è clavo pendente, in loco ab hominibus remoto, in cœnobio quodam Poloniæ Majoris Ordinis S. Brigittæ circa Posnaniam, ad semiulnæ longitudinem accretâ monialis cujusdam ejusdem ordinis nomine Kozielska: quam mihi verâ fide retulit monialis altera S. Brigittæ Ordinis Constantia Mieszkovvska, tum temporis Illustrissimæ Dominæ Comitissæ à Dönhoff / supra nominatæ domestica, in præsentiâ ejusdem Illustrissimæ Comitissæ. Aderant tùm unà duo Patres Soc. Jesu Collegii Thorunensis, & duo alii monachi Reformati discalceat. Ordinis cis Vistulam Podgurzienses: atq; Georgius Grunack, civis & chirurgus Thorunensis. Cui lubet, adeat historicos de plicæ origine scribentes, præter alios inprimis *Spondanum, Bzovium, Cromerum, Dlugossium,* & inter recentiores, *Joachimum Pastorium in Floro Polonico. lib. 2 c. 14.* quorum plerique initium hujus morbi in annum Christi 1287. ponunt.

OBSERVATIO CXXXIX.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE

PICA SEU MALACIA PUERORUM.

Picam seu malaciam (quos tamen affectus Medici quidam distingvunt) esse propriè morbum gravidarum, nonnunquam etiam

tiam virginum, certum eſt. Sed mihi notum eſt exemplum puelli lactentis, quem nutrix ſæpiùs in horto iu terrâ nigrâ nullo gramine tectâ depoſitum, ad eandem terram comedendam aſſvefecit, & quidem per longum temporis ſpatium, nemine id obſervante; donec tandem nutrix aliquoties animadvertens, puellum ab eſu illius terræ vix retinere potuerit, quoties ſcilicet hortum intravit, puellusque terram conſpexit, cujus ſignum erat ploratus. Sed abſentia horti comeſtionem terræ planè abolevit. Hic poſtea conſul factus, ſed jam demortuus, mihi id ipſum narravit. Idem factitaſſe alium quendam puerum, ſed natu majorem, ſcio, qui cum terrâ non potuit potiri, cretam comedit: uterque autem hypochondriorum tumorem & duritiem poſtea incurrit; & ni eis medicamentis aperientibus & obſtructiones ſolventibus Medici prudentes citò obveniſſent, malè cum iisdem actum fuiſſet; hic dein Pro-Conſul creatus eſt, & in hunc uſque diem ſexagenario major Burggravii Regii vices p. t. obit, ac piè demortui iſtius conſulis ſororem germanam in matrimonio habuit. De picâ quâdam hæreditaria *vid. Greg. Horſt. libr.* 4. *Obſerv. Medic. de morb. viſcer. Concoct. Obſ.* 5. ſed inprimis ea, quæ *Excell. Dn. D. Mich. Febr. Miſc. Germ. Curioſ. anni I. obſ* 38. de eſu rerum abſurdarum pulchrè congeſſit, atque quæ in ſcholio connotata ſunt, ut cum præſente obſervatione conferantur, operæ pretium eſſe duco.

OBSERVATIO CXL.
D. SIMONIS SCHULTZII,
DE
SINGULARI CURATIONE RIGORIS ET FRIGORIS MAXIMI IN TOTO CORPORE.

UT *Excell. Dn. D. Olaus Borrichius* S. R. M. Daniæ Medicus & in Haffnienſi Academia Profeſſor P. tertianam exquiſitam lagenis aquâ calente ferventibus, corporique hinc inde circumdatis, & ſudorem excitantibus, planè ſuſtulit, ut videre eſt *obſerv.* 238. *Miſcell. Cur. Med. Phyſ. Germ. anni III.* Ita nos anno 1674. conjugem fabri Georgii Leſſigs civis Thorunenſis Novo oppidani primis menſibus ingravidationis, rigore & frigore totius corporis inſolito aliquoties correptam, indeque valdè debilitatam, per lagenam aquâ calidâ plenam, plantis pedum ſuppoſitam, poſt ſudorem copiosè erumpentem, ab eodem ſymptomate per DEI gratiam feliciter liberavimus.

OBSER-

OBSERVATIO CXLI.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE

PALPITATIONE DIUTURNA VENTRICULI TANDEM SUBLATA.

EAdem fabri ferrarii uxor cum ultimis tribus imprægnationis mensibus, palpitationem ventriculi quotidianam gravem & diuturnam perpessa fuisset, nullo alio remedio, quam *Requie Nic. ad* ℈j. aliquoties ante cibum deglutitâ, à nobis feliciter curata est, & adhuc dum ante sesquiannum infantem sanum enixa vivit, quamvis sæpissimè urinas semicruentas & purulentas ab ulcere renis dextri provenientes cum dolore emingat, valetudinariaque sit: ulcere isto jam ab aliquot annis illam affligente.

OBSERVATIO CXLII.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE

HYDROPHOBIA.

PUella aliquot annorum viri plurimum Reverendi Dn. Michaëlis Ringeltauben/verbi Divini Ministri ad SS. Trinitatem Thorunii dignissimi, cum anno 1674. à catello domestico non quidem commorsa, sed tantùm salivâ ex ore spumante hinc inde in corpore nudo commaculata esset; octavâ pòst die, vehementi rabie correpta est, & licet varia medicamenta opportunè adhibita sint, abhorrens omnia liquida, tertià die placidè obiit: qualia exempla B. L. videat plura apud *Johan. Matth. de Gradibus*, *Matthiol. lib. 6. Dioscor. cap. 36. Cælium Aurelian. libr. 3. acut. morb. Schenckium libr. 7. observ. & Aretæum lib. 1. design. & caus. morb. acut. cap. 7. Hieronym. Cardanum Contradict. Med. 9. tract. 5. lib. 2. Jul. Palmarium de morb. contag. atque Fernel. libr. 2. de abdit. morb. caus.*

OBSERVATIO CXLIII.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE

PODAGRA CONTAGIOSA.

POdagram hæreditarium morbum esse, in aprico est: sed contagiosi quid possidere, me apud nullum Medicorum unquam le-

giſſe recordari poſſum; quemadmodum hîc Thorunii annularius quidam, nomine Herburger, ante plures annos, ſed noſtrâ memoriâ, emptis veſtibus demortui p. m. ſpectabilis & peritiſſimi Martini Svveickarti, Scabini ſuburbani, & Pharmacopœi ſenatorii, podagrici, ſoceri mei, ab hæredibus, podagrâ mox correptus, poſteaquam veſtes aliquoties induerat, quâ usque ad mortem infeſtabatur, proptereaque à vicinis irriſus fuit.

OBSERVATIO CXLIV.
D. SIMONIS SCHULTZII,
DE
VERMIBUS VIVIS E BUBONE INGUINALI EXEUNTIBUS,

PUella quædam inter plebejas undecim annorum à primâ ſtatim ætate, de dolore inguinis conquerebatur, donec tandem anno undecimo ætatis poſt graviſſimum dolorem aperto per ſe inguine, vel etiam perrupto, duo vermes vivi exierint, quartam ulnæ communis partem longi, ſimiles iis, qui in inteſtinis; ad inguen perveniſſe, ac illud quoque perforaſſe, inde liquet, cum & liquidus cibus poſteà aliquoties per foramen illud foràs prodierit, puellaque illa etiam aliquot lumbricos cum fœcibus egeſſerit. Sed jam conſolidatus bubo nullum tumorem exhibet, dolore tamen aliquando ingraveſcente, puellâque ſemper valetudinariâ exiſtente. De lumbricis nonnunquam ventriculum, inteſtina, umbilicum, ventrem, hypochondria atque inguina perforantibus, vide *Schenckium libr. 3, obſerv. Med.* & præſertim *Nicolaum Tulpium libr. 3. obſerv cap.* 12. de verme ex inguine prodeunte: ſimilia exempla videantur *in Miſcell. Curioſ. Germ. anni I. obſ.* 145. 146. *& in Append. p.* 35.

OBSERVATIO CXLV.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
PURPURA EPIDEMIA MALIGNA INFANTUM.

CUm anno 1664. hyems mollis & pluvioſa eſſet, graſſabatur apud nos vere primo inſequente purpura epidemia maligna, quæ per totam æſtatem & autumnum usque in hiemem ſævie-

viebat, plurimosque infantes utriusque sexus, & duodecimum annum attingentes (nam ultrà hanc ætatem vix ascendebat) perimebat. Plerique secundâ die morbi, nonnulli etiam primâ moriebantur; ille solummodò evadebant, qui nulla faucium inflammatione vel tumore œdematoso (variabant enim ista pro diversitate naturarum) infestabantur. Tum omnibus ab isto morbo liberatis, post copiosum sudorem (nonnullis etiam diarrhœa, sed tantùm unius vel alterius diei critica profuit) squamæ decidebant, rubore cutis evanescente. Tandem, præsertim natu majoribus, tumor totius corporis, instar leucophlegmaticæ, & infimi ventris sequebatur, qui per aliquot septimanas miseris molestus erat, sudoreque etiam solvebatur, interdum etiam urinâ largius profluente. Evasit tùm etiam per divinam gratiam filiola mea unica, nondum annum supergressa, tum etiam privigna mea. In curatione admiscebantur sudorificis bezoartica. *Excell. Dn. D. Segerus*, tum temporis Collega meus charissimus, hisce fidem dabit.

OBSERVATIO CXLVI.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
FRAUDE MEDICA SALUTARI.

Dictum illud *Plauti in Captivis*:

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet:
Etiam cum cavisse ratus est, sæpe is cautor captus est.

commodè ad præsentem casum accommodari potest: quem mihi, dum viveret, narravit p. m. Antecessor meus Dn. D. *Chr. Meisnerus* Phys. prim. &c. de pellionis & civis Thorunensis piè defuncti Gregorii Bieners conjuge, etiam demortuâ, quæ jam ab aliquot annis pulmonum ulcere laborans, medicamentorum à præfato Medico (ut in morbis chronicis fieri solet) præscriptorum pertæsa, tempore nundinarum hyemalium, à quodam circumforaneo capsulam pilularum emit, de quibus certam dosin alternis diebus deglutire debebat, quam maritus, ipsâ insciâ, Medico domestico monstravit, eique uxoris mentem revelavit. Hic pilulis e capsulâ ejectis formavit alias ex pane cum sirupo aliquo ad magnitudinem istarum, quibus illa ad circumforanei præscriptum fruendo delectabatur: cumque interea sirupis à Medico domestico ordinatis & aliis pulmoniacis medicamentis usa fuisset,

accidit, ut appropinquante vere & æstate sibi jam convalescere videretur. Retulit itaque tum Medico, se non ab illius medicamentis morbo eluctatam esse, sed ab illius Medici peregrini pilulis, qui nundinis Trium Regum præteritis hic præsens erat. Sed Medicus mittendo ei circumforanei pilulas, referendoque, quales loco illarum assumpserat, ipsam rubore suffusam, mutam reddidit. Atque sic fraus fraude delusa est.

OBSERVATIO CXLVII.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
METASTASI HUMORIS PER VIAS OCCULTAS: SEU, DE EMPYEMATE POST PLEURITIDEM NOTHAM PER FORAMEN CUTANEUM, A VENA MEDIANA INCISA, SALUTARITER SOLUTO.

Rectè sanè, *Stephanus Rodericus Castrensis in eruditissimo tractatu, quæ ex quibus, inscripto lib. 2. cap. 2.* scribit: Metastasi seu humoris in morbis transmissio, non solùm per vias manifestas, sed per occultas etiam fit. Nam præter vias unicuique cognitas, per quas quicquid fluxibile in corpore est, fertur, sunt aliæ incognitæ, quarum nos contemplatio in admirationem deducit. Et *libro eodem cap. 3.* ita pergit: Cum Metastasin per vias incognitas fieri audis, intelligit incognitas nobis, naturæ verò, quæ licet cognitione non utatur, dirigitur tamen à cognoscente, cognitas: unde *Hippocrates 6. Epidem. sect. 5. text. 2. è versione Foesii*, Natura, *inquit*, ipsa sibi per se, non ex consilio motiones ad actiones obeundas invenit, partim quidem ut nictare, partim verò etiam quibus lingua subservit, & quæcunque alia id genus. A nullo quidem edocta natura citraque disciplinam ea, quæ conveniunt, efficit. *Galenus* accessus exponit vias, aut impetus ad agendum, ut scilicet natura οὐκ ἐκ διανοίας sine consilio vel indocta in eas actiones feratur, quibus exequendis accommodata habet instrumenta. Hoc argumentum latissimè prosequitur *1. de usu part. cap. 3. & ejusdem operis lib. 15. cap. 7. & 6. de loc. affect. cap. 6.* Cæterum *Hippocrates*, apud quem prius νόσων φύσιες ἰητροί, *natura morborum medicatrix dicitur*; adjungit paulò post: adinvenit natura sibi accessus, nempe vias: quapropter non solùm loqui videtur de

de admirandis actionibus, sed de viis etiam, per quas natura ista medicatrix metastasin humorum efficiens morbis medetur, constat hoc, quia utriusque rei exemplis utitur &c. Hucusque citatus *Autor*, cujus verba paulò prolixiùs hic recensere volui, ut eò meliùs præsens casus singularis & contemplatione dignus intelligatur.

Virgo quædam Thorunensis, Dorothea Krigerin, honesti Johannis Georgii Zobners, civis & negotiatoris apud nostrates non infimæ notæ privigna, annorum septendecim, constitutionis gracilioris, complexionis phlegmaticæ, incidit anno 1675. hyemali tempore in pleuritidem spuriam sinistri lateris à pituitosâ causâ, cum paucâ bile permixtâ, originem ducentem, sed à causâ procatarcticâ, scilicet saltatione longâ, & sudore subsequente à frigore externo suppresso in actum deductam, post suppressionem sangvinis menstrui, huc usque inordinatè, utpote pituitâ copiosâ permixti, indeque orta obstructione, fluentis: cui jam à longo tempore singulis noctibus gravis fuit sudor oleaginosus, fœtidus, coloris crocei, tàm in capite, quàm in dorso, etiam indusium tingens, & pingvedine quâdam inficiens.

Huic ego perspectis signis, inter quas urina crassa & tincta erat, dolor cum puncturâ sinistri lateris gravativus, pulsus celer & validus, respiratio difficilis cum quâdam dyspnœa, tertia die morbi è venâ mediana dextri lateris sangvinis ultra sex uncias extrahere jussi, qui merè pituitosus erat: dein remisso paulatim dolore laterali, sed calore adhuc superstite, altera die post è vena poplitea utriusque pedis ad sanguinem magis revellendum & menstruum fluxum proritandum (qui etiam postridiè, quamvis in pauca quantitate apparuit) aliquot unciæ ejusdem eductæ sunt: tum statim calor remisit, puncturæ lateris desierunt, gravativo tantum dolore residuo cum difficultate spirandi manente. Sanguis autem eductus pallidus erat, tunicasque quasdam secundinis similes repræsentabat, qualem ego quidem nec vidisse unquam, nec è minoribus vasis extractum fuisse, me legisse recordor. Interim hæmorrhagia narium, ut antea, ita & nunc continuabat, urina concocta apparebat, dyspnœa non remittente, quam mox sputum tenue sequebatur, Aphorismum illum *Hippocraticum lib. 5. aphor. 8.* qui pleuritide laborant, nisi intra quatuordecim dies supernè per sputum repurgentur iis in empyema fit transmutatio, verificans. Quanquam *Aretæus* hic interdum vigesimum diem terminum constituat: *Galenus* verò in commentario

mentario non solùm empyema, sed quamlibet in pus mutationem intelligat. Sed dum nos materiæ evacuationem per sputa cocta è pectore expectabamus; Ecce novum emergens intervenit, scilicet puris cocti albi instar lactis, paululum tamen ad colorem croceum inclinantis, per foramen cutaneum à venâ incisâ nondum consolidatum, excretio, quæ quidem metastasis materiæ per vias occultas nobisque incognitas pectoris & lateris dolorem sensibiliter sustulit, sed cubiti illius manus, ut & homoplatarum dolorem majorem excitavit, sputo liquido, salso, per aliquot septimanas continuante: quod tamen posteà salubriter & cum euphoriâ cessavit, fluxu menstruo reverso, virgineque ad hanc usque diem feliciter & pancraticè valente.

OBSERVATIO CXLIIX.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE

MOTU QUODAM TOTIUS CORPORIS, OMNIUMQUE EJUS PARTIUM HORRENDO ET DIUTURNO EX TREMORE ET PALPITATIONE MIXTO, TANDEM CURATO.

QUid tremor sit, quid palpitatio, docent Medici: quæ differentia inter utrumque affectum, quæ utriusque causæ, iidem explicant, ad quos lectores remittimus; nunc motum quendam ex utroque compositum, horrendum & diuturnum describimus. Ante plures annos adolescens quidam Johannes Georgius Bort Lubecensis, artem chirurgicam apud Petrum Pulss Chrurgum Thorunensem addiscens, hoc affectu prehendebatur, magno, horrendo, & aliquot hebdomadas durante: quo cum unà loquelam amittebat, nihil audiebat, apertis oculis nihil videbat, nullum odorem percipiebat, nihil intelligebat, comedebat tamen & bibebat benè: indeque solum & motu isto mirabili vitam ipsi inesse, indicabat, neque enemate applicato, nisi fortissimo, aliquid egerebat. Comitabatur symptoma hoc sudor quidam diaphoreticus, fœtidissimus & consumptivus: patiensque jam ab omnibus pro desperato habebatur. Sed tamen, divinâ clementiâ, post usum medicamentorum facultati tam animali, quàm vitali prospicientium, à B. Dn. Doctore Meisnero & nobis præscriptorum, natura se recollegit, quamvis post longam temporis

poris moram. Hic deinceps omnibus sensibus recuperatis, intellectu loquelâque integris, hinc abiit. Adolescens aliàs robustus & staturæ magnæ. De palpitatione alterius mandibulæ *vid. Lal. à Fonte consil.* 61. *fol.* 179. *Math. de Gradib. cons.* 18. *&c.* de Tremore *vid. Fernel. consil.* 17. *Frambessar. consil.* 3. *Mercat. consil.* 1. *Montagnan. consil.* 145. De Tremore universi corporis *Massam Part.* 2. *epist.* 18. & de pluribus aliis particularibus tremoribus diversos autores. Dum ista concipio, habeo sub curâ meâ honestam quandam matronam Cracoviensem, quæ tremore totius corporis post febrem catarrhalem laborat ex debilitate & virium magnâ prostratione, ab humorum plenitudine: sed indies per DEI gratiam calor iste febrilis lentus remittit, unaque tremor, urinæ etiam coctæ apparent, cum spe convalescentiæ.

OBSERVATIO CXLIX.
D. SIMONIS SCHULTZII
DE
SINGULTUS DIUTURNI CURATIONE.

SIngultus omnium ferè Practicorum consensu inter expultricis facultatis ventriculi symptomata meritò refertur, excepto *Platero*, qui eundem ad depravatam respirationem rejicit. Hunc nos jam aliquoties, etiam contumacissimum sustulimus sequenti mistura, quam B. L. fideliter communicavimus. Rec. *vini cydon. tinct. rosar.* ãã. ℥j *sir. cydon.* ℥ß. *ext. zedoar.* gr. xv. *ol. dest. cort. aurant.* gr. iiij. *laud. opiati* gr. ij. M. pro potiuncula cochleatim sumendâ. Inter alios autem, qui hâc misturâ feliciter & cum fructu usi sunt, est cùm Magnificus p. m. Proconsul Dn. Th. B. scorbuto simul confirmato laborans: tum Dn. *Henricus Brückmann*, Scabinus Vet. Civit. jam ἐν ἁγίοις, atque Erasmus Reitel Bibliopegus & Æditnus Marianus eodem symptomate per annum infestatus, nuperque periculosè & tantùm non lethaliter correptus, vix sexagesimum annum supergressus. Eâ ipsâ misturâ fermè olim excellentissimum Dn. Henricum Schævium Phil. & Med. D. atque Gymnasii nostri Rectorem meritissimum, jam piè demortuum, beatè etiam defunctum Matthiam Klimpel, civem & mercatorem Thorunensem opulentum, ab eodem symptomate liberâsse meminimus. Quibus remediis magnus noster *Hippocrates* febrem singultuo-

gultuosam fugaverit, inveniet B. L. *in libr. de rat. vict. in morbis acut. edit. Foes. sect.* 4. *p.* 71. De singultus differentiis à causis desumptis videatur idem *Hippocrates lib.* 5. *Aph.* 58. & *lib.* 7. *Aph.* 17. *&* 41. atque *Tobias Knoblochius in comment. Hippocr. Aphorismorum*: tum *Hollerius in comment. & schol. super eosdem Aphorismos, p.* 307. 313. 434.

OBSERVATIO CL.
D. SIMONIS SCHULTZII
DE
ARTHRITIDE VAGA PERPERAM CURATA.

QUàm periculosum sit in arthritide vagâ humorum motum, iisdem turgescentibus & se moventibus, turbare ac retropellere, edoctus nuper in quâdam matronâ, hisce testor. Applicabantur externis partibus emplastra repellentia, internè dabantur refrigerantia, humorisque peccantis motum sistentia: quanta tum sequebatur cordis angustia? ut ferè in syncopen inciderit; sed mox adhibito tantùm pulvere cordiali, cum aquis bezoarticis temperatis, sudoreque moderato succedente, restitutio virium succedebat, cordis angustia cessabat, pulsusque anteà tremulus liberior factus est. Confer cum istis *Mart. Pansam. Consil. Antipodagr.* 1. *Controvers.* 7. *p.* 188. *& Johann. Pistorium in Consil. Antipodagr. cap.* 9. *p.* 64. *&c. atque Liberatum de Liberatis Podagr. Polit. lib.* 4. *cap.* 6. *p.* 238. 239. *&c. ibid. in Append. pag.* 253. *&c.*

OBSERVATIO CLI.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
JUDÆIS MEDICIS.

SI in aliquâ regione, certè in nostrâ Poloniâ tritum illud *Textorianum in syllog. Ænigmat. Epist.* 86:

Fingunt se Medicos omnes, idiota, sacerdos,
Judæus, monachus, histrio, rasor, anus;

verum esse, quotidiana experientia comprobat: ut rectissimè querela illa, quam *Philippus Camerarius Cent.* 1. *Oper. subcisiv. c.* 52. *p. m.* 235. instituit, Polonis applicari possit: Plenus est orbis jam medicastrorum & medicastrarum, quæ non solùm de medicamentis in gravissimis & acutis morbis rectè præparandis multa narrare, quam probè haud scio, possunt;

ſunt; ſed etiam remedia iſta ab ipſiſmet confecta, nullâ habitâ ratione cauſæ morbi aut ætatis vel temporis, magno periculo ægrotantium adhibere audent. Unde accidit, ut docti & periti Medici aut rectè uti ſuâ arte impediantur, aut abſterriti hiſce ineptiis, quæ plerumque in illos redundant, omninò deſiſtant. &c. Verùm de his in præſentiarum plura loqui non eſt jam noſtri inſtituti. De Judæis tantùm, qui ſe in Poloniâ plurimi pro Medicis promotis venditant, aliquid ſcribere, noſtrum propoſitum eſt. Sunt plurimæ civitates, tam in majori, quam minori Poloniâ, & aliis diffuſi hujus regni tractibus, ubi præ Chriſtianis, non ſolùm Judæi chirurgi, ſed etiam Medici ejus gentis tolerantur, & apud plures Magnates, non tantùm ſecularis, ſed etiam Eccleſiaſtici ordinis primum locum obtinent. Quam autem periculoſum, iſtis hominibus hâc in arte credere, vitamque ſuam concredere, id ego præſenti obſervatione ex probatis authoribus Theologis, Juris-Conſultis, Medicis, hiſtoricis & politicis demonſtrabo. Prodeat itaque inter Theologos primùm *Frid. Balduinus Caſ. Conſcient. lib. 2 cap. 6. Caſ. 5. p.* 190. ita ſcribens: Præter horrendas blaſphemias, quibus Judæi Chriſtum & beatam ejus matrem afficiunt, immani inſuper odio contra Chriſtianos flagrant, quos intolerabilibus ſuis uſuris & fraudibus expilant & exhauriunt, rem licitam ſe facere putantes, quia erga alienigenas, inter quos Chriſtianos cenſent, fœnerari ſibi conceſſum putant lege Divinâ, *Deuter.* 23. *v* 20. Sanguinem Chriſtianorum ſitiunt, & dum adultos in poteſtate ſuâ non habent, infantes miris modis clàm excruciaſſe leguntur: ſub ſpecie medicæ artis, quam nusquam didicerunt, multorum vitæ inſidias ſtruxerunt, veneno puteos inficiunt, etiam Magiſtratui ſuo quotidiè in precibus ſuis, quas *Velaniſche modim* vocant, imprecantur, ut Deus eos perdat, annotante *Antonio Margarità* Judæo baptiſato, qui de Judæis ſanctè affirmat, quo quis ſit erga ipſos humanior, eò crudeliores ipſos eſſe ergà Chriſtianos: cogitant enim ex ſingulari DEI providentiâ fieri, & infallibile ſignum redemptionis ſuæ eſſe, quod ab iis, quibus in corde ſuo peſſimè convitiantur, ipſi amentur & beneficiis adficiantur. Poſt hunc videamus *Johannem Mullerum in Judaiſmo ex Rabbinorum ſcriptis detecto part. 2. cap. 5. à p. 1434. &c. usque ad p.* 1458. ubi talem quæſtionem proponit: An Chriſtianus bonâ conſcientiâ Judæum medicum in morbo adhibere poſſit? Et an etiam Chriſtianus Medicus cum Judæo medico conſulta-

re & curare obligatus sit? ubi contrarium statuit, & ex multis rationibus id negat, quarum argumenta cum paulò prolixiora sint, ibidem videantur. *Arnoldus Mengering in Scrutinio Conscient. Catechetico cap. 6. ad secund. Præcept. p. 414.* ita statuit, non posse sine læsione conscientiæ Christianum, Medicum Judæum in morbo corporis ad se vocare: cum certum sit, Judæum Jesu Christo maledicere, & de medicinâ suâ nihil in nomine Jesu exhibere, sed in omnibus ei contradicere. *Idem in Informatorio Conscientiæ Evangelico supra Domin. Trinit. 24. p. 1068. &c.* id ipsum prolixius explicat & confirmat. Confer cum istis *Historias Thalmudicas Christophori Helvici* & inprimis *ibidem Georgii Nigrini Consilium in Appendice.* His adjunge *Georgii Dedekenni Thesau. Consil. & Decision. volum. 2. Politica continentem, p. 52.* & inprimis *à pag. 151. usq; ad p. 156. atque Consilia* Theologica *Wittebergensia part. 1. p. 1047. 1057. 1058. &c.* Tum *Ludovic. Duntem in Decis. Cas. Conscient. sect. 2. quæst. 27. p. 636. ibidem quæst. 31. p. 642.* Tandem *Adamus Contzen Soc. Jes. Presb. lib. 8. Polit. cap. 17. p. 595. §. 7.* de istâ materiâ eruditè disserit, & cur Judæi à Christianis pellendi, *ibid. libr. 6 cap. 44. §. 6. & libr. 4. cap. 25. §. 10.* edocet. Transeamus jam à Theologis ad ICtos & reliquos. Quæ de hâc materiâ consignavit *Schneidewinus, vide ejusdem libr. 3. super Instit. Justiniani Tit. 1. p. m. 388. &c. Philippus Camerarius oper. subcisiv. Centur. 1. cap. 42. p. m. 200.* ex *Roberto Gagvino* recenset: Afflictos fuisse multos leprosos, qui Judæorum hortatu susceptum ab eis venenum puteis per omnem Franciam infundere conjurâssent, ut si qui potum inde haurirent, aut interirent, aut elephantiæ virus inciderent. Itaque pharmacon sanguine & lotio humano, herbisque quibusdam lethiferis confectum panno involventes, in puteos demittebant, lapide adhibito, ut ad aquæ fundum citò deferretur. Id qvum in provinciâ Narbonensi à leprosis factum Philippus cognovit, veneficos omnes flammis ibi punivit, inquiri per reliqvum regnum leprosos jubet, utque de crimine confessos, unà cum plerisque Judæis vindex flamma corriperet. Fuisse per id tempus constat Judæos 40. Vitriaci, ob id ipsum in custodiâ habitos, eosque mirabile in sese facinus perpetrasse.

Nam qvum se morti addictos jam minimè dubitarent, duos ex eorum numero delegerunt, qui reliquos occiderent, ne Christianorum manibus sumerent supplicium. Vetustissimus illorum atque junior execrabile ministerium exeqvuntur. Omnibus interemptis, qvum duo

tantùm

tantùm homicidii autores superessent, senior, ut se necet, juniorem orat. Hic seniore occiso, qvum se solum videt, direpto auro, quod apud interemptos erat, funeque ex dissectis linteis facto per fenestram se demisit, sed cum & corporis & auri gravitate funis, quo se deorsum mittebat, dissolveretur, in fossam delapsus crus fregit, atque ita in fossâ procumbens deprehensus est, & tandem supplicio affectus. Judæorum autem cadavera cremata sunt. Hujus rei quoque mentionem facit *Paulus Æmilius*. *Idem Cumerarius Centur. 2. Horar. subcisivar. cap. 61. p. m.* 257. 258. refert alteram historiam Medici Judæi loco pharmaci venenum propinandis. Atque *Cent.* 3 *cap.* 11. *p. m.* 34. 35, *&c.* de Judæorum imposturâ plurima ex aliis fide dignis exscripsit. Inprimis autem ea, quæ *Georg. Christoph. Waltherus in Tract. Juridico-Politico de Statu, Juribus & Privileg. Doctorum omnium Facultatum* congessit, digna sunt, quæ hic citentur *cap. 6. §. 24. p. 72. 73.* De Judæo quæritur, an ille Doctor creari queat? Intelligimus autem omnes eos, qui adhuc in summâ cœcitate, præfractaque mente Christi Salvatoris mundi nativitatem, passionem, resurrectionem & ascensionem in cœlos pertinaciter negant, palabundi hinc inde incertis sedibus vagantur, & contra fidem Catholicam detestabilia indies committunt, ita etiam vox Judæi usurpatur in T. *C. de Judæis & Cœlicol. teste Wesenbecio in ff. ibid. n.* 1. non autem intellectum volumus populum DEI peculiarem, qui eâdem nobiscum fide salutem æternam quæsivit & adeptus est. *Actor.* 15. *v.* 11. *Iacob. Benius de Privileg. ICtorum Privil. 64. num.* 4. distingvit inter Doctores Juris & Medicinæ, & in Medicinâ eos Doctoris titulum assumere posse, in Jurisprudentiâ repelli putat, & consentit *Udalricus Zasius ad rubr. ff. de Iust. & Iure,* addens rationem, ideò Judæum Medicinæ Doctorem esse posse, cum talem esse non sit dignitas, quod tamen iterum restringit ad chirurgos & empiricos, non ad Medicinæ Doctores, sicque discedit à priori suâ sententiâ, quæ etiam omninò est improbanda. Nam ut infrà docebimus, & Medici eâdem dignitate fulgent, aut certè fulgere debent, quâ Jurisconsulti aut Theologi, neque datur differentia. Negamus ergò in solidum cum *Martino Uranio in C. Iudæi. n.* 7. *de testibus,* quem Dom. Limnæus alibi quasi affirmantem allegavit, cum tamen additionator hoc statuerit (qui fuit non Martinus Uranius, sed *Frid. Prenninger*) *in Addit. ad C. super eo de testibus n.* 2. *Lit. C.* putavit in Medicinâ infamiâ laborantes admitti posse

se ad Doctoratum, sed ipsi in hâc quæstione rectè non credere vult ad assem Dom. *Limnæus lib.* 3. *c.* 4. *n.* 24. sicut & ego, imò potius sic argumentamur: Infamibus non patent portæ dignitatum: Atqui Medicina est dignitas. E. Medicina non patet infamibus: si non infamibus, utique nec Judæis, qui gravissimâ nominis labe apud omnes Christianos laborant, suntque vel maximè infames, (1.) quia vestitu à personis honestis discernuntur, *Ordin. Polit. Francofurt. anno* 1577. *Rubr.* Von der Juden Kleidung. (2.) sunt usurarii publici, quos ipso jure infames esse docet *Text. in C. Porro* 3. *Quæst.* 7. *vid. Dn. D. Johann. Herman. Stamm*, Assessorem cameræ celeberrimum in exquisito *Tractatu de servit. person. lib.* 1. *Tit.* 5. *c.* 1. *num.* 14. ubi multos allegat & probat, Judæos in nullâ facultate Doctores creari posse. *Idem Autor. c.* 12. *pag.* 205. §. 74. Ex hoc generali præsupposito medicastrorum genera facilè inveniri possunt, qui omnes indigni Medici titulo, multò minus verò Doctoris. Et primò quidem abhinc arceo Judæos, & nullatenus probo, quod in Doctores Medicinæ promoti sint, minùs ut promoveantur, sicut *supra c.* 6. §. 24. *p.* 11. fusius demonstratum est. *Textus* 1. *est apertus in Jure Canonico C. nullus* 28. *q.* 1. ubi dicitur, quod nullus eorum, qui sacro sunt ordine, aut laicus aliquem Judæorum in infirmitatibus suis vocet, aut medicinam ab eis percipiat, & si laicus est, excommunicetur, & ideò recipere medicinam à Judæo, est peccatum mortale. 2. *Textum adduco Juris Civilis in L ult. C. de Judæis*, ubi dicitur, quod nullum honorem, nullam dignitatem, nullam præeminentiam inter Christianos possint habere; Et per hanc L. infert. Dr. quod non possint doctorari, cum Doctoratus sit dignitas & præeminentia: & ita sentiunt *Fr. Ripa in tr. pestis C. de remed. ad pestem, n.* 52. *Everh. Speckhan cent.* 2. *qq. Juris qv.* 14. *Latherus de censu libr.* 3 *cap.* 21. *n.* 45 *Kormannus in Respons. Juris*: Ob und wie die Juden unter den Christen zu dulden? *art.* 9. & 46. Contrarium tenent *Additionator ad Uranii Lecturas C. Judæi de testibus n.* 7. *Mandes in Prax. sign. Tit. de Licent. Doctor.* Argumenta proferuntur hæc (1.) text. in L. generaliter §. fin. ff. de Decurionibus, ubi permittitur Judæos promoveri posse ad dignitates. E. & ad Doctoratum. Sed respond. Illud intelligendum esse de ipsis Judæis inter sese versantibus, non inter Christianos. (2) Ita argumentatur: si servi possunt esse Medici *l.* 1. §. *ne autem C. Comm. de serv. manumiss.* sequetur, posse & Judæos, qui sunt servorum instar, esse Doctores & Medicos: qvum medicina

dicina sit ars sine dignitate, ut tradit *Glossa ad T. C. de Profess. & Med. lib.* 10. cujus capaces sunt & servi & Medici: sed negatur posterius: Doctores enim Medicinæ æquè sunt in dignitate constituti ac Doctores Legum. *Rol. à Valle cons. 67. n. 8. lib.* 3. *Cephal. cons.* 117. *n. 23. & cons.* 111. *n. 20. lib.* 1. Cujus rei clara est decisio *apud Br. in L. omnes in fin. C. decur. lib. 10.* ubi tenet: Judæum non posse doctorari in medicinâ, quia ex doctoratu consequatur dignitatem, cujus ille capax esse nequit: quod autem apud Romanos servi etiam fuerint Medici, ut patet ex *D. l.* 1. *§.* 5. *comm. de serv. manumiss. l. 2. in pr. C. comm. legat. l. 26. ff. de oper. libert. L. 41. §. 6. de fidei commiss. libert.* id restringit *Freher. lib. 2. parerg. c.* 16. ad empiricos & chirurgos, qui usu magis, quàm arte sibi aliquam medendi facultatem comparârint; & testatur *Clar. Berneggerus in notis ad Svetonii Cæsar. C. 4. n. 2. L. C.* non omnes Romæ Medicinam profitentes servos, sed plures ingenuos fuisse, eos quidem præcipuè, qui ex Græciâ rei & artis faciendæ gratiâ Romam profecti. Tales autem fuisse Magnatibus Romanis amicos, locum *Taciti* 4. *Annal. c. 3.* ostendere: Sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac Medicus Liviæ specie artis frequens secretis, & *Diatrib.* 5. *in Svetonii Cæs. c.* 42. *n. 2.* (quæ eodem Dn. Berneggero Præside, & me Respondente 13. Maij 1662. ad disputandum Argentinæ proposita fuit) iterum inculcatur, errare omnes, qui Romæ medicinam profitentes, servos fuisse putant. Sic enim ipse *Svetonius in August. c* 91. Artorium Medicum Augusti amicum appellat, & apud *Tacitum 6. Annalium* 50. Charides Medicus, Tiberii Cæsaris amicus. Huc usque Waltherus. Sed pergamus.

Quanto odio Judæi in Christianos flagrent, connotavit nonnulla Sebastianus *Munsterus in Cosmographiâ suâ, & quidem libr.* 2. *Editionis Latinæ p. m.* 230. quod anno Christi 1475. Tridenti coriarius quidam ibidem civis amiserit in hebdomadâ sanctâ, quam pœnosam vocant, puerum natum annos duodecim: quem postea in fluviolo Rusch appellato, intra domum Samuelis Judæi inventum post rigidum examen, præciso priapulo & gena dextra, à Judæis, cruci affixum, & corpus forcipe convulsum in fluvium projectum, ibidem invenerunt. *Idem Munsterus ibid. libr.* 3. *p.* 457. Judæos circa annum Christi 1348. fontes infecisse, unde pestis per totam Europam gravissima exorta est, in plurimis locis multos pueros Christianorum necasse, atque monetam corrupisse, refert. Hujus ut & prioris facinoris meminit quoque *Johann.*

Ludov. Gottfridus in histor. chron. quat. Monarch. part. 6. p. 660. & 718. qui itidem *p* 610. recenset, quod Judæi in civitate Sarragoſſa Hiſpaniæ anno Chriſti 1248. puerulum Chriſtianum ſeptennem cruci affixerint & occiderint. Inter medicos, *Philippus Theophraſtus Bombaſt ab Hohenheim Paracelſus Chirurg. magn. part. 1. libr. 5. p. m. 319.* Judæorum impoſturas in medicina depingit, & *ibid. p. 334.* expreſſe ſcribit, ſi Judæi per annum forte unum ſanaverint, certè contrà centum occiderint. *Johannes Langius epiſt. med. lib. 1. epiſt. 1. & lib. 3. epiſt. 6.* inter Pſeudo-Medicos etiam Judæos numerat, *& epiſt. lib. 1. 71.* plurima eorundem flagitia enarrat, atque ſub finem ita ſcribit: Prudenter & ſanctè Pontificum decreta ſub pœna exauctorationis aut excommunicationis caverunt, ne quis Chriſtianus ſacris initiatus, vel laicus cum Judæis convivetur, lavet, aut eos ad infirmos accerſat, aut medicinam ab eis accipiat. *Idem Langius epiſt. lib. 3. epiſt. 6.* Judæos Medicos, Chriſtianos impunè occidere pluribus demonſtrat: Hiſce adjunge hiſtoriam, cujus *Foreſtus Obſerv. Medic. lib. 26. obſ. 1.* mentionem facit de perditiſſimo quodam Judæo Medico impoſtore Lugduni Batavorum & Mechliniæ ob facinora publica flagellato, ejusque præpoſtera curatione. Hinc rectè *Paulus Zacchias Quæſt. Medico-legalium tom. 2. quæſt. 3. edit. in fol. p. 449. ita ſtatuit*: Eum Medicum non ſolùm non errare, ſed maximè ſecundùm Canonum conſtitutionem facere, qui Medicum Judæum aut alium quemque extra Chriſtianam religionem in ſocium renuit; nam acceptando hujusmodi Medicos in ſocios, mortaliter peccat, ut omnes Canoniſtæ docent, & ex Medicis *Codronchus lib. 1. de Chriſtian. med. rat. cap. 37. & Mercurial. lib. 2. errorum popul. cap. 18.* Huc usque *Zacchias.* Quanquam itaque aliud eſt, cum quæritur, an legibus permiſſum ſit, Judæis Doctoris titulum conferre? aliud etiam, cum quæritur, an Chriſtiani bona cum conſcientia Judæos Medicos in morbis conſulere poſſint? & aliud quoque, cum quæritur, an Medicus Chriſtianus cum Medico Judæo conſultare abſque conſcientiæ læſione queat? Nos tamen præmiſſis citatis autoribus eorumque rationibus trutinatis & benè perpenſis, breviter nos expedientes, omnia ſimpliciter negamus. Sed cuncta hæc (ut alios plurimos teſtes perfidiæ Judæorum Medicorum brevitati ſtudentes omittamus) pulchrè in unum congeſſit *Simon Syrenius*, Med Doctor & ejusdem Profeſſor, in Academia Cracovienſi olim celeberrimus *in Appendice Herbarii Polonici*, de Judæorum odio immani &

atroci

atroci ergà Christianos, qui Tractatus dignus est, ut à Proceribus Regni Poloniæ diligenter legatur & benè ponderetur. Sanè si id fieret, impossibile esset, ut Judæi & eorum Medici in Polonia diu subsisterent: quinimò quam ocyssimè inde expellerentur. Quod ut tandem aliquando fiat, faxit DEUS Ter Optimus Maximus, populique sui misereatur.

OBSERVATIO CLII.

D. SIMONIS SCHULTZII,

DE

ANGINA ALBA SIVE NOTHA PERICULOSA.

ANginam tam veteres quàm junioris Medici distingvunt, in exquisitam & notham. Nothæ species, quam nos albam appellamus, febrisque aliquando expers est, & occupat fauces orisque interiora, & provenit à frigida & pituitosa destillatione acri in dictas partes decumbente, cum tumore quodam & gustu ablato: quam Germani den weissen Ansatz solent appellare, quæ interdum contagio non vacat, interdumque febrem lentam conjunctam habet. Vide *Fernelium Patholog. lib.* 5. *cap.* 9. *Dan Sennertum prax.* Med. *lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 24. & *Melch. Sebizium spec.* Medic. *Pract. part.* 2. *cap.* 29. quam *Leonellus Faventium de medend. morb. cap.* 19. ita describit: Phlegmatis in angina notha est multa humiditas in ore, & viscositas, quod si est corruptum & putrefactum, adest vapor salsus: & si non, saltem apparet in ore insipiditas & longa extractio, si est viscosum. Hoc nos affectu tentatas ante plures annos observavimus duas matronas, unam, Nobilissimam conjugem Illustrissimi Dni Nicolai Smogolecki, Castellani Gedanensis & Capitanei Lipinensis &c. alteram honestam Annam Goldneriam, peritissimi & integerrimi Johannis Schultzen, civis & Pharmacopœi Thorunensis maritam: illam non ita pridem in Polonia subitò mortuam, hanc verò ante aliquot annos hydrope extinctam. Periculosus hic morbus utrique fuit, & nisi ambabus adfuisset ferè sine intermissione dies noctesque chirurgus solers Antonius Stattlender cum famulis, malum illud serpendo, & indies incrementum sumendo, utramque strangulasset. Appetitus ad cibum nullos propter ablationem gustus fuit, febris lenta, quem sequebantur continuæ spuitiones

per

per aliquot septimanas ad consumptionem ferè totius musculosi habitus. Harum posterior maritum fermè infecisset, cum uno cum illâ poculo uteretur. Sed per DEI gratiam utraque illarum tandem pristinæ valetudini restituta est. Alteram harum mecum aliquoties visitavit Excellentissimus Dn. D. Segerus, tum temporis collega meus honorandus. Sed ante octodecim annos præterpropter, eodem symptomate cum febre continuâ putridâ luctantem sublatam fuisse viduam honestam Catharinam Halffenfingeriam recordor; Talem anginam albam ut morbum puerorum epidemium olim Antverpiæ in Brabantiâ grassantem describit *Carolus Baitus Medicus Dordracensis in Hollandiâ, vernaculâ ibidem linguâ in Tract. de morb. pueror.* quâ lue plurimi infantes tùm occubuerunt; donec tandem vetula quædam, viridium ranarum ori applicatione usque dum mortuæ deciderint, reliquos ab eâ liberaverit. Hunc ego quidem authorem nunquam vidi, sed in manuscriptis collectaneis atque catalogo quodam librorum Lugduni Batav. typis impresso, citatum legi: cujus unica epistola invenitur *in Miscellaneis Medicis Henrici Smetii lib. 12. n. 20. p. m.* 724. Ejusdem epistolæ quoque mentionem facit *Johann. Anton. von der Linden, in libro de scriptis Medicis.* De angina puerorum ejusque variis differentiis prolixè discurrentem curiosus lector *Sebast. Austrium de morb. pueror. cap. 33. & Nic. Fontanum super illum commentantem* adeat.

OBSERVATIO CLIII.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
MENSTRUO FLUXU POST DUAS SEPTIMANAS ORDINARIE REVERTENTE.

MEnses post quatuordecim elapsos dies ordinariè jam per annum fluxisse, & quidem decenti copia & quantitate in puella plebeja Catharina, conjugi meæ ancillante, ab anno ætatis decimo quarto usque ad decimum quintum & ultra, præsente observatione testor: cujus mater nuper me propterea consuluit: sed quandoquidem illa nihil præter naturam patitur, imò sana est, muniaque sua obit debitè, naturalem hunc motum nullo modo cohibere vel immutare eidem svasi, quanquam tale exemplum me nunquam legisse vel audivisse, recordari possum.

OBSER-

OBSERVATIO CLIV.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE

FOETORE NARIUM SIMILI EI, QUI EX FONTICULO ARTIFICIALI PERCIPITUR.

Qui fonticulos artificiales sive in brachio sive in femore habent, solent plerumque fœtorem quendam ab eis percipere; sed ego aliquoties observavi ejusmodi etiam fœtorem apud plerosque è nare istius lateris, ubi fonticulus est, provenire: quemadmodum id quoq; mihi fonticulum in sinistro brachio gestanti contingit. Causam istius rei indagare rationemque reddere forsàn non ita difficile erit, præsertim si locum illum *Hippocratis libr. 6. de morb. vulgar. sect. 6. Aphor. 1.* connotatum prius benè intellexerimus, qui ita sonat: *Corpus humanum tam foras quam intro spirabile est.* Distinctum hoc esse symptoma ab ulcere illo narium putrido & graveolente, quod ozæna à Medicis dicitur, quilibet videt: nam hoc etiam absque fonticulo reperitur, & causam ulcus narium agnoscit, de quo Practici consulantur.

OBSERVATIO CLV.

D. SIMONIS SCHULTZII,

DE

ARTHRITIDE FERE ANNUA TANDEM VOMITIBUS ET DIARRHOEA SOLUTA.

Civis quidam nostras, pistor, David Rümpler, septuagenario major, robustus aliàs, & huc usque vix aliquo morbo tentatus anno 1674. 16. Julii, corripitur arthritide dextri femoris à coxendice usque ad extremum pedem & digitos, nihil proficientibus purgantibus medicamentis per epicrasin adhibitis, neque scarificationibus, donec tandem, post sudores naturæ motu excitatos, sensim dolores remiserunt, aut potius omisso crure dextro, lævum occuparunt, sed præscripto sequente electuario sudorifero blando, decimâ Decembris ejusdem anni in totum evanuerunt. Electuarium sudoriferum tale erat: Rec. *Rob. juniperi, è succo sambuci cum sacch.* ā. ℥ij. *syr. sambucini* ℥i. M. pro aliquot dosibus. Anno Christi 1675. 13. Martii,

denuò dolores reverſi ſunt, & brachium dextri lateris usque ad extremitatem manus occuparunt, graviores prioribus in femore. Inſtitutæ ſunt purgationes aliquoties cum euphoriâ, præſertim hoc electuario: Rec. *Elect. laxat. extr. fol. ſenn. noſtr.* ℥vj. D. S. Lapir Confectlein auff 1. mahl. Dein ſcarificationes & ſanguiſugæ applicitæ, plurimum ſanguinis feroſi extraxerunt: ſed tamen dolorem omnem haud ſuſtulerunt. Sudabat poſtmodùm in Laconico per plures dies, aſſumpto prius electuario ſudorifero ſuperius deſcripto, cum euphoriâ: ſed parùm levaminis ſenſit, neque etiam emplaſtra, neque inunctiones anodynæ, neque ſuffumigationes ex blandioribus articulos roborantibus & materiam diſcutientibus aliquid profuerunt; quin dolores nonnihil remittentes, poſtliminiò reverſi fuerunt, exortis interim hinc inde in ſuperficie corporis ſeu cutis puſtulis pruriginoſis. Tandem 13. Junii noctu poſt vomitus bilioſos plurimos naturæ vi promotos biduanos atque diarrhœam triduanam, non absque virium proſtratione, arthritis illa diuturna planè deſiit. Sed ſtupor quidam digitorum, manus utriusque & præſertim minimorum iſta conſeqvutus, adhibito aliquoties vapore decoctionis formicarum cum myrmecio, tandemque applicato emplaſtro noſtro miraculoſo, etiam ſublatus eſt, naturâ priſtinum robur & motum manuum acquirente.

OBSERVATIO CLVI.

D. SIMONIS SCHULTZII,

DE

SPHACELO INTERNO FUNDI UTERI IN NANA.

ANno 1675, Dominicâ S. S. Trinitati ſacrâ, venit Thorunium Illuſtriſſima Comitiſſa à Donhoff/ Illuſtriſſimi Dni Johannis Ignatii Bonkovvski, Palatini Pomeraniæ, Regnique Poloniæ Senatoris, Skarzevienſis, Koſcierinenſis &c. Capitanei, Terrarumque Pruſſiæ Theſaurarii, conjux, cum nanâ Ruſſâ triginta ſex annos natâ, jam per octiduum nephriticis doloribus graviſſimè divexatâ: quibus tandem paulùm ſopitis, novum ſymptoma ſupervenit, morbilli purpurati cum febre continuâ, qui cum alterâ die mox evanuiſſent naturâ jam à doloribus nephriticis ſummè debilitatâ ſuccumbente, accedentibus leviſſimis convulſionibus, eadem vitam cum morte commutavit. A morte ipſius Illuſtriſſima Domina cauſam ejusdem mortis repentinæ indagare cupiens, ut ſectio cadaveris inſtitueretur,

rogat

rogat: quam etiam me præsente peregit Georgius Grunack, chirurgus; ubi tum cor inventum est flaccidum, sine ulla pinguedine, & absque humore in capsula ejus, pulmones lividi, ren sinister itidem omni pinvedine destituebatur, in quo calculus phaseoli magnitudine repertus est, ren autem dexter naturali similis fuit, in quo etiam calculus, qualis in sinistro, sed minor latitabat, in ureteribus nihil; vesica ab urina vacua, uteri autem fundus tàm ab extra, quàm ab intra sphacelo correptus fuit: qui etiam absque omni dubio tam repentinæ mortis causa erat. Hoc in casu etiam epigenesis *Steph. Roderici Castr.* pulchrè confirmatur, de qua eundem *vid. Opusc. quæ ex quibus.*

OBSERVATIO CLVII.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE

MAGNA CARNEA EXCRESCENTIA E SCAPULA SINISTRA PROPENDENTE ABSCISSA ET FELICITER CURATA.

NObilis quædam virgo Polona, cum jam per aliquot annos excrescentiam carnosam, fungum repræsentantem in scapula sinistra fovisset, eamque indies excrescere animadvertisset, ponderis illius pertæsa anno 1675. tempore vernali in ipso Majo Thorunium venit, opemque meam implorat, cui ego nihil aliud, quàm abscissionem excrescentiæ illius svadere potui. Illa annuens, Georgium Grunack, chirurgum, ad se accersere jubet, eidemque carneam illam molem (cujus crassities circa principium seu originem trium digitorum erat) monstrat: qui etiam, Christo auspice, curam aggressus, filo serico contorto excrescentiam constringendo tamdiu tractavit, emplastris etiam idoneis circumpositis, ne aliquid mali emergeret, cavit, ut tandem trium septimanarum & quatuor dierum spatio â corpore feliciter separata & novâ cute superinductâ, virgo à molesto illo sacco liberata fuerit. Huic aliquoties ob dolores gravissimos hoc opiatum à me præscriptum fuit. Rec. *sir. papaverini* ℥j. *laud. opiat. opt. dissol.* gr. iij. *aqu. cinam cord.* ℥ß. M. Ponderavit excrescentia illa tres libras civiles & duodecim uncias. Varias mirabiles carneas excrescentias (sed huic pondere inæquales) describit *Marcellus Donatus lib. 5. med. hist. mirab. cap. 3.*

OBSERVATIO CLVIII.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
NULLO PANIS ESU, EX PRAVA CONSVETUDINE ORTO.

OPtimè sanè *Melchior Sebizius de aliment. facultat. lib 2. cap.* 115. panem præcipuum hominis alimentum appellat: qui *Nonio* à pascendo: *Isidoro* à πᾶν, quod omne significat, *libr.* 20. *orig. c.* 2. dictus: idque propterea quoniam cum omni cibo apponitur: vel quod omne animal illum appetat. Solus panis & per se, & cum omnibus ferè alimentis comeditur. Sine pane nulla esca placet. Multi à caseo, vino, lacte, ovis, piscibus & aliis rebus abhorrent, à pane, quod sciamus, nemo hominum, dummodò secundâ utatur valetudine. Hæc ille. Sed *Iohannes Bruyerinus de re cibariâ libr.* 6. *c.* 1. de pane connotavit, quod noverit quendam eximiæ literaturæ virum, cui hoc peculiare fuit, multis carnibus, parcissimo autem pane vesci: unde illi in pœnam contigit fœtidissimus oris halitus. *Idem ibid.* scribit, quod sibi tantum unam puellam videre contigerit in Belgicâ Galliâ Chauniaci, annorum sedecim, quæ nunquam panem degustârat, nullosque alios cibos, præter serum lactis, adeoque ab illis abhorrebat, ut vel panis momento in serum injecto, nauseâ tentaretur: Hucusque *Bruyerinus.* His nos subjungimus historiam conjugis Christophori Seidlers, Civis & Zythopeptæ Thorunensis, vicini mei, quæ ex malâ consvetudine panem solum rarò comedit, cum butyro rarissimè, cum carnibus vel obsoniis nunquam: est tamen mulier sana, evsarca, nondum trigesimum annum transgressa, ac aliquot liberorum mater. Consvetudinem hanc à primâ statim ætate contraxit, & adhuc dum strictè observat, imò se aliter facere non posse affirmat; ita ut jam consvetudo ista prava in naturam abierit. Maritus ejus affirmat, eam per totum vitæ curriculum panis pro decem grossis Polonicis vix comedisse.

OBSERVATIO CLIX.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
MENSTRUIS NUNQUAM FLUENTIBUS.

Recen-

REcenSet experientiſſimus ille Medico-Chirurgus Bernenſis *Gvil. Fabricius Hildanus libr. Obſerv. Centur.* 5. *Obſerv.* 41. hiſtoriam miram, de menſibus perpetuò ſine noxa retentis, ſeu de matronâ quâdam quadragenariâ, (cujus nomen ibi videatur) quæ nunquam fluxu menſtruali laboravit, tum durante virginitate, tum etiam in ipſo matrimonio: in quo tamen ſeptem liberos peperit, & quidem feliciter, quorum major pars adhuc in vivis eſt, & athleticè optimèque valet. In puerperio lochia quoq; exigua fuiſſe affirmat: &c. Nos autem præſente caſu exhibemus juvenculam quandam viginti ſeptem annos natam, Annam, honeſti Johannis Steiners pellionis, non ita pridem civis Poſnanienſis, jam verò Thorunenſis, conjugem, quæ hucuſq; nunquam, tàm in virginitate, quàm in matrimonio, menſes paſſa eſt, mulier egregiæ formæ, ſana atque vegeta: ſed nunquam etiam prolem habuit, & quamvis diverſis medicamentis, Poſnaniæ degens, ad promovenda menſtrua, uſa fuerit, omnia tamen, fruſtrà adhibita ſunt. Quid ulterius cum ipſa agetur, Deo vitam & valetudinem conſervante, in poſterum ſignificabimus.

OBSERVATIO CLX.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE

POLYPO VIVO E VESICA URINARIA CUM URINA EXCRETO.

DOrothea Johannis Kampffers molendinorum Thorunenſium exactoris conjux, ſex hebdomadarum ſpatio, poſt tertium partum prolis in utero extinctæ, ſentiens magnam ventris cum dolore circa pubem inflationem, urinæque retentionem, tandem cum impetu quodam urinam excernens, animadvertit aliquid duri cum urinâ in matulam proſiliiſſe, quod exemptum repræſentavit corculum pulli gallinacei, magnitudine extremi digiti indicis articuli, in ſuperiore extremitate latiore friabilem lapidem, in inferiore verò anguſtiore carneam ſubſtantiam, exſanguem tamen exhibens, ſeſeque movens, hinc vitam ei inſitam indicans: quod obſtetrix veſicæ murem appellavit, in ignemque projicere juſſit. Nos autem polypi nomine ad ſimilitudinem piſciculi exſanguis marini

insignire voluimus; à cujus excretione dolor & inflatio infimi ventris statim cessarunt. Non itaque solùm in mari, sed etiam in vesicâ hominis urinariâ exsanguia generantur: ut etiam ab inde homo microcosmus de jure nominari possit. Confer cum his *Franc. Tidicæum*, Clarissimum nostrum quondam Antecessorem *in Microcosmo suo* diffusè & prolixè talia pertractantem. Quod autem non solùm calculi, sed etiam vermes & alia similia animalcula in vesicâ generentur, memini mirum vel incredibile videatur: nam ante nos id observarunt plurimi. *Aloysius Mundanella dialog. 14.* fœminam quandam maximam urinæ difficultatem & dolorem in mingendo vehementem patientem, tandem aliquot vermes sex digitos longos, vivos & rubentes eminxisse scribit. Sic *Dodonæus in annot. ad cap. 77. Ant. Benivenii Observ. mirand.* viro cuidam vermem in vesicâ multis modis molestum, denique per penem sponte egressum fuisse refert. Ita *Scholiographi Hollerii ad cap. 50. libr. 1. de morb. intern.* cum arenulis & calculis duos vermiculos capite acuto corniculato, ventre & dorso testulâ inductis excretos observarunt. Idem *Cardanus comment. ad aphor. 76. sect. 4. Hippocr.* & *Rondeletius in hist. Aquatil. cap. de cancr. fluviat.* testantur. *Argenterius de cognos morb.* se draconem alatum cum urinâ redditum vidisse recenset. Sic *Ambr. Paræus Oper. med. Chir. libr. 19. cap. 3.* scriptum reliquit, Ludov. Duretum post longum morbum, animal vivum, colore rubrum, cætera millepedi simile urinâ excrevisse. Hisce adjunge *scholion Observ. 50. Anni primi Miscell. Curios. med. Phys. Acad. Nat. Germ. Curios.* ut alios plures brevitati studens reticeam, suis locis reperiendos. De Polyporum naturâ & generibus tractat *Plinius Natural. histor. lib. 9. cap. 28. & 29. Item lib. 32. cap. 11.*

OBSERVATIO CLXI.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
FEBRE TERTIANA IN SENE POST PRIMAM ET SECUNDAM RECIDIVAM PROFLIGATA, POST TERTIAM VERO LETHALI.

PRudenter sanè *Hollerius commentario super Aphorismum 12. Hippocraticum sect. 2.* hæc verba annotavit: Post crisin, hoc est, excretionem criticam, tum relicta materia tum dispositio morbosa recidivas facere consveverunt: nisi antevertamus purgatione vel

vel alteratione. Accidit tamen aliquando, etiamsi nulla subsit materia, nulla morbosa qualitas, ut fiat recidiva ob intemperantem victum ægri, quum scilicet plura sumpsit quàm conficere possit. Recidit etiam in morbum sæpè convalescens propter externas injurias. Patet hinc, Aphorismum duodecimum sectionis citatæ secundæ, qui ita sonat: *quæ in morbis post crisin relinquuntur, recidivas facere consueverunt*; non simpliciter, sed cum certo respectu intelligendum esse, id quod etiam præsens casus demonstrat. Cum anno Christi 1668. Illustrissimus & Reverendissimus Dn. Johannes Rozycki, Episcopus Chelmensis, Abbas Mogilnensis, & S. R. M. Poloniæ Thesaurarius, Regnique Poloniæ Senator, septuagenario major, Thorunii, ut Commissarius Regius degens, 11. Augusti in febrim tertianam exquisitam incidisset, ab eâque adhuc in isto mense per medicamenta opportunè eidem à Nobis exhibita, fortunante Deo, scilicet purgationem lenem, venæ sectionem, & pulverem nostrum antifebrilem ab eâdem liberatus esset; accidit, ut ex pravo victu, nempe fructuum horariorum atque vini cerasitis nimio usu die 2. Septembr. recidivam passus fuerit: quâ iterum benedicente summo Archiatro, beneficio pilularum nostrarum antifebrilium feliciter profligatâ, hinc sanus usque ad Abbatiam Mogilnensem novem milliaribus Thorunio distantem profectus sit, ibidemque usque ad anni 1669. ultimos dies mensis Aprilis satis vegetus, in istâ præsertim ætate, permansit: ubi tum ex nimio esu lactis coagulati & cremoris ejusdem secundâ vice in febrim tertianam recidit, ad quem ego die 2. Maij veniens, post secundum paroxysmum, lene evacuans porrexi, subsequuto autem tertio paroxysmo venam dextri brachii medianam incidere jussi, tum ventriculo corroborantibus prospiciens febrem denuò, Deo propitio, abegi. Sed cum ille ex lacticiniis, quibus admodum delectabatur, accedente ira, tertia vice in fine Junii, recidivam incurrisset, tertiâ Julii, viribus prostratis, vitam cum morte commutavit, ad quem ego 4. Julii ejusdem Mensis vocatus accedens, cadaver, cum permissione domesticorum aperire jussi, in quo omnia secundùm naturam inventa fuêre, præter peritonæum & mensenterium atque pancreas, quæ singula nonnihil corrupta & saniosa deprehendebantur, hepar etiam durius, quàm secundùm naturam esse consvevit, erat. Apparet inde, quam vera fuerit hoc in casu

Clarissi m

Clarissimi Hollerii superius citata annotatio. De recidivæ febris præcognitione vide sis *Zacutum Lusitanum de PP. M. lib. 4. hist. 21.*

OBSERVATIO CLXII.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

FELIS AMORE ERGA HOMINEM.

DE felibus scribunt naturalium rerum scriptores, illas amare domos, in quibus educantur, redireque ad eas, licet dominos novos accipiant ædificia; contra canes amare dominos, non domos: quod etiam experientia quotidiana testatur. Nos autem contrarium demonstrabimus sequenti notabili exemplo. Ante plures annos educabatur Thorunii, in ædibus Excellentissimi atque plurimum Reverendi Domini Petri Czimermanni, SS. Theol. Licentiati, ejusdemque in Gymnasio patrio P. P. & Rectoris celeberrimi, Templique Mariani Pastoris & Eccles. Senioris olim meritissimi, soceri mei colendissimi, felis, quæ cum filiolo ejus Johanne à primâ statim ætate magnam familiaritatem & amicitiam colebat, & quidem tantam, quæ nisi morte dissolvi non potuit. Scilicet cum puellus ille ægrotare cœpit, felis semper lecto assidebat lectulo, mortuo etiam eo, individua cadaveris erat socia, usque dum funus domo efferretur: nam tum felis tristis angulum quendam ædium intrans ibidem mortua inventa est. Cujus rei insolitæ memoriæ ergò piè defunctus Theologus, felem istam imagini puelli demortui appingi curavit, quæ adhuc hodiè apud hæredes asservatur.

OBSERVATIO CLXIII.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE

APOSTEMATE COLLI ET PHTHISI CONSUMMATA.

FRidericus Walther/ Bibliopegus & ædituus Marianus Thorunensis, septuagenario propinquus à multis annis phthisi laborans, afficitur tandem etiam apostemate ingenti suprà claviculam dextram in collo, quod quamvis diu Antonius Stattlender, Chirurgus, deligasset & tractasset, inhibere tamen haud potuit, quin ab acrimoniâ humorum, carne musculosâ planè consumptâ, ulcus depascens

depascens usque in cavitatem pectoris pertingeret, ubi tum in screatu puris, motus loborum pulmonis dextræ partis, per illud foramen conspiciebatur: tantæ enim magnitudinis erat, ut Chirurgus pugnum in illud immittere potuerit. Quamvis itaque medicamenta pectoralia appropriata diligenter adhibita fuerint, viribus tamen dejectis bonus ille vir naturæ debitum persolvit.

OBSERVATIO CLXIV.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE

TUMORE PECTORIS IN APOSTEMA CONVERSO, A MORBO COMITIALI.

NObilis, spectabilis & consultissimus Dn. Petrus Czimmermann, S. R. M. Polon. & civitatis Thorunensis à Secretis, posteà Scabinus veteris Civitatis designatus, ac Juris Consultus acutissimus, affinis meus charissimus, cum post exantlatos studiorum & peregrinationum varios labores, in Aulis tàm Electorali Brandeburgicâ, quàm Regiis Poloniæ, ut Warsaviæ, Cracoviæ, Leopoli, Secretarius Residens Urbis Patriæ per plures annos esset, atque ex vita (qualis in Aulis esse solet) inordinatâ, morbo comitiali gravissimo contracto, valdè infestaretur; animadvertit tandem tumorem pugni majoris magnitudine ex motu illo convulsivo magno supra os pectoris sternum dictum congestum : Hunc Chirurgus Antonius Stattlender emplastris discutientibus abigere volens nihil effecit; sed materia ibidem suppurata in ulcus abiit. Verum isto postmodum consolidato, viribus autem à morbo indies magis deficientibus, natura succubuit, virque ille vitâ longiore dignus, præproperè, eheu! occubuit. Cum autem post tumoris illius congestionem morbus epilepticus primùm mitior factus fuerit, denique etiam in totum cessaverit, non frustrà suspicamur, materiam epilepsiam causantem illuc à naturâ propulsam fuisse, quæ translatio à *Stephano Roderico Castrensi in opusculo quæ ex quibus*, metaptosis dicitur, de quâ Autorem citato loco *libr.* 1, *cap.* 2. & 3. evolve.

OBSERVATIO CLXV.
D. SIMONIS SCHULTZII,

DE

PARACENTESI IN ASCITICO FRUSTRA ADHIBITA.

NObilis Andreas Esken, Hæreditarius in Kutschvvall, annorum 46. præterpropter, cum hucusque extra civitatem, utut opulentus, cœlebs admodum parcè & frugaliter vixisset, ex vitio diætæ primum ventriculi dolorem cum siti, dein hypochondriorum intumescentiam percepit, quæ tandem hydrops ascites sequebatur. Hic anno 1660. in autumno Thorunium venit, morbumque suum mihi exposuit: cujus signa erant, urina tincta & rubicunda, sitis magna, appetitus cibi nullus, constipatio alvina, urinæ retentio frequens, noctes insomnes, tumor totius infimi ventris & hypochondriorum intensus, atrophia artuum superiorum & inferiorum, viriumque maxima debilitas. Institutæ fuerunt purgationes per epicrasin, adhibita tàm externa quàm interna alterantia & corroborantia, sed sine ullo fructu. Tum anno 1661. alterâ à Circumcisione Christi Salvatoris die, adjuncto mihi jam piè defuncto Dn. D. Meisnero instituta est paracentesis sub ipso umbilico versus partem sinistram, naturâ ipsâ per vesiculam umbilicalem viam commonstrante, per Antonium Stattlender Chirurgum. Talem paracentesin *Galenus libr.* 14. *Meth. med. cap.* 13. & *comment. super* Aphor. *Hippocr.* 27. *sect.* 6. hydropicis & herniosis adhiberi svadet. *Paulus* autem non omnibus aquæ intercutis generibus, sed ascitæ tantùm convenire scripsit: ejusque tres in universum differentias statuit: unam sectiones factâ directè sub umbilico tribus digitis interpositis, si ab intestinis origo fuerit: aliam etiam factâ à sinisteriore umbilici parte, si primariò jecoris affectui malum feratur acceptrm: tertiam autem à dextrâ ejusdem parte, si à liene vitium traxerit originem. Scapello ejusmodi sectio fieri debet, aut aculeo intra peritonæum adacto, deinde in foramen immissa ænea fistulâ, per eam humor sensim effundendus pro cujusque virium ratione, cavendo ubique subitam cumulatamque vacuationem. Hucusque verba *Pauli*. Idem nos quoque hâc in parte observavimus, factâ incisione, ut superius dictum, impositoque canaliculo argenteo eduximus aquam in abdomine stagnantem pedeten-

tim

tim à semilibrâ incipiendo, tum ad libram devenimus, quotidiè bis, aliquando etiam ter, pro re natâ, ad multarum usque librarum quantitatem. Aqua educta fuit citrini coloris, odorisque fœtidi, videbaturque sibi patiens aliquantum vegetior. Verùm omnia in pristino statu permanebant, indicantia scilicet dyscrasiam & corruptionem viscerum infimi ventris, quam anatome corporis extincti posteà aperuit. Quare vires indies debiliores, ægrotum, ut animæ curam adhiberet, admonuerunt; quæ cum peracta ille ultimis Januarii diebus placidè animam Salvatori suo reddidit. A morte cadavere aperto, nullum viscus sanum & integrum repertum est, peritonæum, mesenterium, pancreas, singula consumpta, intestina livida, hepatis & lienis aliquot frustula tantùm veluti lacerata dependebant, renes vix conspicui, uno verbo: & ante mortem piè defunctus vivum cadaver erat, apud quem post mortem astantes præ fœtore maximo non diu subsistere potuerunt.

OBSERVATIO CLXVI.

D. SIMONIS SCHULTZII,

DE CICONIÆ VINDICTA.

De ciconiarum pietate, castitate, prudentiâ, gratitudine & societate cum hominibus multa observârunt & annotârunt rerum naturalium scriptores, sed de vindictâ illarum me hucusque nihil invenire potuisse fateor. Hanc ego observavi in exterâ ciconiâ erga meam in horto educatam ante aliquot annos. Missi mihi sunt è vicinâ Cujaviâ bini ciconiarum pulli, mas & fœmina, qui in horto meo extra urbem auff der Mockerau educati ibidem quasi domestici fuére; sed fœmina mox in fluviolo die Stadtbach dicto, hortum ex unâ parte perfluente, ex incuriâ submersa est, mare remanente, qui jam usque in tertium annum cum anseribus & anatibus domesticis familiariter vixit. Intereà accidit, ut, cum peregrinæ ciconiæ, vere adventantes, ciconiam meam in horto animadverterint, aliquando peregrina advolans & glotterans, domesticam meam adorta est, cum eâque vehementer pugnare cœpit, tamdiu, ut peregina domesticæ meæ crus fregerit, & nisi opportunè vir in horto habitans advenisset, ciconia mea succubuisset, quæ postmodum post

ſanationem cruris circumſpectior fuit. Videns enim peregrinas ciconias æſtate volantes, ſe ſemper abſcondit, incola horti teſte. Certamen illud ex vindictæ cupiditate ortum fuiſſe, quod peregrina ciconia meam intellexerit horti domeſticam factam, conſortium aliarum reliquiſſe, extra controverſiam eſt; nam huic fere ſimile quid legitur apud *Wolffgang. Franzium in animal. hiſtor. ſacra part. 2. cap.* 8. ex *Phyſica Neandri de ciconiis Ilfeldienſibus*, ad quem autorem, brevitati ſtudens, curioſum Lectorem remitto.

OBSERVATIO CLXVII.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
SUDORE QUODAM NATURALI ET SALUTARI.

QUemadmodum pluribus hominibus certis temporibus diarrhœa ſalutaris eſſe ſolet, ita etiam ſudores nonnullis familiares, & ſanitati proficuos aliquando fuiſſe, certum eſt. Vivit inter noſtrates honeſtus Johannes Reichart, civis & Sabajarius, qui mihi nuper bonâ fide retulit, ſibi ſudorem ſingulis ferè ſeptimanis ita eſſe familiarem, adeoque proficuum, ut eundem pro ſigno valetudinis haberet; vice verſâ, quando ſudor ille ſiſtitur, ſe ſtatim varia corporis incommoda pati: quæ etiam anno 1675. hyeme expertus eſt, ubi bonus ille vir ex ſuppreſſione iſtius ſudoris graviter decumbebat, mihique cauſam morbi detegebat, ſcilicet ſudoris retentionem, cui ego diaphoreticis remediis, præmiſſis tamen præmittendis, naturam juvare ſtudui, atque hâc in parte bono cum ſucceſſu naturæ imitator exſtiti. De ſudore ſeptem annorum, & quidem hæreditario tractat *Tulpius Obſerv. libr. 3. cap. 42.*

OBSERVATIO CLXVIII.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
EXCRESCENTIA UTERI ULCEROSA, CUM SPHACELO, LETHALI.

HOneſta Matrona multorum liberorum mater, Urſula Schadin, piè defuncti Balthaſaris Lemcken, Civis & Negotiatoris Thorunenſis relicta vidua, cum jam ante aliquot menſes (poſt terminum menſtrui fluxus à naturâ præfinitum, diu exa-

exactum) menstrua inordinatè fluere percepisset, cum mgno dorsi, coxendicum & adjacentium partium dolore; inde quotidiè debilior facta, meam implorat opem. Cui ego ex lege artis nostræ diversa ad id facientia præscribere cœpi remedia, continuante filum, me decumbente, Dn. D. Johanne Blumickio: verùm illa nullum inde levamen sentiens, eorum pertæsa, indies pejora symptomata cum atrophiâ totius corporis experta est. Interim menses pedetentim primò, posteà etiam in totum cessârunt fluere: nihilominus eadem semper languidior facta, & lecto affixa permanens, tandemque febre cum gravissimo horrore partium extremarum per aliquot horas, & calore intensissimo longiore, inordinatè aliquoties correpta, per aliquot septimanas, sine omni cibo, solo potu cerevisiæ secundariæ contenta, vitam prorogavit, vomitibus denique primùm biliosis, mox atrabilariis succedentibus. Sed spatio octo dierum ante mortem, menses cum gravissimis pubis doloribus iterum rediêre, post quorum mox remissionem tumor è vulva prominens rubicundus & ulcerosus apparebat, purulentâ & fœtidâ saburrâ ex eo indesinenter fluente. Tum misera illa die 21. Augusti anni 1675. post levissimas convulsiones piam animam Salvatori suo placidè reddidit. A morte autem partes inferiores circa pudenda & nates, anticæ & posticæ, à sphacelo nigerrimæ & corruptæ conspiciebantur, unâ cum tumore propendente.

OBSERVATIO CLXIX.
D. SIMONIS SCHULTZII,
DE
VIVACITATE ANSERUM.

DE ansere scribit tàm genere quàm doctrina Illustrissimus *Franciscus Baconus, Baro Verulamius, vice-Comes S. Albani, Regnique Angliæ quondam Cancellarius in Histor. vitæ & mort. sub Tit. longævit. & brevit. vit. in animal. Aphor.* 27. *p. m.* 84. ita: Anser quoque ex longævis; licet herbâ & id genus pabulo nutriatur; maximè autem sylvestris; adeò ut in proverbium apud Germanos abierit; magis senex, quàm anser nivalis. Certum est ex rerum naturalium scriptoribus, vitam anseres in multos producere annos. Ducentos annos excessisse testatur *Gratarolus*: Sed ne juranti quidem se crediturum scribit *Aldrovandus*, ut refert *Jonstonus in Thaumatogr.*

Natur. claſſ. 6. de admirand. avium, cap. 5. de anſ. Hic ipſe in *Hiſtoriâ Natur. de avib. lib. 4. tit. 2. cap. 2.* hæc verba conſignavit: Anſer ſexaginta annos attingit, ſi Alberto credendum. Non dediſſet fidem *Cardanus*, niſi carduelem tredecim annis in caveâ educatam ſciviſſet. *Melch. Sebizius de aliment. facult. lib. 3. p.* 831. paulo aliter verba Grataroli recenſet, ſcil. ad hunc modum: vivunt anſeres ſatis diu, præſertim feri. Gvil. Gratarolus ſcribit, vivere annos viginti: (niſi ibi aut hic ſphalma typographicum commiſſum ſit) *Albertus Magnus*, ſexaginta ſpiritum ducere refert; quod videtur ἄπιςον. Hiſce nos ſubnectimus hiſtoriam veriſſimam de anſere cygnei coloris viginti annorum & quidem mare, qui hodie adhuc nutritur in ædibus honeſtiſſimæ Matronæ ANNÆ MERCKNERIÆ, Nobiliſſimi & Ampliſſimi quondam Conſulis Thorunenſis Conſtantini Preuſſen, Juris Conſulti Doctiſſimi, Amici mei, dum viveret, integerrimi, relictæ viduæ, qui hucusque ſatis vegetus agmen aliorum anſerum, qui ibidem aluntur, ſemper ducit, & cum fœminis coit. Hic raritatis gratiâ, ac ob magnitudinem, quâ alios ſuperat, & albedinem inſignem à viduâ illâ tàm diu aſſervatur: qui ſine dubio adhuc plures annos ſupervicturus eſt. Quod autem ſuprà citatus *Fr. Baconus l. cit. Aph. 32.* de gallo gallinaceo, eundem brevis eſſe ævi, ſcribit; id refutatur exemplo galli in ædibus præfatæ viduæ ad annos quindeim enutriti, ſed nuper ſuffurati: niſi hoc unicum exemplum pro ſingulari habendum ſit, id quod ego Curioſis ulterius indagandum relinquo.

OBSERVATIO CLXX.
D. SIMONIS SCHULTZII
DE
SUDORE PINGVI ET OLEAGINOSO.

DEſcribit *Dn. D. Valentinus Andreas Mœllenbroccius Miſcell. Curioſ. Germ. anni II. Obſerv. 19.* ſudorem pingvem & oleoſum in nobiliſſimâ quadam virgine jam maritali à ſe obſervatum: talem nos quoque in virgine quâdam juvenculâ Thorunenſi ferè per annum durantem deprehendimus, cujus in antecedentibus obſervatione quâdam de metaſtaſi humoris per vias occultas &c. mentio facta eſt, hiſce verbis: Dorothea Kriegeria virgo annorum ſeptendecim, conſtitutionis corporis gracilioris, complexionis phleg-

maticæ incidit anno 1675. hyemali tempore in pleuritidem spuriam sinistri lateris &c. cui jam à longo tempore singulis noctibus gravis fuit sudor oleaginosus, fœtidus, coloris crocei, tàm in capite, quàm in dorso, etiam indusium tingens, & pingvedine quâdam inficiens. Quod rarissimum symptoma, & ceu rectè præfatus nobilissimus Medicus statuit, vix à quopiam huc usque observatum, hic singulariter curioso Lectori exhibere volui, cui non ingratum futurum confido.

OBSERVATIO CLXXI.
D. SIMONIS SCHULTZII.
DE
EUPORISTIS QUIBUSDAM SOMNUM CONCILIANTIBUS, HAUT VULGARIBUS.

RETulerunt mihi bonâ fide Religiosi quidam Patres Soc. Jes. ut & Monachi & Moniales, se secretum quoddam paucissimis notum, in cœnobiis suis pro conciliando somno, in usu habere, & quidem infallibile, quod mihi tandem post multas preces vix communicarunt, scilicet officula auditus procelli, sive assati, sive cocti, exempta, exsiccata & in pulverem redacta, interneque assumpta: quarum experimentum quilibet sine noxâ pro re natâ facere poterit. Mulierculæ quædam nostrates aures leporinas abscissas, & pulvinari suppositas somnum conciliare credunt: aliæ linteola sangvine leporino pone aures educto intincta ad id adhibent. Item infusum ligni cynosbati, atque liquorem vermiculorum in ejusdem spongiis enatorum. Aliæ unguen illud, seu unctuosum crassamentum, quod rotis molaribus adglutinatur, (das sich den Mühlrädern / als eine graue Salb ansetzet /) temporibus illitum ad inducendum somnum deprædicant. Quædam lac suillum tàm potum quàm cum linteis temporibus & fronti tepidè applicatum idem præstare pro certo experimento habent, quod etiam plebejis nostratibus familiarissimum est. Nonnullæ denique commendant calvariam sive cranium humanum, pulvinari, sed inscio ægro (forsan ob terrorem) subditum. Succus quoque nasturtii aquatici cum aceto naribus illitus immoderatas vigilias arcet. Pinguedo itidem lucii piscis eodem modo adhibita excellit. Plurima alia, sed superstitiosa, ut & trita, omnibusque nota lubens reticeo. Unicum tantùm addo ex *Johannis Langii epist. Medic. libr. 3. cap.*

6. p. m.

6. p. m. 910. ad somnum conciliandum, reliquis nil juvantibus, scil. pulverem ex foliis & sem. hyoscyami albi sacculo capiti dormituri, vel pulvinari suppositum. *Idem* aliquando sanguisugas post aures accommodavit, & remotis eis granum unum opii vulneribus imponi felici successu solitus est, ut loco citato legi potest.

OBSERVATIO CLXXII.

D. SIMONIS SCHULTZII,

DE

SYMPTOMATICIS EXCRETIONIBUS, PER OMNIA FERE CORPORIS EMUNCTORIA, DIVERSIMODE FACTIS, FUNESTUM MORBI EXITUM INDICANTIBUS, ET NON NISI MORTE SUBLATIS.

PUellus quinquennis Viri pl. Reverendi Johannis Gyzicki ad D. Mariæ Thorunii Concionatoris Polonici filiolus unicus, ante sesquiannum febre continuâ correptus, primum diarrhœâ continuâ, dein vomitibus vexabatur, quibus utrinque subsistentibus, maculæ purpureæ hinc inde cum pruritu quodam erumpebant: sed mox iis evanescentibus, sudore copioso resolutivo molestabatur: quo etiam cessante, hæmorrhagiam narium per aliquot dies passus est: tum faucium & gingivarum putredine, cum fœtore & ulcere angebatur. Ista subsequebatur ex aure sinistrâ ichor quidam ad mortem usque fluens gravis fœtoris: tandem urina sanguinolenta: quibus omnibus ultima rerum linea, mors, colophonem imposuit. Causam tàm febris continuæ, quàm concomitantium symptomatum magnam humorum putredinem non sine ratione accusavimus.

(*Ad Collectores Ephemerid. Ann.* 1675. 14. *mense Novembr.*)

OBSERVATIO CLXXIII.

D. SIMONIS SCHULTZII,

DE

DOLORE CAPITIS PERIODICO ET VARIO.

NOvi virum quendam è præcipuis civitatis nostræ annorum LIII. qui ante plures annos patiebatur dolorem capitis periodicum gravissimum, singulis diebus recurrentem, & per tres horas durantem, instar febris reciprocantis semper postponen-


*
Globulus plumbe,
arctissimè inhærens

ponentem: qui tandem post quintum paroxysmum brevissimum desiit, nihil neque purgante medicamento, neque venæ sectione proficientibus. Symptoma hoc post aliquot annos revertebatur, sed tantùm tertiâ die, verùm longiore paroxysmo, eademque horâ, scilicet septimâ matutinâ, sævitiam suam exserebat: sexque mensium ferè spatio, frustra tàm internis quàm externis medicamentis adhibitis, durabat. Tertiâ denique vice idem malum postliminiò quatuor annorum curriculo exacto, quolibet octiduo, sed anticipando, recurrebat; atque tum per DEI gratiam, præmissâ purgatione vernali, ac venæ sectione institutâ, fonticuloque in sinistro cubito adhibito planè cessavit, & hucusque post aliquot annorum decursum nondum rediit. De capitis dolore in autumno sæpè recurrente vide *Forestum lib. 6. Observ.* 24. Item *Poterium Observ. & curat. Medic. cent. 3. c. 3. & 4. Tulpium lib. 1. cap.* 13. De hemicraniâ periodicâ vide *observ. celeberrimi Th. Bartholini in Miscell. curiosarum Phys. Medic. acad. nat. Curios. Germ. Ann. I. Observ.* 51. *p.* 149.

OBSERVATIO CLXXIV.

L. CHRIST. FRIDER. GARMANNI,

DE

VARIIS FUNGIS FUNGOSISVE EXCRESCENTIIS.

QUæ de fungis nuper promisi, subnectere potuissem, nisi præter spem in Dissertationem ferè excrevisset epistola. Transmitto interim (ut eò accuratius depingatur,) os feræ cujusdam ante annum in sylvâ prope *Stolbergam* inventum. Videbis in illo miras & fungis similes excrescentias, quibus à sclopeto fractum natura consolidare tentavit. Recordationem, dum hæc scribo, subit illa *Alex. Benedicti lib.* 1. *hist. part. corp. hum. c.* 14. narratio: Vidimus, scribit, in Getâ vulnerato genu sagittâ cornu nigrum rupicapræ capitis simillimum (è vulnere) prodiisse, materiamque quæ in ossis substantiam converti debuisset, in corneam naturam aëris afflatu conversam, continueque gummi modo indurescentem.

Herbis etiam fungos adnasci non semel conspexi. Experientiam in cinaræ hortensis foliis & caulibus quilibet facere poterit. Si namque folia & caules à radicibus separati per hyemem in hortis relinquantur, verno tempore non solum fungi oblongi illis adnati depre-

prehenduntur; sed & grana nigra pseudo-melanthii aut nigellastri, ut vulgo vocant, semen referentia, de quibus alibi prolixius, se conspectui insimul objiciunt nostro.

Fungorum plurimi è terrâ erumpentes semen habent, si curiosè examinentur, forma, quamvis minori, alceæ Ægyptiacæ semen ferè exprimente.

De fungis in corpore humano observatis in proximis plura.

(In literis ad Coll. Ephemerid.)

OBSERVATIO CLXXV.

D. JOHANNIS PATERSONII HAIN.

DE

VERMIBUS IN ACETO POMACEO.

IN aceto pomaceo ex pomis sylvestribus facto, quod neglectum steterat ferè per annum in lagenâ papyro leviter obturatâ, in quo multæ faces ad fundum resederant, enati sunt multi vermes plane tales, quales in pomis ex putredine fieri solent, & in eâdem magnitudine, capitibus nigris & parum ad os aduncis. Cum igitur aër frigidior (nam lagena in fornice stabat,) vexaret vermes hos, subitò frigus fugientes, ex lagenâ repere inceperunt, & penes papyrum in mensam delapsi catervatim jacebant, reliqui adhæserunt papyro demortui.

OBSERVATIO CLXXVI.

D. JOHANNIS PATERSONII HAIN.

DE

ARGENTO VIVO IN MAJORI QUANTUMVIS QUANTITATE ASSUMTO SEX DIEBUS IN CORPORE RETENTO.

MIles quidam à longo tempore obstructionibus petitus cum multis purgationibus magis adhuc intestina exsiccasset, eò devenit, ut aliquot purgationibus frustrà sumptis, clysteribus etiam aliquot retentis, in ingentem circa umbilicum inciderit dolorem, ita ut totas ædes clamore repleret. Exhibitum illi fuit argentum vivum pondere viginti unciarum. Resedit paululum dolor, & cum argentum vivum non exiret, post horas quatuor exhibitum illi est purgans valdè forte, quod tandem alvum solvit,

&

& quindecim habuit largas ſedes. De argento vivo autem nihil apparuit. Tertiâ die cum alvus iterum adſtricta eſſet, accepit clyſterem, qui nihil eduxit. Igitur quinta die prius purgans forte repetiit, habuitque quatuor ſedes, de argento vivo tamen ne guttula exivit. Sextâ igitur die accepit clyſterem ex ſolo oleo lini, quod quidem aliquot ſcybala eduxit, de argento vivo adhuc nihil, nec conqueſtus ille, quod vel minimum malè haberet. Tandem noctu ad finem ſexti diei per ſe habuit ſedem duram, & cum illâ argentum vivum exivit, deerant tamen unciæ circiter duæ, quæ fortè ex incuriâ illorum, qui excrementa diluebant, effuſæ ſunt. Nam octavâ die iterum dimidia circiter uncia exivit, nec amplius quicquam de Mercurio deprehenſum, illeque ab illo tempore nihil mali paſsus. Sed hoc obſervatione dignum, quod in prima excluſione Mercurii, dum excrementa abluerentur, aliquid de Mercurio apparuerit, quaſi cum ſtanno amalgamatus fuiſſet, nec ſeſe permiſcere voluit reliquo Mercurio, ſed ſupernatabat; erant circiter drachmæ duæ. Cum autem paululùm tereretur cum aqua ſalita, ad genium ſuum rediit. Fortè ſi diutius in corpore hæſiſſet, magis arroſus fuiſſet, & tum inſigniter nocere potuiſſet.

OBSERVATIO CLXXVII.

D. JOHANNIS PATERSONII HAIN.

DE

ANATOME EPILEPTICI.

Chirurgus ex majori Polonia artis ſuæ benè peritus ſcripſit nuper, Nobilem quendam anxietate cordis diu vexatum, infinitisque uſum remediis tandem epilepſia correptum, per duos dies mortuo ſimilem jacuiſſe, tandem fatis ceſſiſſe. Aperto cadavere poſt mortem reliqua viſcera ſalva inventa fuiſſe (ut ille ait) ſolum ventriculum repertum tenuiſſimæ membranæ inſtar.

(*In literis ad Collectores Ephemerid.* 28. *Novembr. ann.* 1675.)

OBSERVATIO CLXXVIII.

D. FRIDERICI LACHMUND.

DE

DEXTRA AURE OCCLUSA.

REfert *Thom. Bartholinus Hist. anatom. rar. Cent. 6.* de puero octo annos nato, cui sinistra auris à nativitate fuit clausa. Huic simile exemplum hîc Hildesiæ accidit; Anno enim 1674. mense Januario *Dn. Andreæ de Lacu* uxor peperit filiolum, cujus sinistra auris rectè conformata erat, dextræ lobus tantum apparebat, foramen verò nullum inveniebatur. Ego quidem aperire volebam, sed infirmitas corporis sectionem admittere non videbatur. Post sex hebdomadas epilepsiâ mortuus est.

OBSERVATIO CLXXIX.

DN. FRIDERICI LACHMUND.

DE

INFANTE MONORCHITE, PENE IN ABDOMINE DELITESCENTE.

LUdit, inquit *Th. Barthol. histor. anat. rar. Centur. 4. histor. 22.* subinde natura in membris generationi inservientibus, aliquando in defectu, nonnunquam numero excedente: addo, aliquando ea saltim abscondendo, ut ex sequentibus patebit. Cum anno 1674. d. 7. Octobr. Nobil. & Stren. *Dn. Frider. Wilhelm à Stopler, Hæreditarium in Binder, Werstett & Leckstett,* una cum *Amplisf. Dn. De Zigenweide, JCto celeberrimo,* animi recreationis ergò inviserem, inter alia ajebat hic nobilis, quòd haberet in pago suo Leckstett rusticum quendam, cujus filius circiter quadraginta hebdomadas natus pene careret & pro confirmandâ relatione rogatu meo, patrem accersiri jubebat. Is quamvis verum fateri tum nollet, circa vespertinum tempus tamen filium ad ædem nobilis apportabat, ubi prænobilis Viri narrata vera esse deprehendi. Ego verò istâ inspectione non contentus, altero die matutino tempore, ipse casam adii, & puerum diligentius tractavi, nil tamen, nisi præputii vestigia quædam inveni, lotium reddentia, scrotum, quod valdè parvum erat, unum tantum testiculum in se continebat. Interroganti, an semper sine pendulo pene esset, pater respondit, more rusticorum: Dat hat kein Noth. Wenn man ihn vor dat Für helt un streppelt/ so kan he wohl her vor krupen. h. e. Præfiscine! Si illum igni admoveas atque titilles utique penis emergere solet. An verum hoc sit, equidem nescio, nolebat enim me præsente monstrare, si tamen res ita se habet, credo annis pubertatis

magis

magis foci, quàm flagellorum usu in re venereâ, de quo raram historiam edidit olim *Joh. Henr. Meibomius à Th. Barth. iterum recensitam*, hic opus futurum.

OBSERVATIO CLXXX.

DN. FRIDERICI LACHMUND.

DE

CRANII FONTANELLA IN HOMINE ADULTO.

IN infantibus recens natis inter suturam sagittalem & coronalem partem membranosam reperiri, fontanellam dictam, seu fontem pulsatilem, notum est. Mulierculæ nostrates ajunt: Der Kopff ist noch nicht zugewachsen: in aliis tardius membrana hæc in os degenerat, in aliis, quod perraro accidit, in provectiorem ætatem permanet, uti ex quadragenario *Th. Bartholini in anatom. reformata* constat. Simile exemplum anno 1654. observavi Jenæ in amico & convictore meo *Domino Joh. Jansonio, LL. Studioso* Auricensi, (quæ urbs sedes est Comitum Frisiæ orientalis) cujus jam annum ætatis 23. agentis, cranium nondum erat clausum. Et licet observatio hæc meritò inter memoratu dignas referenda sit, adhuc tamen dignius & rarius illud mihi esse videtur, quod fontanella pollicem circiter lata calvitie erat deformis, licet capilli toto reliquo capite provenerant.

OBSERVATIO CLXXXI.

DN. FRIDERICI LACHMUND.

DE

CRANII FONTANELLA, IN HOMINE ADULTO QUIDEM OSSEA, SED PECULIARI SUTURA CIRCUMDATA.

SUturarum lusum ferè indies observant diligentes anatomici, inter quos facilè princeps est & familiam ducit, non solum solertissimus ille animalium dissector, sed etiam ossium compactor seu sceletorum elaborator accuratissimus *Th. Bartholinus*, qui etiam *hist. anatom. rar. Cent.* 1. *pag.* 79. *histor.* 51. multa circa suturas observavit; ego, qui quanquam in praxi potissimum occupatus sim, horis tamen, quantum fieri potest, subsecivis in anatomicis me exerceo, sequentia: Est apud me cranium furis cujusdam ad supplicium dati, in quo sutura sagittalis, versus coronalem in loco eo, ubi fontanella infantibus recens natis solet esse, in utrumque latus dividitur, & quamvis membranosa

illa ſubſtantia, ſive fontanella ſit oſſea, peculiari tamen ſutura eſt circumdata; Cujus cranii figuram hic addere placet, ubi a. *suturam coronalem*, b. *sagittalem*, c. *fontanellam osseam* deſignat.

OBSERVATIO CLXXXII.

D. FRIDERICI LACHMUND.

DE

ANSERE DOMESTICO CRISTATO.

ANte triennium quidam ex rure amicus, cui curioſitas mea erat nota, me donabat anſere domeſtico, qui totus cinereus, ſed magnâ eaque candidâ criſtâ prædiτus erat. Ego primo aſpectu criſtam hanc arte inſertam fuiſſe putabam, ſicuti caponibus non ſolum cornua, ſed etiam faſciculi pennarum, ſolent inſeri, qui tamen non ſtato tempore, more aliarum pennarum decidunt, & iterum creſcunt; contrarium tamen reperi, cum in hunc uſque diem habeam. Criſta hæc radicem habet in vertice, unde ſcapus, calami vel caulis inſtar erumpit, ſe in pennâ omninò candidâ, apta rotunditate expandens. Propter ſingularem raritatem & elegantiam, figuram capitis cum criſtâ hic addendam eſſe exiſtimavi.

OBSERVATIO CLXXXIII.

D. FRIDERICI LACHMUND.

DE

INFANTE BIMULO NONDUM DENTATO.

QUoniam infanti recens nato dentibus non opus eſt, idcirco illi etiam natura in nativitate non dat, quanquam interdum, ſed rarò ab illa recedit, uti ex *Plinio lib. 7. cap. 16.* de M. Curio & Cn. Papyrio notum, & à me ſimile exemplum *in Ephemerid. ann.* III. in partu licet monſtroſo eſt obſervatum: latitant tamen in alveolis, donec tempore opportuno, quod in aliquibus maturè, in aliis tardè fit, erumpant, & ſolent frequenter inciſores primum in conſpectum venire. Mulierculæ noſtræ præſagire ſolent, ex tardis dentibus vitam longam, ex maturis brevem. Sed uti multæ mulierum opiniones, nugarum & ſtultitiæ plenæ ſunt, ita & hæc, quod confirmat filia Dn. Georgii Schneckers, civis & Mercatoris apud nos inter primarios; Hæc circa ſeptimum à natali menſem maximè ſalivabat, & digitis gingivas terebat, ut ego cum parentibus conjecturam faceremus, tempus erumpendi dentes præſtò

fore;


AD. OB. CLXXXII

Ad Ann VI Obs N°. 9.

N°.



fore; Sine tamen successu, nam post aliquot dies meliusculè se habuit, postea iterum aliquoties infirmitatem passa est, unde semper dentes in procinctu esse credebamus, sed semper contrario effectu. Anno 1675. iterum in morbum incidit & d. 8. April. placidè mortua est, quùm vixisset annos 2. menses 2. dies 8. & quidem sine dentibus, quod observatu dignum puto.

OBSERVATIO CLXXXIV.
D. FRIDERICI LACHMUND.
DE
OSSE FRONTIS VIRGINIS ADULTÆ MOBILI.

VIrgo prænobilis & generosa annorum 26. conquerebatur, quod maximis & continuis capitis doloribus à teneris unguiculis infestaretur, causam esse dicens, quod cranium nondum esset concretum. Ego inquirebam, an forsan fontanella nondum ossea facta esset, illa respondebat, quod non; sed in risu vel tristitia & fletu aut forti loquela ferè pollicis latitudine cranium dehiscere. Ego rei certitudinem percipiendi cupidus, caput tangens inveni, quod os frontis esset mobile & à syncipite se divelli pateretur, ita ut digitis quasi cerebrum posset attingi.

[*In literis ad Dn. D. Johann. Dan. Majorem, P. Kiloniens. mense Decembri Ann.* 1675.]

OBSERVATIO CLXXXV.
D. JOH. CHRISTIANI FROMMANNI.
DE
SUDORE POST MORTEM.

ROdachii anno hujus seculi LXV. civis cujusdam infans morbô corripitur. Tertium prostratæ valetudinis diem ubi superârat, quartum calore præternaturali accedentibus convulsionibus inopinâ demum morte finit. Levior intumescentia, quæ vivum affecerat, leviori quidem parentum animos metûs vinculô primùm constrinxerat; sed ubi lac maternum faucibus avidioribus, emortuali præprimis die, traxit, curas quoque ad nutricis pectus attraxit ille graviores, & labore suô internô ac ultimô internum adauxit parentum dolorem. Corpusculum animulâ suâ destitutum, seipso vivo longius & rigidum sic à morte evasit, ut ferè eorum, qui indusium

sium brachiolis accommodare laborarunt, industriam eluserit. Exanime illud sveto ceremoniarum ritu tertiô die loculo inclusum ad cœmeterium, ut terræ mandetur, deportatur. Reseratô hic vulgi spectatum venientis gratiâ, more in oris nostris svetô, loculô, infantis facies sudoris guttulis referta cernitur. Facies mira præsentium mox invitat faciem & in admirationem trahit. Ad naturæ vires sudorem in corpore calore vitali prorsus destitutô, referre ausus fuit nemo; magna verò pars ad occultiorem & sublimiorem causam fuit facilis. Nonnulli ex ipso sudore velut effectu, ejus causam, sopitum scil. & latentem hoc in corpore vitalem facultatem tacitè secum collegerunt, & infantis ad sepulcrum deportationem maturam deinceps exprobrârunt. Mœstissimi parentes & avus raro hôc casu & maledicorum insultu perturbati per Fratrem meum dilectum M. JOH. FRIDERICUM, Diaconum ibidem, meum de hoc sudore judicium requisiverunt. Annui petito, & extemporaneum judicium tum dedi, quod brevi post in Disputatione quadam publico eruditorum examini submisi. Casum, quia ad paucorum manus Disputatio venit, spectatissimo naturæ curiosorum Collegio jam communicare placet. Subjungam etiam datam tùm temporis *ἐπίκρισιν*. Rarus autem est casus ille, neque similis exempli vestigium vel in *Henr. Kornmanni tractatu de miraculis mortuorum* vel in *libro I.* (secundi editionem orbis literatus adhuc expectat) *tractatûs elegantissimi eodem titulô, de miraculis mortuorum*, insigniti, sed doctiori calamô exarati *Dn. Lic. Garmanni* vel in aliis, quos evolvere licuit, adverti, nisi quod *Kornmannus part. 5. c. 8.* suspensi cujusdam cadaver plurimum sudoris per 14. dies effudisse scribat: quam historiam admirationis aliquid habere scribit *Zacchias*. (*D. Sam. Ledelius* deinceps observavit in Pastoris cujusdam scorbutici & melancholici corpore non tantùm vivô continuum, sed & defunctô triduanum sudorem largissimum, qui faciem cum toto corpore madidam reddidit. *Vid. annus 3. Ephemer. nat. Curios. obs. 83.*)

Ut sudorem istum infantis labore & sudore nostro felicius detergamus, præsupponimus *sudoris* nomen sumi 1. *latè & impropriè* pro quavis materiæ vaporosæ vel liquidæ roris in modum in quocunque subjecto collectione. Ita lentiscus mastichen sudare dicitur, & *Renodæus de mat. med.* mastichen definit, quòd sit gummi-resina è lentisco exudans. Sic statuæ apud veteres sudasse leguntur, cujus ratio-

nem

nem *Theophrastus* dat *lib.* 5. *hist. plant. c.* 10. quia ex cedro conficiebantur, cujus materia nata est humorem exudare. Fenestræ, specula, canthari, poma, parietes sudare quoque hybernô tempore dicuntur. 2. *propriè* & quidem vel *strictè*, pro materiæ vaporosæ in cute animalis viventis roris in speciem collectione, quôcunque illa promanarit modô, sive excretione, sive expressione, sive partium solidarum exolutione. Tribus enim his modis sudorem exire dicit *Stephan. Rodericus Castrensis lib. quæ ex quibus pag.* 45. Excretione qui prodit, caloris florescentis est index; qui expressione tumultuantis; qui partium exolutione deficientis, non simpliciter, sed respectivè: *vel strictissimè*, pro eo, qui caloris vitalis ope per cutis spiracula prodit. Adhuc *Crato consil. à Scholtzio collect.* 381. tres requiri vult conditiones, calorem mediocrem, materiam tenuem & cutis meatus apertos. Sudor ille in infante non fuit verus sudor, quia mortuus erat infans, adeoque omnis in eo calor vitalis abfuit: id quod etiam partium rigor & ob hunc induendi indusium difficultas prodidit. Inter notas autem finitæ vitæ etiam membrorum rigiditatem referri testatur *Paulus Zacchias quæst. Medico-legal. lib.* 4. *tit.* 1. *quæst. ult.* Ergò nec caloris seu florentis, seu deficientis soboles sudor ille fuit. Caloris quidem defectum sudorem quendam sive ἐφίδρωσιν sequi admittimus, sed ut partialis, non totalis ille defectus sit, requiritur. Si enim totalis oriatur, pororum in refrigerato corpore sequitur constrictio, eorumque parietes in se invicem collapsi omnem sero exitum denegant. Sed si quidam in corpore supersit calor vel spiritus, qui externam corporis compagem (utut debiliter & insensibiliter id fiat) suffulcire queat, non omnis sero egrediendi potestas denegatur. Ergò ad impropriè sic dictum sudorem, ille infantis erit reducendus. An verò sudoris proventus ad naturales, an verò supernaturales causas sit referendus, in disquisitionem inducitur meritò.

Nos prius asserere non dubitamus, quamvis res ipsa suâ non careat difficultate, propter quam etiam meliora docenti cuivis assurgere erimus parati, In hanc verò sententiam me deduxerunt circumstantiæ in infante observatæ. Tumore quôdam, dum in vivis esset, fuerat correptus ille, & è morte conciliandi coloris svavis gratia linteola vinô calente madida faciei crebrò imposuerant domestici, ex quo rara cutis substantia laxior aliquando permansit, & in hac tenuior

materia quietè subsistere potuit. Remittente demum manuum in applicandis linteolis industriâ, subsidente sensim cute tumidâ, & concidentibus in seipsos pororum parietibus contenta in his materia tenuis fuit expressa, quæ sudoris indolem & speciem expressit. Atque hoc ita fieri posse, confirmo verbis,quæ facit *Dn. D. Libavius contempl. de cruent cadav. pag.* 244. *Omninò*,inquit, *si sit rigida cutis, sudor ex interna commotione non prodit. Extans in summo, nudari potest subsidente mole : potest etiam protrudi halitibus, aut per alluvionem gigni aquositas.* Sic nec à veritatis tramite secundùm eundem autorem aberraverimus, si dixerimus, halitus fermentationis ope incipiente putredine excitatos & per dispositam cutem protrusos à frigoris ambientis potestate ad sudoris speciem cogi : vel incipiente sanguinis putredine spiritus, sal & sulphur à motu suo regulari cessare, & in confusionem agi: deinde in cavitatibus conclusa inordinatè fermentescere, & corporis totius ac viscerum intumescentias facere. Quod dùm fit, hærens in rara corporis superficie materia vaporosa sub roris & sudoris specie per illam ebullitionem extruditur. Ebullitio enim genus fermentationis est,asserente *Martino Schockio*, curioso fermentationis & fermenti examinatore *cap. 8.* Eum sanguinis motum genarum in cadaveribus rubor quandoque subortus testatur. Notavit idem quoque *Platerus in cent. Posth. Quæst. Medic. Paradox. num.* 8. quod cadavera, quæ anatomiæ causâ pluribus diebus servantur, post flavescentem illum colorem, quo, postquam expirarunt, pallent, exactis aliquot diebus rursum nonnihil in malis & carnosioribus locis rubeant : sanguinem quoque levi commotione ex venis nondum sectis & ad interiora emanare dicit. Raro autem in cadaveribus observatur sudoris talis proventus, quia rara est in cadaveribus illa ad sudorem dispositio, cum calore vitali destituta exteriore corporis compage arctius constringantur spiracula, quàm ut ab halituosis exhalationibus intus conclusis referari queant. Neque (ut objectionem declinemus) in cadaveribus eorum, quos hydrops peremit, abdominis, licet multo humore turgeat,superficies, similem guttularum apparatum exprimere potest, tùm quia in nimia abdominis extensione pororum ad extima tendentium ductus à subjacentibus partibus carnosis obliteratur & detorquetur; tùm quia aqua fluctuans extra ordinariam ad poros viam, quam venæ & arteriæ sternunt, degit, & ob crassitiem

ficiem ſubtiles meatus deinceps, poſt mortem ob vitalis caloris ablationem magis conſtrictos, decurrere nequit. Halituoſa enim materia ſeu aqua reſoluta ſudoris eſt materia, ita ut aqua, quæ primùm fuit in ſtatu collectionis, abeat caloris ope in ſtatum diſperſionis, & ad cutis ſuperficiem delata redeat demùm ob ambiens frigus (quod ita etiam æſtivô tempore ſecundùm quid reſpectu majoris caloris dicitur) & ſimilium copioſorum unionem in ſtatum collectionis, & ſudor vocitetur. Sed an prior, an verò poſterior ratio in infante illo locum habuerit, ego laborare nolo, cùm accuratiorem & feliciorem horum indagationem ſcrutator non niſi præſens, vix autem per relationem abſens reportare queat. Unius circumſtantiæ obſervatio omne ſæpè punctum fert; eâ autem neglecta, in arenoſo ſolo extruitur tota verborum moles, quæ circumſtantiæ illius afflatu demum protinùs corruit. Quid naturaliter in tali caſu fieri queat, oſtendiſſe ſufficiat.

OBSERVATIO CLXXXVI.

D. JOH. CHRISTIANI FROMMANNI,

DE

VARIOLARUM IN FACIE PRÆSERVATIONE.

VAriolarum in facie proventum in tantum, non in totum, præcaveri poſſe, Matronæ cuidam Nobiliſſimæ ſeriò, ſed ſerò, perſvaſit ruſtica quædam. Plethorica cùm illa eſſet & carnoſiori habitu prædita, fœcunda propterea puſtularum mater evaſit, lætiorque earundem in corpore, præſertim verò in facie, orta ſeges, de qua tamen ægra formæ periculum metuens minus lætabatur. Proventum illarum ſanitatis & formæ curioſa optimè ad præſcriptum meum; ſed maturationis tempus ultimùm ad ſvaſum mulierçularum obſervabat. Puſtulas, ut facilior eſſet cruſtarum meſſis, oleo nucum inungebat, infauſtô nihilominùs ſidere. Iſtæ enim abeuntes expreſſa ſui veſtigia in facie reliquerunt. Ruſtica dicta Matronam ſanitati, non autem formæ priſtinæ, reſtitutam brevi poſt accedens de formæ jactura condolet, eamque præcaveri potuiſſe innuit. Iſti præſervativum ſcire deſideranti ait, uberem variolarum proventum in facie inhiberi, ſi mox primo invaſionis tempore pedes vaporibus ex decocto herbarum emollientium ſurgentibus aliquoties foveantur. Judicium de hoc poſtea Fœmina Nobiliſſima ex me meum quæſivit, cui

idem improbari non posse indicavi, quod sangvinis fermentantis ad inferiores partes sic fiat revulsio. Pedes enim cruraque à vaporibus non tantum incalescunt, sed & emolliuntur, eorumque vasa ac carnosæ partes dilatantur: hinc quia copiosius in his sangvis colligitur, sangvinis ebullientis à partibus superioribus quædam fit revulsio. Confirmat jam & experimentum & sententiam meam, præservativum simile, quod tradit *Fr. de le Boe Sylvius Prax. Med. lib.* 4. *tr.* 1. *cap.* 9. §. 76. ubi: Habent, *ait*, aliqui etiam in more positum, quo faciem à multitudine variolarum liberent, illasque ad pedes usque derivent, ut in lac bubulum calens infantium pedes immergant, & quidem cum primum erumpere incipiunt variolæ, quod successu non caret, quamvis non sine notabili pedum detrimento, qui tunc variolis replentur, à quibus dolores ibidem excitantur gravissimi, succedente diuturnâ pedum debilitate; consulitur tamen sic formæ.

Non autem in facie tantum, sed & in toto corpore, in totum, non in tantum variolarum proventum. statim in principio & quando adhuc infieri sunt, ita ut ad incrementum seu statum pervenire nequeant, supprimi posse statuit *Dn. D. Langius Miscell. curios. cap. ult.* hypothesi propriâ, veterum rejectâ, fretus, morbillos (inter quos & variolas nullam discretionem observat) à putredine scaturiginem suam adipiscentes esse animatam ac innumerorum minutissimorum vel atomorum ad instar insensibilium vermiculorum pullaginem. Verum, quod salvâ tanti Viri authoritate dixero, quia hæc sententia productum & quod concomitanter se habet, cum causa confundere, hypothesis etiam nondum firmo talo stare videtur, variolas in totum supprimi posse, propter hanc & alias rationes, alibi forsan indicandas (neque enim disceptandi locus hic est) ut credam, adduci non possum.

OBSERVATIO CLXXXVII.

D. JOH. CHRISTIANI FROMMANNI.

DE

CONVULSIVIS MOTIBUS A VERMIBUS ET REMEDIO AD HOS.

FIliam 8. annorum consilii conferendi gratiâ ad me adducit mater, cujus caput, brachia & crura in continuo erant motu, & quidem caput à dextro in sinistrum & contra; brachia & crura sursum deorsum

orſum ipsâ invitâ agitabantur, adeô ut neuter pes ullibi permanſerit fixus. Cui malum hoc originem debeat, dubius primum fui. Ad convulſivos autem motus referre non dubitavi. Nulla præter motum iſtum inordinatum offenſæ valetudinis aderat nota: omnia ſua debitè fungi munere videbantur: urina tantum pallida & fermè aquoſa viriditatis leve dabat indicium. Omnibus in ægra bene ponderatis vermes hanc convulſionis ſpeciem producere conjeci, licet evidentia illorum ſigna alia non adeſſent. Ea enim, fatente *Foreſto l. 21. obſ. 28. ſchol.* nonnunquam adeò obſcura & ſymptomata adeò multa & cum aliis morbis communia ſunt, ut doctiſſimos aliquando medicos fallant. Succurrit tum obſervatio apud *D. Thonerum lib. 2. pag. 49*, quam ſibi quoque communicatam tradit *D. Greg. Horſtius Epiſt. Med. ſect. 7.* de filia 14. annorum, quæ à vermibus non tantum ingentem colli conſtrictionem, quaſi laqueo injecto fauces præcludente, cum imminenti ſuffocationis periculo, ſed utriusque inſuper tum brachii, tum cruris motum convulſivum paſſa, ita ut crus modò dextrum modò ſiniſtrum ad nates usque invitâ ægrâ, quaſi funiculis agitata, alternatim fuerit flexum. Noſtram ægram mitius quidem animata colluvies, ut ex dictis videre eſt, tractavit, gravem tamen ſibi remediorum omnium apparatum primum reſpuit; reſpuere autem deſiit & tandem emigravit, ablatô aliquoties hauſtu aquæ ſtillatitiæ raphani ruſticani, aliis aquis ob acrimoniam temperatæ; quam etiam commendat *D. Sebizius lib. 2. de alim. facult. p. 400.* ubi hôc condimento, èſu ſcil. raphani illius raſi fœminam quandam aliis remediis fruſtra uſurpatis plurimos ejeciſſe vermes notat. Vermibus XI. è puella noſtra aquæ dictæ uſu ejectis, convulſivi motus brevi ceſſarunt.

OBSERVATIO CLXXXVIII.
D. JOH. CHRISTIANI FROMMANNI,
DE
VERMINOSO IN OVIBUS ET JUVENCIS REPERTO HEPATE.

ANnis, nimirum LXIII. & LXVI. quibus mactatarum ovium, vitulorum & juvencarum hepar, reliquis viſceribus nullam præternaturalis conſtitutionis faciem exprimentibus, vermes profectoribus obtuliſſe, fidem fecit experientia abunde, & qui

& qui mense primò anni 65. mihi fuit à servitiis, lanio, eô tempore, quô frequens est mactatio, nullius hepar sanum laniario se imposuisse edixit; Communis ea corporum dispositio acerba fata & brutis & œconomiæ multorum invexit. In gregibus hoc in Ducatu oviariis præcipuis quatuor, *Schafhof, Wolbach, Gossenberg & Watzendorf* junctim spectatis 3000. oves, cum olim fuerant numeratæ, vix quadraginta tandem superfuisse relatum. Suo vulgus malum hoc idiomate *Egeln*, & hepar verminosum *Egelichte Lebern*, q. d. hirudinosum (ut ὀνοματοποιεῖν liceat) appellavit, quod vermis hirudinem sive sangvisugam, Germanis *Egel* dictam, primâ facie refere videretur: vel quia ad opinionum quorundam mentem esu numulariæ, serpentariæ, quem Germani *Egel Kraut* appellant, malum hoc contractum. Quæ tamen sententia displicet: quanquam *Jonstonus* etiam *c. 5. Not. regn. veget.* scribat, herbam hanc ovibus noxiam esse, & degustatâ ea ulceribus pulmonis tabidas interire. Verum experientiæ hoc respondere dubito, præsertim cum facultate, ut *Matthiolus* habet, glutinandi, cohibendique ea polleat, adeoque vulneraria sit, ac *centummorbia* à mirifica in vulneribus medendis facultate salutetur. Quid? quod ejus in pratis omni æstate lætus, mali autem in brutis proventus aliàs rarus. Non ergò ab effectu, sed potius à similitudine, quòd vermes hi numulariæ foliis latitudinis & rotunditatis ratione sint similes, nominis notatio est arcessenda, inde etiam *Pfennig Kraut* vocatur (*Casp. Hoffmannus de Medic. officin. lib. 2. cap.* 161.) Vermes enim è suis castris lanionum digitis expressi, *figuram & quantitatem continuam* si quæras, omnes breves fuerunt & rotundi: at sibi relicti, injuriamque nullam porro metuentes se quasi explicuerunt, & lati facti, ungvis latitudinem referentes, capite acuto eoque minimo, ad capitis acus formam, extremitate autem ad rotunditatem vergente, sed in fine acuminata præditi, molles, quique colore suô atro purpureô, vel quem nonnulli retulerunt, rubro, generationis materiam satis prodiderunt. *Discretam quantitatem* seu *numerum* si expetas, in aliis pauci, in aliis multi, manipulum quandoque excedentes reperiebantur, pro concesso scilicet ad multiplicandum temporis spatio. *Materiam in qua* sive *subjectum* & quidem *speciem* si attendas, ex *feris*, *cervi* & *lepores* priori fuerunt anno, qui in districtu maximè Rodacensi vel mortui reperti, vel in campis & nemoribus oberrantes virium crurumque auxilio destituti omnem venatorum laborem

borem maturarunt. Sed menstrua hæc fuit strages, quæ dicto spatio terminata venatorum curam simul terminavit. Demortuorum autem & moribundorum corpora hepar & pulmones putrilagine corruptos & sphacelatos exhibuerunt, cervorum hepar similem vermium fœturam edidit. Inter *domestica* præprimis *ovibus* & *juvencis* calamitas hæc fuit infesta: equinum, caprinum & suillum genus ab hoc malo mansit immune. Si *ætatem*, oves fuerunt sine discrimine omnes tùm seniores, tum agni: quin & fœtuum utero conclusorum hepar simili labe infectum fuit repertum. *Vitulorum* quorundam, non omnium, hepar fuit vitiosum. Anniculorum autem & biennium, sive juvencorum juvencarumque omnium, lanionum testimonio, saccus fuit vermium, & è quibusdam innumeri vermes prodierunt. Armenta autem & boves annosi malo hoc non, vel rarissimè laborarunt, tùm quia durior & siccior eorum constitutio sine dubio putredinis jugum excussit: tùm quia fœnum, alimentum siccum, toto anno devorant. Si *partes* respicias, subjectum fuit *hepar*, quod in nonnullis in insignem excreverat molem, idque solum. Rarò cum hepate *pulmo* in ovibus & juvencis fœturam illam concepit. Sedem & in *intestinis* prolem hanc fixisse, ac intestina perforasse, sed rarò, itidem fuit observatum. Hepar subjectum fuit tum ratione parenchymaticæ substantiæ, tum ratione vasorum, venæ cavæ & portæ: quandoque & vesica fellea vermes habuit, Rarò aliàs homines & bruta prosectoribus vermes in hepate genitos exhibent: bruta verò tùm temporis frequentissimè oculis usurpandos dederunt.

Materia proxima, ut omnium vermium accidentariâ lege in animalibus genitorum, unanimi Physicorum suffragio, ita & horum fuit substantia corrupta, putrida, sive sanguis sit, sive hepatis portio corrupta, sordidaque. Omne autem putridum ex se & suâ naturâ vermes generat, id quod vir perspicacissimus *Athanas. Kircherus* experimentis irrefragabilibus comprobat *scrutin. de Peste sect. 1. cap. 7. Causa* autem, quæ putridam reddidit substantiam, vel remota est vel propinqua. Causam *remotam*, cùm malum sit commune, communem quoque esse censendum. Communes verò causæ præter aerem, cibum & potum aliæ possunt esse nullæ. *Aer* quidem ratione (non substantiæ, quæ quia simplex est, & subtilissima, mutari nescit) accidentium variis exhalationum è terra & aqua & rebus putridis effluviis

&

& vermiculis infectus corpus nostrum alterare & immutare potest: sed pulmonum substantiam, quam totam subit, cordisque regiam citius, quàm hepar invadit, malitiæque & pravitatis sigillum incessanter sanguini & spiritibus cor transeuntibus imprimit. Plurimorum autem brutorum pulmones vitio tùm caruerunt omni. *Aqua* accidentium variorum ratione pariter spectata cùm varias in corpore distributa partes alluat, nocivis imprægnata qualitatibus ad ruinam disponere videtur partium compagem facilius. Et sanè quasdam novis qualitatibus anno LXIV. fuisse adulteratas piscium nonnullis in aquis strages arguit. Aquam vase conclusam solique expositam mox in vermes animari quotidiana docet, tum in maritimis navigationibus, tum intra privatos domuum parietes, experientia, inquit *Kircherus l. c. pag. 65.* Num seminiô vermium fœcunda aqua à brutis hausta animata evasit in corpore, vermesque hepatis dulcedine allecti, fixam ibi collocarunt sedem? Ego licet aquarum adulterationem datâ ratione convictus non negem, posteriori tamen vacivas aures præbere prohibeor, tum quia dissitis etiam in locis aquarum vigore superbientibus calamitas illa hepatica fuit suborta: tum quia partes œconomiæ animalis reliquas dulcedinis laude æquè conspicuas advenæ isti non occuparunt. Ad *victum communem* igitur sive pabulum idque adulteratum tum pluviarum frequentiâ, tum rubiginum vehementiâ, confugere malo. Frequentissimi anno LXIII. pluviarum recursus ante facti, quàm suam ruricolæ in segetem immitterent falcem, humidius brutis sub dio commorantibus dederunt nutrimentum. Qualis autem ratione qualitatum cibus, talis sanguis, qualis sanguis, talis partium constitutio. Humiditas verò excedens latam putredini sternit viam, cui auxiliatrices manus æstus insignis pluviosum tempus excipiens tulit, cujus injuriæ bruta impatientia largiori aquarum potu majorem æstuantibus & ex præcedente nimis humido pabulo labefactatis visceribus aspersserunt labem. Accessit frequens siderum saliva, ut *Plinius* loquitur, h. e. roris noxii illapsus. *Meurerus quæst. meteor. p.* 321. noxium rorem vocat minutissimas guttas illas, quæ splendente sole tacitè depluunt, rebusque nascentibus adhærentes sunt exitio. *Virgilius lib. I. Georg.* rubiginem appellat:

Mox & frumentis labor additus ut mala fruges
Esset rubigo.

Scil.

Scil. ut rubigo ferrum; ita ros ille noxius lædit vegetantia. *Keckermannus l. 6. System. Physf. c. 10.* mannam rusticorum vocat, ad differentiam mannæ nobilis, quæ medicinalis est, de qua *Galenus l. 3. de alim. facult. c. 39.* Germanis *Meel-Thau*, ros farinaceus, & *Honig Thau*, ros mellitus, *Mill-Thau*, ut conjicit *Meurerus in comm.* à caseorum vermiculis, qui nominantur *Millen*: quod interdum ex aspersione hujusmodi liquoris nascatur pellicula, intra quam materia conclusa virtute cœlesti concipiat spiritum vitalem, & fiant vermiculi instar eorum, qui nascuntur in caseis putridis. Ros ille mellitus cruda plurima in se continet, & vaporem incoctum, qui proinde adhærens oleribus, plantis, arborum foliis & gramini ea facile corrumpit, abitque in virus, quod quidem dulcedine pecudibus imponit; at calore urente rubiginem satis affert, cum destituatur humido alibili, variisque interdum ludat figuris in fructibus & foliis, inquit *Dn. D. Tackius disp. Physico-chymic. de Rore pag. 20.* qui serpentum figuras ex uredine in pomis aliquando conspectas fuisse subjicit. Mali hujus avertendi gratiâ superstitiosa antiquitas Robigo Deo Robigalia, ut *Varro* loquitur, Rubiginalia *Servius in comm. ad d. Virgil. loc.* ait, publicè instituerunt: quo de vide *Rosinum cum notis Dempsteri p. 43.* Neque vegetabilium tantùm, sed & animalium constitutionem ros ille putrefactus labefactat, eò magis, quò majori ille pollet malignitate & acrimoniâ. Robur dictis addunt ea, quæ ex *Phil. Hochstettero* idem *Dn. Tackius l. c.* adducit, *virginem ordinis S. Dominici, cùm remoram habuisset ad tempus menstruorum & consilio alterius monachæ hausisset aquam pluviæ, quæ ex nube cœlô serenô decidit, quam rorem farinaceum seu mellitum vocant, & unde pecudes profluvium ventris solent pati, quod diarrhœa biliosa vocatur, nos choleram dicimus, & ex quo perire solent, menses quidem uberes promovisse, sed inordinatos cum hebetudine subsequente oculorum animique defectione & convulsione.* Noxio hoc rore juvencæ & oves nostrates largiùs insuper inescatæ eam sine dubio hepatis labem contraxerunt. A viro fide digno accepi, se ruri ann. LXIII. ambulantem in calceo & pileo suo, herbarum arborumque foliis materiæ flavæ desuper ortæ, veneni ruricolarum opinione, non mediocrem quantitatem observasse: ejus autem vestigia in stagnis nigredinem retulisse. Similis materiæ coloris ratione fertilem pluviam in oppidi nostri plateis notavimus. Materiam illam multi dixerunt sulphuream, sed

rectius forsan arsenicalem vel auripigmento affinem: quamvis & his turgeat sulphur, sed putrefactum & corruptum, & præter hoc sal causticum ac adurens, & mercurius reliqua principia uniens & nectens, ut habet *Petr. Joh. Faber Panchym. lib. 4. cap. 45.* & *Secret. chym. l. 3. c. 10.* Malignitatem desuper ortam adaugent aquarum inundationes excrementitiam serpentum, bufonum & lacertarum ex antris materiam, variasque virulentarum quisquiliarum sordes eluentes, & in pascua cum limo deponentes. *Anno 1617. diuturnis pluviarum diluviis camporum pascua cœno oblita, non nisi virides comas limoso solo, nec dum ritè decoctas exerebant, quas armenta boum carpentia repentina putrilagine in faucibus concepta, suffocata interibant: vixque enecta, bubulcis colonisque nil sibi tale verentibus mox pœnitendam cedebant in alimoniam, par namque calamitas saturatos adoriebatur comessatores. Kircherus l. c. pag. 97.* Adeò pabulo inquinato si bruta vescantur, conceptæ virulentiæ truculentiam non possunt non incurrere. Depravatum enim alimentum depravat sanguinem, & hic viscera ad patiendum apta, pravitatisque ideam recipiendum prona. Secretiori similis malignitatis communicatio fieri potest ratione, quam *Galenus l. de Elem. cap. 9.* tradit: *Sata atque plantæ, cum terram subeunt, trahit unumquodque, quod terræ inest, suæ naturæ consentaneum; cùm verò id, quod trahitur, inquinatum sit, coguntur ea etiam inquinari, fungorum putridarumque rerum copia augetur.* Vitiatâ itaque terrâ vitiantur vites, arbores, segetes, ægritudinemque, concurrente præsertim iniquô siderum influxu, concipiunt, & malè se habent. Es werden ungeschlachte Jahr/ ut cum nostratibus loquar, etiamsi serena cœli facies nulla procellarum imbriumque acie confusa, vel urentis caloris gradu excedente infamis exoptatam fructuum ubertatem promittere videatur: & ut verbis *Kircheri* itidem, quæ facit *pag. 166,* utar, vegetantia noxiô humore repleta, & se & ex eis alita terræ animantia conficiunt, unde rectè *Abensina* de contagione, si corrumpantur arbores, & vegetabilia corrumpuntur & animalia, quæ ea comedunt.

Sed cur hepar præprimis, non cor, lien aut ventriculus concepta malignæ putredinis labe augustum vermibus domicilium aperuit? De pabuli conditione hepar testari veteres non latuit. Apud *Bassianum Landum lib. 22. histor. human. p. 197.* qui *Vitruvium* citat, legimus, quês suscepto de salubritate locorum ex hepate augurio oppida condi anti-

antiquitus inceperunt. Jecur enim, si vitiosum offendebatur, insalubrem eo loci fore habitationem, aut victus aut aëris culpâ id evenire conjiciebant, inquit *Dn. D. Schenckius Exercit. Anat.* 6, *l.* 1. *sect.* 2, *cap.* 25. qui & hoc addit: Mos sanè opilionibus nostris non ignotus, qui oviarios greges locaturi aut translaturi jecur pasti pecoris inspiciunt, hôc modô de telluris bonitate fertilitateque judicium facturi. Quod autem jecur præprimis putredinem concipiat, spuriumque vermium fiat marsupium, substantiæ rationi hoc imputandum censemus. Ea enim, ut *Galenus* 4. *de usu part.* 12. ait, sanguis est mediocriter condensatus, mollis, insignis magnitudinis, dulcis, calidi & humidi temperamenti, atque hinc ex alimento humido & pravo, & ex hoc genito sangvine, quem omnium abundantius suscipit, facilius quam viscera reliqua ἀτονία laborare & ad putredinem disponi potest. Ἀτονίας fructus est profluvium, quod biliosum reddit caustica & urens rubiginis facultas, suæ qualitatis characterem humoribus imprimens, inde diarrhœa biliosa seu cholera in brutis nascitur. Sed si nulla fermentationis lege humorum pravorum fiat separatio & excretio, majorem hepar sufferre tenetur mulctam. Ventriculus, cum malignitas involucris alimenti crassioribus conclusa lateat, illam cum alimento à se expellit, adeoque ita affici nequit. *Cor* quidem communicatum ab inferioribus chylum infectum admittit, sed impressô sanguinis charactere citò in arterias illam transmittit, omnemque à malignitate intentatam injuriam calidi, quô abundat, spirituumque ope amolitur. *Lien* numerosâ arteriarum sobole instructus spirituum vitalium ministerio pariter maligni hostis atrocitatem eludit. *Hepar* verò arteriis & spiritibus vitalibus non ita munitum latum ingredienti & diutius hic commoranti hosti concedit campum, qui fractas jam ante ab intemperie humidâ vires magis frangit, ut nec suo feliciter fungi munere, nec sanguinis per venas ad cor circulationem debito sibi modo undequaque promovere queat. Subsistens itaque alicubi materia prava putredinemque concipiens ipsam deinceps hepatis substantiam inficit, & causa putredinem hepati inferens, proxima audit. Hepar ita affectum materiam generationi vermium uberem & aptam, locumque caloris suavitate spuriæ sobolis exclusioni congruum subministrat. Qvid si ingressum cum alimento venenum soli hepati specificâ qualitate contrarium fuerit? Non enim omnia venena cordi, sed alia huic, alia isti,

alia illi visceri esse infesta Medicorum testantur filii. Quamvis verò ovium quarundam pulmones heterogenam illam vermium prolem exhibuerint, per consensum tamen rapto ad pulmones circulationis lege sive sanguine verminosô sive seminii apparatu, ex hepate id fuisse subortum dixerim. Vermes, qui sunt sui multiplicativi, multiplicati dulcem hepatis & pulmonum substantiam depascunt facilè.

OBSERVATIO CLXXXIX.

D. JOH. CHRISTIANI FROMMANNI.

DE

SALUBRITATE CARNIUM ANIMALIUM HEPATE VERMINOSO LABORANTIUM.

OBservatio præcedens sequentem hanc mox eo ipso tempore peperit quæstionem: *An carnes animalium hepate verminoso laborantium sint salubres?* Quô sidere stadium hoc decurrerim, perlectis prænotatis, sequentibus accipe.

I. *Salubre alimentum* dici *in genere & vulgo* omne id, quod nullam evidentem corpori humano infert noxam, sive ex eo chylus & sanguis optimæ notæ generetur, sive non, modò in corporis substantiam cedere queat. Deinde *in specie* id, ex quo bonus & laudabilis sanguis generatur. Bonus autem sanguis is dicitur, qui neque justò calidior, neque humidior, neque frigidior, neque siccior est. Non est quoque tenuis, non crassus, non pingvis, non lentus, non acer, mordaxve, non amarus, salsus aut acidus; breviter, qui perfectam nactus mediocritatem. *D. Sebizius l. de alim. Facult. cap. 4. pag. 42.*

II. *Vires alimentorum investigandi modos & vires* secundum *Galenum l. 1. alim. facult. c. 1.* esse duas *rationem & experientiam. Ratio* medium seu principium, ex quo tanquam ex notiori intellectus id, quod est ignotum colligit, notat. *Eperientia* autem est ejus, quod sæpè & eôdem modô contigit, memoriâ comprehensio. Rationes, quibus de alimentorum facultatibus aliquid statuitur ab odore, sapore & consistentia, inprimis autem à sapore secundum *Galenum* sumuntur. Videatur *D. Herm. Grube Commentarius doctiss. de modo simpl. medicamentor. facult. cognosc.*

III. *Corruptionem hepatis* vel *totalem* esse vel *partialem*. In totali nulla ejus est actio: in partiali autem languida quidem est, non tamen nulla;

la, ficut in partiali cerebri læfione & vulneratione actio animalis continuatur, quod è continuato animalium operationum exercitio legimus. His præmiffis dicimus:

I. Si vox *falubris* in genere & vulgari modo fumatur, falubres fanè & carnes animalium hepate verminosô laborantium erunt proclamandæ: neque enim de injuria fuæ conftitutioni exinde evidenter illatâ ullus tum temporis fuit conqueftus, & fi quis unquam morbos atrociores ex illarum efu contraxiffet, cautior ex hoc factus ad ufum rediiffet nunquam. Si verò falubre alimentum pofteriori capiatur modô, nemo carnium illarum ufum falubrem dixerit, fed inter alimenta *κακόχυμα, mali fucci*, quæ fangviuem procreant vitiofum, caro erit referenda. Sanguis autem vitiofus is eft, fecundum *D. Sebizium l. c.* qui à bono fupra defcripto recedit. *Hujus farinæ*, inquit, *in genere funt, quæ acria, amara, falfa, acerba, acida nimis, fœtida, corrupta, putrefacta: in fpecie verò ex animalibus funt caro caprarum, hircorum, bubulorum, ovium, vaccarum & boum fenio laboribusque confectorum, leporum, cervorum, urforum &c.* Hoc nomine igitur inter cacochyma carnem illam referre quis dubitabit? Sed num deteriorum & forfan ad tempus recondi aptarum qualitatum eadem fuerit ferax, propter quas carnium illarum ufus præ cæteris magis fuerit formidandus, ulteriorem meretur difquifitionem. Dicemus autem:

II. Qualitates, fi quæ adfuerunt, deteriores inveftigatu fuiffe difficiles. Neque enim fuffragantem habuimus rationem, neque experientiam. Non *rationem*: quia adducta illa ex Galeno ab odore, fapore & confiftentiâ fumta indicia, quibus ratio alimentorum vires fcrutatur, nobis inveftigantibus parum conduxerunt. Nam odoris, faporis & confiftentiæ ratione inter carnem fanorum & morboforum differentia occurrit nulla: ideo & rejectis folis vifceribus labe infectis caro in macellis fuit venalis. Pinguedinis color ad majorem folito in quibusdam vergens flavedinem rem nonnullis fecit fufpectam. Et fanè de nihilo conjectura ifta non eft. Cum enim affectum hepar fuo fuugi officio, h. e. biliofa, quæ in venis portæ continentur, & per arterias advehuntur, coquere & fecernere nequeat, fit inde, ut ex illius in fangvine redundantia pinguedo tincturam illam, quam reliquis facilius imbibit, referat. Non *experientiam*, quia ullius valetudinem carnis iftius efu fuiffe concuffam, evidenter ea teftatum non fecit. Sed

quia à posteriori nihil fuit colligere, à priori per alia media in qualitates carnis devenire laboravimus.

Quare itidem prænotavimus &

1. Ambabus id, quod è veritatis puteo hausit *D. Schenckius humor. corp. human. histor. general.* excepimus: *Quicquid ex parte qualitatum materiæ nutritiæ consideratu necessarium est, hoc alio modo non admittitur, quàm quatenus ὂν καὶ σύγκρατον bene contemperatum est: ab hoc enim ubi deflexerit, alimenti nomen non meretur, nec sanitatem, sed morbum generat.*

2. Coctionis officinâ laborante id, quod coquendum offertur, ad debitas naturæ leges concoqui non posse inficiatur nemo. Nihil enim ultra vires suas operari potest.

3. Ratum est Medicorum effatum. Vitium primæ coctionis non corrigi in secunda, nedum in tertia. Sic igitur vitium primæ coctionis sanguinis, quæ in corde fit, non corrigitur in secunda, quæ fit in hepate. Si fuerit neglecta in hac, non fiet correctio in tertia, quæ in privatis fit partibus.

4. Quale nutrimentum est (ultimum & in fine) tale erit nutritum. Qualis enim est materia, tale est materiatum. Si nutrimentum est laudabile, laudabile inde evadit nutritum: si vitiosum illud, & hoc tale erit.

5. Fervente nutritionis actu totum alimentum transmutatur, nec ulla fit ibi heterogenearum partium secretio: ea enim jam ante in organis huic negatio destinatis fieri debuit. Per poros quæ fit transpiratio & parrium halituosarum exclusio non tam à partibus nutriendis privatis, quàm à toto, & potissimum à corde ea provenit. Illud vero variolarum causâ procreante comprobamus, quæ sangvis est menstruus vitiosus à partibus spermaticis & sanguineis in novimestri nutritione attractus, quem fœtus totum nullâ intercedente partium heterogenearum secretione trahit: suo autem tempore, ubi irritata fuerit natura, impurioris materiæ sequestrationem instituit.

His itidem prænotatis, infertur.

III. Corruptio hepatis totalis vel totali vicina si fuerit, mactati animalis carnem, experientia teste, nutrire quidem, sed malè, adeoque ejus usum insalubrem esse, quia 1. caro illa à temperie & crasi debitâ recessit, etiamsi gradus recessus indigitare nequeamus, recessum tamen

factum

factum esse ex eo colligimus, quia 2. sanguis, è quo caro generatur, à sua temperie recessit. Sanguinem à sua temperie recessisse, 3. neglectum hepatis officium prodit, quod est affluentem à corde sangvinem ab impuritatibus biliosis & serosis liberare. Hoc autem hepar corruptum vermibusque scatens præstare nequit. Heterogeneis itaque partibus illis retentis omnem debitæ temperiei vigorem sanguis, & ex quo demum nutriuntur, partes amittunt. Quæ omnia prænotatorum veritate nituntur. Sunt quidem & alia alimenta cacochyma, quæ crasin humanæ naturæ convenientem non habent, caro v. g. leporina, quæ sicca est, crassa, sanguinisque melancholici procreatrix: ea tamen temperiem habet suæ speciei convenientem, & mixtionis legibus congruam, constitutioni verò nostræ non inimicam, quia illa compages firma est, nec ullo putrilaginis vitio de vitalitatis ponte ad resolutionis fundum dejicitur, ut caro illa in præsentem quæstionem veniens. Nec sanguinis & partium nutriendarum temperies tantùm perit elementaris, quæ ipsis ut sunt mixta competunt, sed & vitalis, quæ sanguini & partibus alendis ut sunt partes animatæ competunt. Posterior hæc temperies à naturali statu recedens ad totius substantiæ morbos spectat, oriturque à putridis è corrupto & putrido hepate, ejusque sobole pravâ consurgentibus exhalationibus, quas, cùm putrida malignitatis habitum facilè induant, illius simpliciter expertes haud dixerim. Nam ut à minori ad majus colligamus, si vermes in intestinis stabulantes malignitate, convulsionum & epilepticorum insultuum causa totum conspurcant, quanto magis vermes in hepate corrupto geniti malignitatis causâ affligent totum. Continuo malignæ auræ appulsu vitæ regia cor confoditur, impressum partibus vitalitatis sigillum sensim obliteratur, & cùm vitalis irradiatio non continuetur, languescunt, atque sic regii ministri, hepatis scil. culpâ, cor cum toto tandem succumbere cogitur. Deficientis irradiationis signum præcipuum splendoris oculorum est amissio, quod in ovibus advertentes lanii nonnulli mactationem maturarunt, & corporis ad cadavera mox abjiciendi carnem venalem protulerunt, sed quo coëmentium & comedentium emolumento, è dictis sanitatis studiosus facilè cognoscit.

Verùm his omnibus vel maximè concessis annon malignitatis & pravitatis tinctura ignis & culinaris & animalis ope in chyli & sanguinis officiis extrahi & separari potuerint? quærenti dico, fieri quidem

dem quandam correctionem & suppressionem, sed non totalem iniquiorum qualitatum eversionem, qui debitam illam crasin ignis culinaris & animalis reducere nesciunt, tùm quia altius sunt impressæ & confirmatæ alienæ qualitates, tum quia specifica hæc operatio, si vel maximè speranda, agens suum specificum requirit. Ad hæc si prava cacochymorum alimentorum qualitas utroque illo igne non edomatur, neque in carne, quæ in quæstione est, edomabitur illa. Cucurbitæ & melonum frigiditatem, carnium induratarum crassitiem, cydoniorum vim adstrictoriam nec curiosa coqui manus nec vegeta naturæ nostræ virtus delet: premit quidem, sed non opprimit. Narcotica cerebrum, lepus marinus pulmones, cantharides vesicam cum cibis assumta recto tramite petunt, & ventriculi in coquendo ac segregando laborem, cordisque in sanguificando industriam eludunt. Recipiens nimirum recipit non ad modum inprimentis, sed ad modum receptivitatis suæ. Reservatis sic in corpore nostro ex carnis vitiosæ esu largiori quisquiliis putridis & malignis, iisque in substantiam nostram conversis, corpora ipsa disponuntur ita, ut malignarum febrium feracia, & propagato, exhalationum ope, seminio, alia ob affinitatem mox capacia fiant: aut admoto ab extra stimulo, variis ventris profluviis & tormentis affligantur. Diu in corporibus nostris qualitatum pravarum apparatum recondi posse, variolæ docent; diu venena in corpore sopita latitare posse, experientia comprobat, ut proinde ex læsionis evidentis absentia ad incolumitatem absolutam absolutè colligere non liceat, nec illam vulgò in aliis casibus svetam sequelam jactare: Esus hujus & illius nec heri nec nudius tertius mihi nocuit; Ergò salubris est.

Dictis jam si opponis hæc: venena & venenata animalia devorantibus noxam non inferre. Ergò nec carnem horum animalium. Illud variis ex authoribus transumtis exemplis ostendit inprimis *Gasp. à Reies Elisio jucund. quæst. campo, quæst. 63 pag. 482. Casp. Scotus Physic. curios. l. 3. c. 26. pag. 526. Lerius in historia navigat. in Brasil. Americanos* bufonibus vesci minimè exenteratis & tostis refert. Viperis, quæ venenatæ sunt feræ, tum canes tum feles sine noxâ vescuntur, atque etiam homines multis in locis, ait *Angelus Abbatius de admir. viperæ natur. cap. 4. p. 22.* Rec. 1. sic frustraneum fore omnem ciborum delectum insimul erit concludendum, quod absurdum. 2. ex particulari uno & altero non protinus universale licet inferre. Si vel maximè con-

mè concedamus, quosdam quorundam venenorum usum non læsisse, longè plures tamen à plurimis fuisse læsos experientia dictat. 3. De multarum historiarum fide viri doctissimi non sine ratione dubitant. 4. Distingu. in quibusdam animalibus venenatis inter totum & partes. Tota vipera est venenata, sed non totum viperæ. Carne ejus, abscissis capite & caudâ, abjectisque interaneis tutò utimur & in Medicina & in culina, eôdem *Abbatio* teste. 5. Distinguenda sunt venena, quæ vel pura sunt, vel simul juncta substantiæ alimentosæ: vel summæ activitatis, vel lenta & ignava: vel propriè & improprie dicta. 6. Constitutio spirituum vitalium vel communis est, vel specifica seu alexipharmaca, ut cum *Highmoro* loquar. 7. Distingu. inter desvetudinem & consvetudinem Assvescere venenis posse & quidem lentis, in exigua quantitate sumtis eos, qui alexipharmaca spirituum dispositione gaudent, non usque adeò repugnabimus: conditionibus autem illis deficientibus sanitas & vita deficiunt. Hominem se novisse *Gasp. à Reies* dicit, cui uxor & socrus, ut illum paulatim interficerent, quotidiè in cibis venenum in minimâ quantitate (sextam grani partem sublimati) subtilissimè permiscuerunt; sed post mensem malè ita habere cœpit, ut lecto traditus intra 9. dies perierit. Contra *Cardanus* quendam ex arsenici ℥j. illæsum permansisse scribit. Bufones autem in America ob regionis illius temperiem venenô carere, ipse *Lerius* existimat.

Partialis autem & incipiens si fuerit hepatis corruptio, carnis esus minus lædit, quia minus & sanguis & caro à statu naturali & temperie recesserunt. Nam tum minor ex hepate vaporum putridorum & malignarum exhalationum seges oritur, & in carnem virtutis robore adhuc conspicuam quasi superficie tenus traducitur. Traductam autem deinceps armata aromatibus coqui manus, & ventriculi calor fortis (modò fastidium ex imaginatione absit) infringere, cordis autem robur & decens corporis exercitium per reseratos corporis poros profligare possunt feliciter. Sententiam nostram binis obsignamus historiis, quarum alteram *Dn. D. Schenkius l. c. pag.* 38. tradit: alteram *D. Thonerus lib. 4. observat. Med. pag.* 211. recitat: Ita ille: Decertatum Patavii & Venetiis viginti abhinc annis inter lanios & incolas urbium gravissimè fuit, quod illi ex Ungaria boves advectos, emtos & mactatos in macello venditassent, quos tamen cives lue quâdam infectos

fuisse noverant, siquidem fluxu cruento alvi tentati plurimi perierant, translato nimirum ab uno ad alterum contagio. In consilium vocati sunt Medici Patavini, ut sententiam dicerent, qui statuerunt carnem hanc innoxiam esse esui, licet affectu quodam contagioso laborassent boves. Etenim non modo esse hoc contagium privatum & particulare, certo animalium generi proprium ex pabuli vitio contractum, sed & omnem istam malitiam sanguinis contractam fuisse & emendatam à prævia agitatione gymnastica consueta boum mactandorum, quemadmodum etiam constaret, quod & esu gratissima illorum caro, neminique inde morbus excitatus. Laudo & Medicorum sententiam, & *D. Schenkii* ἐπίκρισιν. Illam ideò, quia ab extra potissimum communicato contagio salvis visceribus oborta est in sangvine fermentatio & demum malignantis materiæ subsecuta excretio. Excreta itaque fuit, non ut in juvencis nostris in corpore retenta. Natura autem, quod ipsi etiam benè agenti sæpius ex accidente evenit, succubuit ob maximam in excernendo spirituum jacturam, tum ob excretionum frequentiam, tum ob malignitatis vehementiam. Quia verò vix omnis malignitatis nævus excretione illâ eluditur, ideò & ἐπίκρισις ista placet: Addimus nos: quasdam ejusmodi carnium nauseam & fastidium parere, si edantur, & si in dispositum corpus inciderint, latentem in herba anguem excitare. Unde non indifferenter omnibus concedenda est & suadenda. Longè aliter se res habet cum illis, qui integra & laudabili sanitate fruuntur, de quibus optimè dixit scripsitque *Hippocrates*, sanis omnia sana esse, *lib. de alim. & diæt. Thoneri* historia hæc est. Quæstio & controversia inter lanios & alutarios orta, utrum carnis ovinæ esus, si oves scabie infectæ, homini sit innoxius, illis affirmantibus, his autem negantibus, ita fuit decisa, rejectâ illorum opinione velut erroneâ, horum autem assertione comprobatâ. Etenim si pellis scabie inquinata, caro itidem impura est æstimanda, cum fons & causa effectrix massæ sanguineæ statuenda ipsum hepar, si id rectè dispositum ac temperatum, sanguinem probum ac laudabilem solet progenerare; sin verò devergat ad illam intemperiem, præsertim calidiorem & sicciorem, vel prava sit infectum qualitate, exin vitiosos ac corruptos humores pullulare in proclivi est, quos natura, cum ad nutritionem inepti, sequestrare & à massa sanguinea separare consvevit, eos per venas velut tubulos à centro ad circumferentiam propellens.

Cum

Cum igitur ovis ſcabioſa, facilis conjectura, ſanguinem in venis ſimul pravis humoribus inquinatum, qui ex venis capillaribus extillantes ſe in carnem & cutim inſinuantes ſcabiem concitant, cum regulæ illæ philoſophicæ perquam veræ: qualis cauſa, tale cauſatum, qualis materia, tale materiatum, quale alimentum, tale alimentatum: exin à pravo ſanguine caro haut proba provenire poteſt, & conſequenter talis caro inſalubris, varia morborum genera cauſare ſolet &c. Omnia hæc dictis noſtris congruere nemo non advertit.

OBSERVATIO CXC.

D. JOH. CHRISTIANI FROMMANNI.

DE

SERPENTE E CORPORE REIECTO.

CAſum adjicere placet ſingularem, anno LVII. notatum, & mox in prima diſputatione, quam in Illuſtriſſimo Athenæo, quod Coburgi eſt, habui, theſibus ventilationi publicæ ſubjectis præmiſſum. *Barbara Bretterin*, vidua paupercula, annorum circiter 26, conſtitutionis alias ſanguineo cholericæ; ſed deinceps ob mariti violenta morte peremti obitum melancholica & valdè contriſtata, extra urbem in tenui diverſorio ad urbis compluvium, lacum paludoſum ſito cum binis natis degens variis morborum injuriis per integrum annum fuit expoſita. Epilepſiâ enim, torminibus ventris, menſium ſuppreſſione, uteri ſuffocatione, externarum partium dolore, cardialgia, vomitu, urinæ ac alvi ſuppreſſione laboravit ſubinde. Scorbuticam mineram in ipſa latitare lotium prodidit: omnia autem ſymptomata ex illo fonte derivare ſana diſſvaſit ratio, rationem tamen omnium penetrare mihi non licuit. Ordinata pro ægræ facultatibus domeſtica remedia curationis ſpem quandoque aliqualem, ſæpe nullam fecerunt. Ipſa faſſa eſt, ſe ægram in parentum ſuorum ædibus per multas haud raro ſeptimanas Medicorum induſtriam defatigaſſe: majorem autem mihi laborem & curam tum ſymptomatum gravitas, tum ſumma illius egeſtas creavit; imò hæc animum alias inſerviendi paratum revocavit; cum tamen laborantis precibus exoratus non potui non reddere. Suffocationis periculum fuit frequens. Verſipellem autem uteri affectionem, quæ ſuffocatio dicitur, hic ludere primum ratus, rationem vaporibus ex utero exhalantibus, quamvis fluctuante

te non rarò animo adscripsi. Sed fluctuationem demum verba, quæ aliquando fecit ægra, animalis cujusdam intus latitantis suspicionem injicientia sedarunt. Diligentiori hinc inquisitione facta num arctior eam noctu somnus sepeliat, in præsenti quidem statu id negavit, ante verò sibi in stramine hiante ore recubanti soporem fuisse familiarem, quàm morborum agmina ingruerent, retulit. Interrogata de insectis, boam pluviis concitatis fœtore se prodere, bufones verò & ranas in domo sua insectis perviâ aliquoties sibi in contubernio conspectas, & jam nuper è cæmentitio pariete vivum quoddam velut serpentem, rictum lucii instar ostendisse respondit. Quærente de oris fœtore & famis tolerantia, illum sibi ferè intolerabilem, fame verò nonnunquam gravissimâ, quandoque nullâ se urgeri dixit. His & aliis persuasus mulierem reptitium quoddam animal in corpore suo fovere & nutrire, audacter exposui, quibus patiens, quod non tantum reptilis cujusdam animalis motum intra se, sed expressum velut è catello sugente suctus sensum perciperet, facile annuit. Arma igitur domestica in id direxi, & pulverem ex *rad. raphani marini* & *angelicæ*, quem *Tabernæmontanus* ad serpentes & vermes corpus humanum insidentes commendat, eoque salamandram ex viro, & tres ranas è fœmina quadam se exturbasse *lib. 1. herb. c. 13.* scribit, bis cum vino & bis cum *aqua cardui benedicti*, ad eosdem hospites à *Trago*, quod ejus ope è puero serpentem jecisset, *lib. histor. stirp. 2. c. 114.* laudata exhibui; decocta item ex *absinth. tanacet. centaur. min.* & similibus amaris ordinavi, ut magis magisq; versus crassa intestina descenderet animal. Per superiora enim id evocare ob suffocationis periculum, tutum non erat. *Allium* item, quod affatim comesum *Erasmus*, referente *Gesnero l. de serpent. cap. 5.* prodesse scribit, crudum & coctum dedi. Mulieri autem huic epilepsiæ non impræsentiarum tantum, sed & jam olim obnoxiæ affatim exhibere, non erat consultum. Lac quoque tepidum per inferius guttur sibi ipsi ad pelliciendum injecit, ejusque vaporem sæpe ab infra admisit. Illud injectum quandoque nonnihil cruoris, aliquando exuvias secundinarum instar vaccæ, quibus ægra ipsa comparavit, eduxit. Mire autem à dictorum exhibitione tumultuatum est animal, sic ut quodam die ad inferiora se receperit. Accito mihi de maximis circa uteri & inferioris gutturis regionem cruciatibus, frictionibus & rosionibus internis, doloribus item se parturientis instar corripi, sibique

aquam

aquam profluere fuit conquesta: quæ omnia ex uteri cum intestinis, vesicæ item cum iisdem & utero consensu deduxi. Expellendi conatum svasi, sessionem dissvasi, interim ut lac calefieret, ejusque vapor ad inferiores admitteretur, extemplo imperavi, de bestia tandem in auram ad votum proditura tacito lætatus animô. Verum mora tum in comparando tum in calefaciendo lacte sensim, epilepsia verò tandem superveniens prorsus expunxerunt. Redunti mihi incolam superiora repetiisse, & jam in latere sinistro degere, se vero per aliquot dies ob perpessos circa anum dolores graves sedere non potuisse; menses item hactenus suppressos in illa lucta copiosè redeuntes brevi post iterum substitisse, narravit. Die 3. August. aperuit ægra, se debilem, lactis desiderio heri captam, domesticæ svasu mulieris, cochlearia aliquot sumsisse, atque hinc quidem se δυσφορίαν quandam sensisse, hodiè verò bestiam per superiora exitum, cum magno suffocationis periculo, sibi ægræ intentato quæsivisse, superveniente postea paroxysmo epileptico: cujus lactis esu bestiam ad superiora fuisse pellectam, respondi. Denuò igitur curam auspicatus d. 5. August. *Mercurii purif.* ℈j. cum brodio carnis exhibui. Extra ad ventrem ordinavi hoc: Rec. *ungu. de arthanit.* ℥iß *ol. de absinth. hyperic.* ā ʒvj *ceræ* parum, adde *argenti vivi* ʒj F. ungu. Brevi post bestia indignationem suam transmissis ad caput malignis vaporibus, gravissimam circa frontem cephalalgiam inferentibus, testata est, ita ut à prandio me a-
frontem cephalalgiam inferentibus, testata est, ita ut à prandio me a-
vocarit ægra, mihique lachrymosa non dolorem tantum, sed & fœtorem intolerabilem, scybala interiora referentem, exposuerit. Ad dolorem ordinavi seq. linim. Rec. *ungu. alabastr.* ʒij. *ol. cham. rosac.* ā ʒiß. M. Item hoc errhinon: Rec. *aqu. majoran. rutac.* ā. ʒj M. Quiescente animali dolores remiserunt; illo autem tumultuante hi recruduerunt, in tantum, ut & tumor circa sagittalis suturæ initium in capite fuerit notatus. Et hæ illæ fuerunt exhalationes, quæ delatæ ad syncipur diris ægram cruciatibus confecerunt, delatæ verò ad nervorum principium epileptici insultus fuerunt auctores. Præsente me bestia egressum per superiora moliebatur, sed ad *absinthii* viridis, quod ægra bruti instar devorabat, usu, regrediebatur. A meridie, quia animal jam inferiora occuparat, pilulas cum potione amarâ dedi seqq. *Extr. mechoac. comp.* (cujus descriptionem *Dn. D. Martinus Dippoldus*,

 Medi-

Medicus quondam hujus loci experientissimus p. m. communicavit) ℈j. *extr. absinth.* ℈ß. *extr. angelic. gr.* vij. *aloes* gr. xj. *di agrid.* gr. ij. cum *sir. de absinth.* q. s. F. Pilul. N. xvij. Nulla hinc κάτω dejectio, sed ἄνω lentæ viscosæ & flavæ materiæ evacuatio præter intentionem secuta. Sic nauseabundus stomachus medicamentorum usum differre jussit. D. 8. August. iterum vocatus, supinæ præsens suffocationis periculum bestiam per os egressum meditantem minari adverto. Facies tumida, collum inflatum, venæ distentæ, reciprocus quasi vomendi & deglutiendi conatus aderant. Dum in auxiliando hæreo! en *tabacum* (quod ad dentium dolorem ægra in promtu habuit) cum fistula conspicio. Ad candelam igitur haustum tabaci fumum deductis dentibus in fauces aliquoties insufflo. Ægra auxilium præsentaneum sentiens, mox in hæc erupit verba. Ich kriege Lufft; reficior. A conflictu expetenti pulveris reliqui ex *rad. angel.* & *raph. mar.* quem hactenus ob vaporosam raphani substantiam negaveram, usum concessi: quo cum cerevisia sumpto bestia quasi injuriam potione illatam ultura, vellicationibus, rosionibus & variis tumultibus aliquandiu enormiter excruciavit fœminam. Expetenti eidem postea venæ sectionem, sibi olim singulo anni quadrante ad præservationem mali epileptici suetam, ob vires prostrates negavi, præprimis, quod in nupero illo mensium fluxu sat larga sangvinis quantitas, propriæ confessionis tenore, fuerat evacuata. D. 10. Aug. iterum accitus suffocationis periculum itidem amovi. Veteris corii fumum mulieri epilepticæ infensum, per os impellere non licuit, quem tamen *Marcus Gattinaria*, referente *Matthiolo Comm. in lib. 2. Dioscor. c.* 42. cuidam viperam in ventriculo foventi profuisse notavit. Cum enim, *ait*, innumera adhibita fuissent medicamenta, ipsaque alioquin efficacissima, tandem hausto per trajectorium fumo, immanis fera fumi nidorem persentiens, per annum egredi à circumstantibus visa est. Nostra verò ægra post tabaci fumum paroxysmo epileptico corripitur: quo finito lacrymis iterum & alta voce illatas sibi à bestia dolorum injurias exposuit. Remeantis itidem animulis conatum largo absinthii esu & pulveris *Tabernæmontani* usu inhibuit. D. 11. *bezoardicum animale* & pinguedinem in defectu olei ciconiæ cum brodio carnis. D. 12. ☿ *vivi* ʒj. cum *conserv. ros.* & hora 2. pom. has obtulit pillulas. Rec. *extr. mechoac. comp.* ℈j. *extr. absinth. rad. angelic. aloes.* ā. gr. vij. *resin. scammon.* gr. iiij. cum *sir. de absinth.* q. s. F. Pil. N. vij. Pilulis vix deglutitis convulsio-

vulsionibus ipsa prehenditur svetis, quibus finitis ventrem linimento supra præscripto inungere jussi. Binas noctu provocatas alvi dejectiones cum quodam impetu factas, fœtus exclusioni, non ratione quantitatis, sed motus, similes mane seq. diei narravit. Manus quidem in tenebris explorandi causa se emisisse, nullius verò vivi præsentiam se potuisse advertere; à primâ autem dejectione animi sibi obortum fuisse deliquium retulit. Manè ex cruentatis multum linteis luculentum hæmorrhagiæ narium prægressæ legit testimonium. Ter eadem die alvi sensit beneficium: prima autem ejusdem dejectio minimas cochleas, testa destitutas repræsentavit: altera flava, tertia vero atramenti instar fuit nigra. A meridie epileptici insultus breves & leves fuere; quos vesperi ventris intumescentia angustiam pariens excepit. D. 14. purgans aliud specificum præscripsi, sed, quod mirum, dejectionis spe excidit ægra, ingentes iterum experta capitis dolores, & varios animalis tumultus, cui ad superiora revertenti statim crudi tabaci esu in defectu candelæ obviam ivit. Die 15. *theriacæ* ʒj. *cum aq. cetosæ & scordii* exhibui, sudoris verò elicium, ne minera in intestinis latens maligna in venas raperetur, inhibui. A meridie autem ab epilepsia immunis cordis angustiam sensit. Die 16. debilis & enervis redeuntes à meridie epilepsiæ labores, breviores tamen subiit.

His igitur medicamentis incassùm hactenus adhibitis tandem duro huic nodo duriorem quærendum esse cuneum statuens, de *Mercurio vitæ* cogitare cœpi, cujus ope *Joh. Henr. Freitagius Catalog. test. veritatis chymiatr. obs.* 94. se bufonem vivum è puero decenni per superiora ejecisse scribit. Viam autem per superiora legere, animalis in muliere nostrâ crassities inhibuit. Promovendæ igitur ad inferiora operationis gratia *Mercurii vitæ* granis tantùm duobus *extracti mechoac. comp.* gr. xvij. junxi, & *in pilul. forma* d. 17. August. post 7. matut. non neglecto è *tepido lacte clysmate*, dedi, dato insuper monito, ut quocunque posset modô editum animal meis reservaret oculis. Bestia Mercurii ingressi præsentiam fugiendo & singula intestina perrependo durissimis itidem & longis ægram doloribus ad necem usque confecit, sic ut mulier humum jam prona jam supina peteret, jam extra, jam intra ædes se reciperet: nec prima alvi dejectio hora 11. facta ipsi fuit levamento, sed ad primam usque horam dolorum series fuit protracta, quâ tandem, facta in culina dejectione altera, gratam percepit alleviationem.

nem. Regressa postea frigidi cujusdam ad crura appulsum sentit, cujus causam indagatura mox humi serpentem cœrulei coloris, longitudine cubitali, crassitiei insignis in gyrum circumvolutum conspicit. Muliere manum ad furcam fornacariam extendente serpens in altum se vibrat: illâ ictum extensis brachiis meditante, succinctorio hic involat. Ægra perterrita, auxiliô, quòd sola in ædibus esset, destituta emissa altâ voce regreditur. Quâ verò ratione in contubernium fuerit regressa, se nescire mihi post quadrantem redeunti dixit. Eam tum humi prostratam velut lipothymiâ correptam offendi, sed ex pulsu somni præsentiam legi. Excitata temporis punctum, quô ad se redire posset, petiit, & postea rem ita actam exposuit. Sic; data serpenti effugiendi in cameram culinæ proximam reservandis lignis lignorumque ramentis dicatam, aliaque latibula quærendi occasio spem meam ad irritum rapuit. Mulier cùm post exclusionem *theriacæ* ʒj. in *aq. scordii* hausisset, elapsô horæ spatiô tantam abdominis inflationem & cordis angustiam, subsequentibus paroxysmis epilepticis gravissimis incurrit, ut sibi jamjam ad plures abeundum exclamaret, mihique ac adstantibus actis gratiis extremum vale diceret. Sed vesperi remiserunt ea symptomata. Die seq. mulieri de maxima debilitate & totius abdominis quasi ulcerosâ constitutione conquerenti tum aq. cordialem, tum oleum olivarum cum cerevisia dedi, & quæ fortunæ ac corporis ratio permisit, seqq. diebus ordinavi. Epilepticis autem insultibus, ut ante serpentis gestationem fuit infestata, sic post eam accedente pertinacissimâ alvi obstructione correpta fuit sæpè. Illorum tamen remissionem tandem *castorei & pulv. rad. pœon.* medicamentorum causæ specificè agenti specificè oppositorum usus creavit, facta à natura peccantis materiæ morbillorum ferè specie ad exteriora expulsione,

Mirum mihi semper fuit, ægram tanto laborum & dolorum oneri fuisse ferendo. Mirum serpentem è calido corpore in auram frigidiorem propulsum impetum mox in mulierem fecisse. Mirum eandem ac epoto vino, ut fassa est, fuisse magis molestatam, cùm *Aristoteles* & *Plinius*, ille *lib.* 8. *hist. anim. cap.* 4. hic *lib.* 10. *hist. nat. cap.* 42. vinô serpentes mirum in modum delectari, literarum suarum monumentis consignarint. Serpentem quendam mulierem inhabitasse, tùm symptomatum eo præsente præsentia, illo verò excluso, eorundem remissio, tùm curandi ratio ac propria mulieris confessio confirmarunt.

runt. An vero in eam incantamentorum maleficiis fuerit conjectus, an ex ovô serpentis cum aqua lacustri incautè hausto fuerit genitus, an denique dormienti mulieri in os, inde per fauces & œsophagum in ventriculum irrepserit, sub incudem disquisitionis tùm temporis revocavimus, quam hoc loco omittimus, & saltem, quæ nostra fuerit sententia, subjicimus. Vero autem similius nobis fuit visum, mulierem in ædibus suis reptilibus perviis, somnum humi incubando stramini aperto ore capere svetam, serpentem, minorem tamen, intra corpus per fauces aliquando admisisse: præsertim cum juvencula diurnis laboribus fessa ità semper sopore fuerit sepulta, ut, referentibus vicinis vix altum clamorem & concussiones validas à suscitantibus illatas perceperit. Nec me oris ac faucium angustia vel sensus acumen turbat. Neque enim tanta ea est, ut transitum serpenti minori neget; at in angustos admodum meatus serpentes se intrudere posse, aliàs constat. Hoc verò à graviori somno quasi obtunditur.

Serpentes clanculum adrepentes in os patens, & inde in ventriculum dormientis sese conjicere jam olim notavit *Hippocrates lib. 5. Epid.* ubi adolescentis cujusdam historiam habet, cui vino meraciori ingurgitato serpens, *Arges* dictus, in os ingressus est. *Tragus* locô suprà citatô simile ferè exemplum habet. *Gesnerus lib. 5. de serpent. pag.* 17. b. idem adseverat, & è *Cardano* historiam adducit: quibus calculum suum *Olaus Magnus lib. 13. cap. 9.* adjicit. *Virgilius* idem *lib. 3. Georg.* his voluit innuere:

Ne mihi tum molleis sub dio carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbas,
Cum positis novus exuviis nitidusque juventâ
Volvitur, aut catulis tectis aut ova relinquens.

D. Greg. Horst epist. med. sect. 6. exemplum habet mulieris, cui in gramine hiante ore dormienti serpens irrepsit, quem post exantlatos dolorum labores varios satis adultum tandem, cùm nauseam & vomitionem qs. strangulantem in horto incurreret, cum cibis assumtis unà rejecit, eumque avidè corpus vicissim petentem protinùs palâ, ferrô, acutiori munitâ, duas in partes divisit.

(Coburgio Svinfurtum ad Dn. D. Febr. mense Decembr. ann. 1675.)

OBSERVATIO CXCI.
D. JOHANNIS MICHAELIS FEHRII.
DE
NOXA CARNIS ANIMALIUM ÆGROTANTIUM.

VExatiſſima quæſtio eſt inter Medicos pariter & plebejos, lanios potiſſimùm & alutarios, num caro animalium morbidorum, e. gr. ſcabioſarum ovium, aëris rigore, aut fumo, aut ſale, aceto, baccisque juniperi, aut etiam igne culinari aut caloris noſtri innati robore ita corrigi poſſit, ut edendo ſit innoxia; ac negativam ſummô tuetur jure *Dn. D. Frommannus P. P. Coburgenſis*, præſertim in cacochymicis & otioſis, minusque laborioſis hominibus, ubi tantum abeſt, ut malitia iſta aut ab aëre, fumo, ſale, aceto, aut ope ignis culinaris aut naturæ robore vinci poſſit, ut potius ab eadem victus & infectus Archeus noſter majori poſtea malo viam ſternat, aliisque nobiscum viventibus tractu temporis funeſtum quandoque contagium attrahat, cujus exemplum refert *Borell. cent*, 2. *obſ.* 32. juxta tritum illud,

Quo ſemel eſt imbuta recens conſervat odorem
Teſta diu.

Multò minus ignis culinaris malignitatem iſtam evertere poterit, nec fumus, ſal, acetum, aut baccæ juniperi cum herbis ſalutaribus; id quod notabili quâdam hiſtoriâ ab Amico nuper mecum communicatâ confirmo:

In tractu *Wirtenbergico* paganus quidam ſordidâ captus avaritiâ morbidam & ad collum tumefactam ſuem mactat, eamque in fruſta diſſectam & ſale largiter conſperſam in cadis aliquandiu macerat, pòſt fumo exponit ſolito diutius, induratâ ita, &, ut putabat, egregiè correctâ carne ſæpius & opiparè cum domeſticis ſuis veſcitur Euclio, idque demum exactô à mactatione ſuis trimeſtri integrô, ſed triſti cum eventu, vix enim octiduum abierat, en uxor & maritus ſimul caput dolent, intumeſcit facies, vertigine corripiuntur & crebrâ lipothymiâ ambo; venæ ſectio ſtatim inſtituitur, offertur theriaca, ſed maritus brevi exſpirat; ejusdem filius 12. annor. eôdem modô maloque correptus, patrisque ſubitaneô obitu perculſus & ipſe repentè moritur; Contagi-

um hoc grassatur statim in omnes, quotquot hâc morbidâ carne in victu usi erant.

Magni igitur interest Reipublicæ, ut à Magistratu politico certi lanionibus constituantur carnium inspectores & in ejusmodi morbida pecora severius inquiratur, ne venum illa publicè exponantur, aut privatim aliquod contagium suscitetur, quòd pluribus deinde exitiosum sit & funestum; Rei quoque Medicæ plurimum interesse videtur, ut non tàm quadrupedum, quam volatilium, aquatilium & insectorum, quæ quidem ex iis nobis vesca sunt, aut in usum medicum vocantur, præsertim autem vegetabilium, quorum à condito mundo creberrimus semper usus fuit ac esus primarius, Nosologia & corruptio accuratiùs investigetur, pleniùs excolatur, & egregio hoc colophone diæteticæ suum complementum adornetur, quod impensè desiderat *Nobilissimus Velschius*, augustum illud Augustæ urbis orbisque literati, cumprimis autem Chori nostri Asclepiadei sidus in curiosissimâ sua *Hecatost.* 1. *p.* 128. & alibi.

(*In literis ad Collector. Ephemeridum d.* 13. *Decembr. ann.* 1675.)

OBSERVATIO CXCII.

D. SALOMONIS REISELII,

CONJECTURÆ SUPER LANGELOTTIANOS DIU SUBMERSOS OBS. XX.

Casus submersorum, quos Clariss. *Dn. D. Langelott* proposuit, primus, quo quidam *per sexdecim horas* in gelidissima aqua obriguit, sed post extractionem tepefactione servatus fuit, rarus quidem est: alter verò, quando post *tres dies* mulier demersa liberata fuit, rarior: tertius denique quo Burmannianus adolescens *septimâ demum septimanâ* in vitam revocatus, fidem omninò, (ut ipse loquitur) excedit omnem. Quærit ergò Excellentiss. Vir; *quomodo homo sine aeris beneficio tamdiu ignem vitalem in aquis gelidissimis, multoque nitro refertis conservare possit?* Verùm cum quidem absit à me longissimum dubitare de veritate istius historiæ, quandoquidem & *P. Borellus Medico-Physicar. hist. & observat.* 2. *Cent.* 2. referat, Nobilem Dn. de S. P. sub aquis submersum diu remansisse, & tandem repertum pro mortuo habitum, fuisse ad vitam revocatum admotis cordi panis assi micis aqua vitæ calida imbutis, idque sæpè renovando, reliquis

liquis verò partibus frictionibus rubefactis, idque in lecto calido, diuque in posterum vixisse. Rationes autem ejus veras reddendas, cum mihi ipsi promittere nequeam: liceat tamen conjecturas meas substituere, sed Physicas solùm. Nam si de divinâ conservatione quæstio sit, minus dubia erit hic, quàm quæ fuit in arca Noë in incluso illic aëre, & à tot animantibus fœtore orto, quod *Sal. Gesnerus Disput. in Genesin* notavit. Itaque

Non impossibile esse, ut vivat homo diu sub aquis sine respiratione, seu ut vitalis ignis sine aere diu conservetur, concludo:

1. *Ab Analogiâ insectorum volatilium, amphibiorum & aquaticorum.* De insectis & volatilibus quibusdam fieri, ut per totum hyemem sub limo aut in foraminibus lateant quasi emortua, redeunte dein solis vel hypocausti calore reviviscant, dubium est nullum, idque affirmat de hirundinibus & ranis *Joh. Schefferus Upsaliensis Prof. in Actis Philosoph. Angl. n. 19. cent. 3.* Ranas extra aquas respirare, non æquè intra aquas oculis cernitur, si vitro incluseris. Aquatica plurima, capite sub aquis dum versantur, pastumque quærunt, ut anates, buteones, castores, anseres, olores, non respirare, Zoologi testantur.

2. *Ab exemplo urinatorum & fœtus uterini & morbosorum quorundam.* Ut alatorum perniciem, quadrupedum ferociam, sic & aquatilium mores imitari conatus est homo. *Urinatores* enim, veluti mergos sine ullo artificio apertis oculis, auribus & naribus solâ adsvefactione edoctos, sine ullâ respiratione longo spatio vivere posse, testes sunt & antiquiores & recentiores. Nam de artificiosâ retentione per fibulam corneam & inspiratione per dolium, aut tubos aliasque artes sub aquis dicere nihil juvat.

Herodotus ait, Scyllam fuisse Urinatorem Sacyonium Themistoclis ætate, qui etiam in naufragio ad Pelium facto, multam pecuniam Persis servaverit, plurimaque sibi lucratus sit.

Nicolaus quidam, Colapiscis cognominatus ex Apuliâ oriundus, à puero aquis assvetus degebat inter marinas beluas multos dies continuos illæsus, & profunda pelagi scrutabatur, futurasque tempestates prædicebat, citante *Cardano l. 2. de subtil.* Idem famosissimus urinator continuâ conversatione in aquis ita à naturâ suâ degeneraverat, ut potius amphibium diceretur, quàm homo. Regisque Siciliæ mandato se demisit in fundum charybdis, indeque attulit mirandam relationem condi-

conditionis illius loci, quam historiam prolixè narrat *Athan. Kircherus in Mund. Subter. lib. 2. cap. 15. p. 98.*

Nic. Christ. Radzivilius Dux, epist. 3. itineris Hierosolym. scribit: Ægypticos piscatores sub aquis turbidis diu jacentes, manibus pisces capere, prædones sub aquis se detinere, ut prætereuntes naves aggrediantur, eosque quod ipse viderit, respiraturos, caput non exerere aquis, sed aperto ore spiritum emittere. Porrò certum esse quod totum diem sub aquis possint occultari, & respiraturos natare sub altitudine aquarum capite tamen non exerto.

Baro Verulaminus L. 4. de Augm. Scient. urinatores Delios & piscatores Perlarum mirificè anhelitum cohibere posse affirmat: & *Histor. vitæ & mortis Atriolor. mortis, hist. §. 17.* tempus determinat, dum ait, perpetuò illos usu & consuetudine *decuplum temporis* ad minimum retinere anhelitum, plusquam pro ratione aliorum hominum. Cui concordant in *Actis Philosoph. Reg. Soc. in Angliâ Num. 43. Cent. 2. Responsa D. Phil. Vernattis de Java minore.* Diutissimum tempus, quo margaritarum piscatores in hisce climatibus sub aquâ durare possunt, est circa *horæ quadrantem;* nec aliâ ratione, quam consuetudine utuntur: nam margaritarum piscatio non amplius sesquimense durat, nec piscatores diutius sub aquâ in fine tempestatis, quam in initio manent. Hic ad Bataviam reperitur expertissimus mersor, qui stipendia solummodò pro quærendis anchoris, tormentis bellicis &c. in portu submersis meretur. Ipsum sæpius vidi dum descendebat, meumque spiritum exire inhibui, sed decies sub aquâ permansit diutius, quam meum spiritum potui continere. Sed nunquam ut descendat inducitur, nisi integrum aquæ vitæ poculum ipsi propinetur. De quibus sic judicat *Bartholinus l. 2. c. 10. Anat. Ref.* Hi sine dubio vel transpiratione solâ vivunt, sicut in apoplecticis fit & suffocatione uterinâ; vel anastomoses in corde pervias habent, quibus ut in utero, libere, sine motu pulmonum, sanguis moveatur. Quibus addas, urinatores istos propter longam adsvetudinem, cujus magna vis est, securos & audaces, prædæ & lucro inhiantes instar mergorum pastui intentorum sine ullo metu sese demittere & spiritum facillimè retinere, ideoque apertis oculis & auribus vident, & audiunt sub aquis, atque fluctibus innatant levissimè: cum contrà qui timidi sunt, & natare imperiti, vel ob subitaneum illapsum & frigus consternati, nesciunt quid agant, per arterias

 ampli-

ampliatas pro ſpiritu attrahunt aquam & tandem ſuffocantur: hinc oculos confuſi & turbati vario motu & aquarum illiſione lædunt; auribus aquarum præcipitem illapſum ſentiunt, majusque periculum metuunt; & inquietudine iſtâ corpus æqualiter elevare neſciunt, ſed profundiſſimè delabi patiuntur. Talem mentis turbationem & pejoris metum ſentiunt hydrophobi, & qui improviſo aquarum delapſu terrentur frigidarum præſertim, dum apertiſſimo quaſi ſingultiente ore, & corporis totius emotione ſuffocationem effugere conantur.

Fœtum in utero vivere, nec tamen reſpirare, omnes conſentiunt: ſed ut ſtatuit, quem inſtar omnium adduco, *Th. Bartholinus Anat. Reform. lib. 2. c. 9. ventilari* à matre, patulis anaſtomoſibus, *& lib. 1. c. 36.* ſolam *tranſpirationem* & materni ſanguinis ventilationem ſufficere embryoni, cujus ſunt immobiles pulmones, niſi vagitus uterinus ſuperveniat, *Rob. Boyle in nov. experim. phyſico-mechan. citante Clariſſ. D. D. Franco in Satyræ med. continuat. 6. p.* 12. aere, ex quo reanimat reſpirationem ex Hipp. præſuppoſito in membranis præter humores contento, ut vult *Gvalter. Needham. in Disquiſit. anatom. de format fœtu c. 3.* qui *cap.* 5. peculiariter tres in fœtu anaſtomoſes obſervari docet, *foramen ovale, canalem arterioſum in corde & venoſum in hepate*, quæ eodem nato confeſtim obturantur; *& c. 6. Bartholino* aliisque qui cum ipſo faciunt, contrariatur circa amphibiorum reſpirationem, allegans ſe nullum urinantium animalium vidiſſe, cui foramen ovale poſt partum non fuerit occluſum. Credit enim *Bartholinus lib. 2. cap. 8.* in aquaticis ſemper patere, quia ſine pulmonum uſu inſtar fœtus in aquis ſubinde degunt. Eamque *Thomas Corn. Conſentinus progymnaſ. Phyſico 7.* tam firmiter comitatur, ut non dubitet, quin arte & curâ ductus illi peculiares animalium in utero non reſpirantium poſſint præſervari integri, & eò redigi, ut creſcant & perficiantur cum aliis partibus animalis, ita ut adulti etiam poſſint vivere vitam amphibiorum, conſuetudine ſcilicet ſpiritum contrahendi obſtructis ore & naribus, exemplo urinatorum, quos allegat.

Apoplecticos fortes ſine pulſu & reſpiratione vivere adhuc; itemque ſuffocatas ab utero, ecſtaticos & catalepticos & ſuſpenſos. Quosdam in deliquiis, febribus malignis aliisque morbis rigidos & pro mortuis habitos, etiam ex ſepulchro rediiſſe & revixiſſe, in quibus reſpiratio ſiluit, docent præter quotidianam praxin hiſtoriæ, quas habet

bet *Kornmannus c. 16. de miraculis mortuorum*, & *Wierus de præstigiis Dæmonum. Forestus 10. de cerebri morb. observ.* 79. & *Joh. Matth. cent. diff. med. quæst.* 5. & *Baro Verulamius Atriolorum mortis histor.* §. 34. Imò *Jul. Cæs. Claudinus Respons.* 14. decidit ipse quæstionem, an vita in hominibus, ablatâ respiratione, perseverare possit? affirmatque exemplo mulierum hystericarum solam transpirationem satis superque sufficientem esse.

3. *A fine respirationis & usu pulmonum.* In tot ferè vias abeunt hîc Philosophi & Medici, in quot ramos aspera arteria. Alii pro culcitra & substerniculo, alii pro cribro, alii pro præparatorio spirituum, alii pro follibus pulmones accpiunt, alii magis, alii minus necessarios & utiles laudant.

Pulmonem (adeoque respirationem) *ad vitam absolutè non esse necessarium*, sed ad cordis commoditatem, quæ sunt *aeris cordi* præparatio pro spiritûs lucidi alimoniâ convenienti, & caloris ventilatio & refrigeratio, præter vocis moderationem vult *Th. Bartholinus lib. 2. c. 9.* Hinc quo major vel minor calor est in animali, eò simpliciorem vel artificiosiorem apparatum circa respirationis instrumenta, vel nullum fabricata est natura parens: Unde pisces pulmonibus carent, alia animalia uno cordis sinu prædita: unde fœtus in utero, & aquatica capite sub aquis versantia, cum respiratione & refrigeratione tanta non indigeant, singularem habent & servant per totam vitam conformationem cordis, vasorumque ejus, canaliculum puta & foramen ovale, quod præter ipsum notavit *Henr. Regius Philos. natur. l. 4. c.* 11. Unde animalia longius vel brevius anhelitum cohibere possunt, prout majori vel minori indigent refrigerio, sec. *Verulamium.* Quandoquidem verò ipsa refrigeratio, quam quærimus, non ab aere exspectanda, secundùm *Sperlingium*, qui *Exerc. 2. de aere propos.* 5. contendit: Aerem non esse respirationis materiam, sed aquam, quia hæc propriè refrigerat illi admista, qui indifferens sit ad caliditatem, frigiditatem, humiditatem & siccitatem; ut itaque pro submersis nostris facilè refrigerationem sub aquis sicut pro fœtu in utero inveniamus: quamvis neque aeri patrocinium suum denegandum est. Nam ut homini & brutis pro respiratione & refrigerio suo, aqua sola non sufficit, ita nec aëre ipsis sub aquis pisces carere possunt, quoniam ii in aquâ glacie totaliter & diutius cooperta suffocantur. Mixta enim sunt omnia, & pe-

& pelagus ipsum *Hippocrati de flatibus*, particeps est spiritus. Ubi verò diligenter examinandum esset, (quæ verba sunt *quæst. promisc.* 21. *num.* 19. *Actor. Philos. Angl.*) utrum frigus potius, an defectus alterationis seu fluxus, aut ventilationis aquæ, an verò aëris defectus pisces perimat.

Præter refrigerationem pulmonibus usum proprium assignat *Bartholinus* in inspiratione aërem cordi præparare pro spiriti lucidi alimonia convenienti. Spiritus enim vivus, inquit *Baro Verulam. hist. vitæ & mortis Atriolor. mortis histor. §.* 1. videtur tribus indigere, ut subsistat: motu commodo, refrigerio temperato, & alimento idoneo & convenienti inquam. Quemadmodum enim aër purissimus, qualia de monte Periacacca refert *P. Atosta*, occidit aut nocet secundùm *Marcum Marci*, ita nec occlusus aut præcalidus aut frigidissimus convenit; nec fœtidus, aut effluviis noxiis carbonum, mineralium, calcis & gypsi pestifer; nec subito nimis mutatus: unde in casu primo refertur, nullum submersorum servari, qui statim libero aëri exponatur. Cœterum quomodo spiritus iste vitalis nutriatur, & quid sit, inter tot tamque varias opiniones quis arbiter erit? *Sennertus in de cons. & diss.* spirituum insitum non ex elementis esse, sed illis superiorem docet, sed alibi aliter. In quem ideò *Herm. Conringius de calido innato. c.* 5. egregiè animadvertit, atque probat, calidum cordi innatum ignem aliquem esse, à cordis substantiâ distinctum. *Th. Willis. Exercit. physiolog.* ipsam vitalem & sensitivam animam igneam declarat. Ast ingenuè *Mœbius* inquit: Hic ignis calore quidem elementarem naturam redolet, sed virtute occultiores easque imperscrutabiles qualitates repræsentat, quas in hâc humanæ mentis imbecillitate nemo satis explicare poterit. Interim ipse *Sennertus* spiritum dictum calidum esse innatum vult, quod alii ex humido radicali, spiritu insito, & calore primigenio constituunt, eaque omnia nutriri suo simili, id est, cibo, potu & aere ritè præparatis. Ubi tamen iterum maximè differunt Auctores, *Highmorus* aerem ad spiritus vitalis generationem non concurrere asseverat, negando aeris substantiam thalamos cordis ingredi posse, qualitatem verò admitti concedendo. *Willisius* ut ignem elementarem, ita & vitalem nutriri pabulo aereo duplici nitroso & sulphureo per aerem dispersio, *l. antea cit.* ostendit. Quod pabulum, cum & in aquâ inveniamus,

amus, monstrante illo ipso, pro submersorum nostrorum salute fecisse credendum est.

Porrò *Joh. Swammerdam. lib. de respir. & usu pulm.* sentit (*ex censurâ Actor. Reg. Soc.*) quidem omnes Philosophos, qui hactenus investigârunt naturam usumque respirationis, umbram duntaxat ipsius, nihil de ipsâ verâ substantiâ cepisse, statuitque respirationem esse motum thoracis & pulmonum, quo aër nonnunquam impellitur per nasum, os & arteriam asperam in pulmones; & inde rursus expellitur, in *ulteriorem sanguinis elaborationem*, per ejus refrigerationem & separationem fuliginosorum ejus vaporum; & in perductionem ejus hâc ratione ad ultimatum & supremum perfectionis fastigium ad conservationem vitæ animalium: An tetigerit, judicent alii. Paucis additis *Henr. Regius Medicinæ lib. 1. c. 7.* respirationis usum facit, ut aer impulsus non fugâ vacui, sed ætheris pulsu refrigeret & fermentet sanguinem, & fuligines atque vapores secum ejiciat. Contrà *Alex.* Maurocordatus *Constantinopolitanus in Differt. Philosophico-Medica de motu & usu pulm.* demonstrare satagit, pulmones non esse flabella cordis, quæ (refrigerando) ventilent & fuligines expellant aut muscas procul arceant, sed esse pnevmaticum circulandi sanguinis instrumentum & cordis calorem accendere, instar follium, quorum ministerio ignem accendimus, adductis non levibus argumentis, quæ inibi videantur. Quibus affinia sunt & *Gvalteri Needham. disquisit. anat. de format. fœtu*, qui pulmonum munus asserit, perpetuâ suâ agitatione *comminuere sanguinem*, & sic debitæ circuitioni aptum reddere: & *Thomæ Corn. Consentini*, qui respirationem ideò necessariam esse evincit, ut sanguis per aeris impulsum *moveatur*. Verùm ne tempus teramus aliorum opinionibus accumulandis, acquiescamus in promissis *Dn. Hoockii*, *qui num. 28. cent. 5. Actor. Phil. Angl.* confidit per experimenta detectum iri, quis sit *verus respirationis usus*, cui interim per experimentum follis præservantis vitam canis per integram horam probari videtur, uti simplex pulmonum motus sine novo aere nihil ad animalis vitam contribuat, dum æquè superstes maneat; pulmonibus quietis ac motis, ita nec pulmonum depressionem seu quietem mortis immediatam causam esse, aut sanguinis circulationem impedire, sed defectum potiùs *novi aeris supplementi*. Mitteremus itaque etiam *Johannis Mayow. tract. de respirat.* sententiam, nisi novum illa nostris daret submersis argumen-

Kk tum

tum suæ conservationis. Asserit enim ille ex aëre inspirato nonnihil vitæ prorsus necessarium sanguini communicari, quo, quicquid sit, exhausto, inutilis factus est aër, neque amplius respirationi idoneus, vocatque hoc nitrum aëreum, quod partibus sanguinis sulphureis commixtum fermentationem debitam quandam efficiat: facere illud nitrum explosione suâ ad motum cordis, & ideò per tempus aliquod sine respiratione vivere licere, quia sanguis in pulmonum vasis contentus, & satis aëre impregnatus motui cordis saltem momento temporis sustinendo sufficit.

Nitrum ergò hoc aereum sive à subito frigore & congelatione exteriorum partium coactum adhuc latuerit, sive sub aquis, quæ fortè illo non carent, auctum, certè, non deperditum, sed potiùs conservatum fuerit, isto tempore potuit sufficere ad servandam vitalem flammulam.

4. *A comparatione aliarum facultatum.* Feriari aliquando non saltem per dies & menses, sed & annos *naturalem* facultatem tam necessariam pro conservando & restituendo corpore, *Fortunius Licetus* inter alios, multique alii ostenderunt.

Animalem quoque facultatem pariter sensitivam quàm motivam quiescere, in cogitatione adeò intentâ, ut nihil cogitare nos sentiamus, ut nihil videamus etiam apertis oculis; ut audiamus quasi attoniti & abrepti nihil, in ecstasi, catalepsi, paralysi, aliisque soporosis affectibus patet. Quid ni ergò & *vitalis* possit facultas aliquandiu vel otiari vel gliscere sine flamine inspirati aeris in submersis, tanquam sub cinere tectus ignis?

Favet hic nobis casus singularis & admirandus verissimus, quem proponit *Gregorius Horstius in Σκέψι Physico-Medica de cadavere juvenis, sclopeto occisi cruentato sæpius & sine conditurâ ad septimanas septem usque sine fœtore & putredine spectato.* Ubi pro veritatis investigatione problema subjicit: An corpus humanum post mortem aliquot septimanis colore & habitu floridum, incorruptum, absque putredine incipiente naturaliter, nullo artificio accedente, durare possit? pro Affirmatione fundamentum tertium ponit: Non esse de necessitate δυνάμεως θρεπτικῆς, facultatis nutritivæ & sensitivæ, ut semper animam rationalem actu cooperantem habeat. Conclusionem infert: Non esse impossibile corpus humanum in humiditate & siccitate temperatum &

juveni-

juvenile, violenter occisum, per septimanas aliquot (septem) in habitu & colore viventi respondente conservari posse naturaliter. Accommodat problema ad casum suum præsentem; affirmativè tàm propter interna principia, calorem nativum fortissimum insitum, qui per violentam mortem in momento aut paucis diebus non potuit extingui, sed remansit, non quidem perfectè, sed eo modo ut conservationi atque defensioni à putredine per id tempus sufficiens esse potuerit: Influens enim perit statim in morte, cum insitus sensim ad interitum tendat; quam propter externa principia, inter quæ causa sine quâ non fuerit aeris constitutio temperata. Quem si nostris casibus applicemus, eandem de non impossibili conclusionem inferemus, persvasi nimirum

5. *A dispositione submersorum istorum peculiari.* Robusti enim hi nostri in juvenili aut virili ætate constituti, præditi humido primigenio & calido innato tenaciori & vegetiori, quam facilè in aliis invenire sit, quod ex ipsorum longævitate post restitutionem apparet, (qualem tenacitatem in insectis dissectis & post dierum aliquot spatia adhuc viventibus & moventibus experimur) ipsa hieme in frigidissimam & nitrosam aquam illapsi, nervis factis rigidis, stupefacti non traxerunt spiritum, aut loco spiritus vel aeris subsequentem aquam, ideoque nec suffocari potuerunt, sed mansere quasi cataleptici (instar quorum hos Clariss. *D. D. Seb. Schefferus* esse censet *in literis 30. Aug. 1675.*) languescente quidem interim igne vitali, concentrato tamen propter circumstans aquæ frigus, sed nondum extincto, sed servato eousque, donec majore vi (ut ille conto) excitati in aerem redeuntes ventilatione iterum eguerint planè, velut embryo in auram exiens ventilatione aeris opus habet, qua in carceribus uteri conclusus non indigebat. Quippe si in Horstiano inanimi cadavere color sine putredine ulla servatus fuit in temperato aere, cur non magis præsente adhuc anima in frigido conclusus calor & corpus quasi conditum potuit usque ad resuscitationem durare. Immò si vera est relatio, quæ tamen *Mœbio* omnem fidem ferè superat, *L. Bnis de Herberstein in comment. rerum Moscovit.* de Lucomoriæ populis, eos naribus glacie pituitæ obstructis quasi mortuos jacere per hiemem, & singulis annis reviviscere; facilè in submersis & frigore rigidis, patebit conservationis ratio, cum & in Helveticarum alpium speluncis venatores carnes prædarum suarum diutissimè didicerint frigore condire.

 6. *Acon-*

6. *A conservatione alimenti Lampadum æternarum*, quarum tamen fidem in dubium vocat *Ken. Digby Demonstr. Immort. animæ rat. tract. 1. c. 7.* & si fuerint aliquæ, artificiosa quadam alimenti circulatione fieri posse putat. Hæ si luxére tamdiu, & maximè celebris illa maximi Olybii in agro Patavino eruta, ut post *Hermol. Barbarum Petrus Apiarius, Bartholomæus Amantius, & Fort. Licetus* auctores sunt, mutuare possunt nostro vitali sub aquis incluso igni à frigoribus concentrato & circulato lucem aliquam & fomitem.

7. *A resuscitandi aliis modis.* Supra laudatus *Borellus Cent. 3. obs. 58.* refert à servo, Dominum suum sepulturæ condendum insufflatione diutissimâ in vitam veluti à Propheta puerum revocatum fuisse, cum afferatur, ægros conclamatos sæpissimè revocari ad pristinum habitum, & in Indiâ quædam sit medicorum secta, quæ morbos omnes sola curat insufflatione. Neque prætereunda hic alia resuscitandi submersos ratio, quâ proni in terram extenduntur, & plantis pedum baculo percutiuntur, quales observationes binas citat *Sachsius* ex *M.S.S. D. P. Castro in Ampelograph. l. 2. sect. 5. capit. 3.* ubi addit: sed oportet, ut submersi ultra horas aliquot in aquis non jacuerint. Nam ut demonstrat *Paul. Zacchias in quæst. Med. Leg. L. 5. tr. 2. quæst. 11. §. 3. & 4.* suffocati moriuntur potius ob cohibitam respirationem, quàm ob aqvæ ingestæ copiam: quæ tamen suo sensui & experimentis relinquenda. Adjungenda quoque *Baronis Verulamii* observatio *Atriolorum mortis hist. §. ult.* ubi inquit: Audivi etiam de medico adhuc vivente, qui hominem, qui se suspenderat, atque per horam dimidiam suspensus manserat, in vitam, fricationibus & balneis calidis reduxerat; quiqve etiam profiteri soleat, se non dubitare, quin suspensum quemcunqve ad tempus prædictum revocare posset, modò cervices ei per impetum primæ dimissionis non fuerint effractæ. Neqve negligenda denique illa ratio, qua quidam Libitinæ tradendus oleo qvodam destillato præcalido vertici infuso revocatus fuit, planè ut sartagine fervefacta vel cucurbitulis capiti applicatis, (qvibus *Fracastorius* nutu indicatis, sed quod non intellectus esset, neglectis, periisse creditur) excitari solent.

Ex his igitur tenuium argumentorum filis unitis fortius vinculum nodumqve nectimus, & probabiliter, si non demonstrativè concludimus, submersos Langelottianos propter tenax humidum radicale instar insectorum & volatilium, retento propter frigus catalepticum

è torpente spiritu, refrigerato & ventilato satis simulque nutrito & condito sanguine, otiante quoque vitali facultate, in florenti ætate, robustoque corpore, per rigidissimum frigus repellens, circulato intus alimento vitalem flammam potuisse servari, fortiorique tandem sensu excitari & moderata recalefactione resuscitari naturaliter, divinâ tamen sic jubente Omnipotentia.

Sed objiciet fortè quis, cui usui ista tam otiosa & anxia disquisitio de re vix credibili? Ei cum *Scaligero* respondeo. Sapientibus *Aristoteles*: Ubi res constat, si opinio adversetur rei, quærendam rationem, non rem ignorandam. Et si vel nullum aliud commodum inde oriretur, quàm quod submersos aliosque inanimes revocandi & vitam in iis quærendi, diversi modi uno intuitu conjungantur, & caveatur, ne submersi statim (velut apoplectici, ecstatici & suffocatæ ab utero non ante tertium diem) sepeliantur, sufficeerit mihi. An aliis satis fecerim, judicent ipsi.

Verùm enim verò fortè omnem denique scrupulum movebit, si consuleretur *Mart. Carceus de Karczagh Uiszallasa Cumano-Ungarus*, qui in *Disputationis Chymico-Medicæ sub Sylvio habitæ Corollariis* hæc habet: Datur vita humana salubris & sana absque respiratione.
Per diem si respiratio ac pulsus absit, non statim mors est.
Imò sæpè anima rationali ex corpore exeunte vita manet.
Daturque vitalis ignis (in corde extincti) per artem accensio,
Ut & hominum agonizantium per elixiria ac balsama vitæ Chymicis nota, ex orci faucibus ereptio & quasi resuscitatio.

OBSERVATIO CXCIII.

D. SALOMONIS REISELII.

DE

URINA NOCTU LUCENTE.

ANno Salutis 1674. 23 Novembris, qui pluviosus erat & sextus à Novilunio, hora sextâ vespertinâ domum rediens ante portam ædium mearum minxi in tenebris ad basin columnæ saxeæ, ubi sæpè prætereuntes homines aut canes suam alliserunt urinam, & juxta quam ex aulâ impuritates per canalem aqueæ defluunt. Hîc in an-

in angulo quem terra & columnæ pes facit, inter mingendum & aliquandiu post oculos perstrinxit, fluor igneus instar ligni putridi aut sulphureæ flammæ lucens, & more lumbrici reflexus & undulans, mox stans & immobilis (quæ figura ideò apparuit, quod per & super & juxta canalem fluxit, antè canalem verò confluxit urina) cujus tamen vestigia aut fomitem superstitem neque in obscuro, neque admotâ luce ampliùs observare licebat, ubi redirem cum domesticis, quos ad videndum vocabam & experiundum, an illis admejentibus idem contingeret. Nec verò vel mihi eâdem nocte, sequentiumque aliquot noctium eâdem aliâve horâ mictionem repetenti, vel illis statim similia facientibus tale quid obtingit. Quod tamen eò magis ad mentem revocabam, cum similium mihi circa seculi hujus quinquagesimum & octavum circiter annum evenisse meminerim, quòd urina, quando noctu ad murum mingerem, defluens, & guttis suis scintillarit, & filo suo luxerit.

An olim, an hodiè cum secundo vel adverso omine lux hæc affulserit, non recordatus neque observans, neque anxius fui, sategi tamen causam ejus veram inquirere. Quapropter & consului varios scriptores, & rogavi Medicos aliosque literatos, ut communicent, si ejusmodi in urinâ lumen observârint; verùm nihil offendi præter propriam mox secutam observationem *Dn. Georgii Ludovici Pettenkover Med. Lic. Wormatiensis.* Huic 1. Martii 1675. hora octavâ nocturnâ, ipsa quidem plenâ lunâ in virginis signo & ad ortum stante, ita tamen ut ejus radii à proximo muro, qui dorso mingentis oppositus erat, interposito impediti fuerint, cùm in horto suo sub cœlo libero eam excerneret. Luxit autem satis clarè instar crystalli undulante quodam flumine, tamdiu donec in terram arenosam colata seu absorpta fuerit. Tetigit igitur digito adhuc lucentem lympham, sed in digito nihil lucidi remansit, sensit tamen aliquid mucosi, quòd à cerevisiâ, quam præter morem eo die biberat, crassiusculâ provenisse suspicabatur. Scrutatus etiam candelâ illicò, nullum reperit fomitem vel materiam. Tentanti deinde & eâ ipsâ, aliisque noctibus, nihil iterum apparuit luminosum.

Reverso itaque sole & emenso totum cœlum ipsa denuò Novembris 23. diei nocte & sequentibus periculum feci, noctibus talia experiri. Frustrà.

Equidem

Equidem splendidissimum modernorum medicorum lumen *Th. Bartholinus tract. de Luce hom. & brut.* multa eruditissimè sparsit. nihil autem de lucente urinâ, nisi quod *cap. 6.* à bile splendentem & igneam, quæ ab *Actuario* aurea dicitur, à colore scilicet, non à luce in tenebris sic dictum urinam refert, quæ verò significatio hujus loci non est. Neque inter insecta lucentia lumbricos, qualis figura apparuit, numerat. Tacet etiam in *epistolarum Centuriis*, ubi quædam de lucentibus profert, de urinâ. Clariss. quoque *Sachsius* post illum *Gammarolog. l. 1. cap. 15. §. 6.* & appendice, de luce concreatâ cancrorum aliorumque, plurima quidem congessit: item *in Scholio ad Observ. 138. ann. 1. Ephemer. nat. Curios.* de scolopendriæ luce innata agens, ut & *Schottus Physicæ Curios. append. c. 3. ad lib. 12.* & *Magiæ Pyrotechnicæ l. 2. part. 3.* recentiora afferens nihil de urina lucente producit unde mutuari possem, in quo mens dubia hæreret. Neque *Baro Verulamius in Imp. Phil. de luce & lumine*: neque *Reies in Elys. campis*: neque *P. Borellus in Observ. Physico-Med.* inter varias igneorum & lucentium historias ullum exemplum urinæ suppeditat: neque *Ampliss. Præses noster Joh. Mich. Fehr* in Hiera picra, ubi meteora majoris & minoris mundi comparat omnia. Neque tandem *Nobiliss. Christ. Adolphus Balduinus Nat. Curios. Hermes in Phosphoro Hermetico sive magnete luminari nuperrimè edito*, ubi lucem quandam scintillantem si non in omnibus, tamen plurimis corporibus naturalibus esse, & ex iis quasi effluere, ex pluribus auctoribus monstrat, mihi hìc prælucet. *H. Martini in anatom. Ur. p. 100.* lucidam & splendentem & ardentem & igneam & scintillantem vocat à spiritibus præternaturalibus & igneis in corde & arteriis, eorumque non tàm copiâ quàm acumine profectam: & *p.* 109. Ignei coloris urinam adducit propter salem, quem adurat calor: & *p.* 110. valdè lucidam ratione spirituum, quos exacuat calor, ut contrà turbidam & turbatam ob evanescentes aut extinctos spiritus judicat. Sed nec hæc lux, nec hic splendor, qualis vel in frigidissimâ & purissimâ aqua elucet, nostræ est significationis, cum vel in ardentissima febri intensissimi ruboris emissa nequicquam luceat in tenebris, quemadmodum nec ille splendor, quem observare datur, ubi terga vertenti in obscuro loco urina defluit, & ab opposita cœli luce translucida apparet, tàm in guttis, quàm filo seu linea fluxus.

Uni

Utut ergo desperem veras producere causas mallemque dicere quid non sit, quàm quid sit, neque velim illam de lucis, luminis & ignis naturâ litem facere meam, cujus vis & fulgur Plinium absorpsit, plurium sublimiorum mentium aciem perstrinxit; attamen pauca ad lucem hanc modicam meditatus sum obscurus in obscuro, veluti noctuis nocturnum lumen sufficit: Non à reflexione radiorum lunarium provenisse illam, ex cœli positu constat, quòd utrinque in meo & amici casu impediti fuerint: Non à candelæ aut lampadis proximè vel remotè stantis, per experimenta facta sensi, & potest alius experiri: Non à reflexione ullâ luxisse, quia etiamsi incidissent hîc radii, similem lucem non procreassent, sed aliam, quæ originem sui objecti mentiri aut tegere nequiverit. An à materiâ aliquâ nitrosâ, mucosâ, glutinosâ ceu fomite ortum duxerit, nolo definire, sed & negare, cùm & amicus mucosum quid senserit post deflagrationem & mea in nitroso loco accensa, & ostraceorum in viscido humore apud *P. Zacchium in Philosoph. Opt. p.* 48. atque carnis agninæ lux in pinguedine & membranis apud *Bartholinum* & alios hæserit, & calx viva propter salem resolutum exardescat, & ignis fatuus in uliginosis pinguibusque locis maximè flagret.

Ovum tamen ovo non similiùs videtur, quàm urinæ nostræ aqua marina salsa noctu coruscans, ubi remis fortiter percussa, ut habet *Baro Verulam. hist. nat. exper.* 35. & *de Augm. scient. lib.* 4. *c.* 3. *extr.* quam spuma maris ferventior fortiter agitata noctu lucens, ut idem notat *Nov. Org. l.* 2. *aph.* 13. *instant.* 11. Hispanis vocata pulmo marinus; quibus etiam consentit *Dn. Monconys*, qui *in T.* 1. *Itinerar Lusit. p.* 13. scribit, quòd aqua multum ejiciat luminis. Hæc siquidem salsa est, variis corpusculis fœta, coloris varii, agitatione & collisione lucescit noctu, in quibus omnibus urina nostra convenit, differt verò, quod mari lux hæc nocturna ferè perpetua, urinæ rarissimè accidat.

Marinæ hujus lucis non urentis ratio reddita à *Cartesio Pr. Philos. part.* 4. *§.* 91. lux primi elementi: & *Bartholin. cent.* 1. *Ep.* 12. lux quædam insita, cujus ad originem noscendam Apolline interprete opus sit: Natura verò tota latius excussa à *Nicol. Papin. in tract. de la lumiere de Mer.*

Si tamen urinæ hanc lucem ab insitâ productam dixerim, fortè non erraverim, cùm illa in oculis, aliisque multis rebus splendeat qua n-

quanquam quid sit nesciam. Sin verò spirituum calidorum exhalationem attendas, quibus refertam urinam esse & suprà dictum & nemo diffitebitur, omnium optimè vocabis hoc phænomenon *ignem lambentem*, cujus exempla plurima leguntur, & natura à multis expenditur. Etenim *Cartesius de Meteoris c 7. num.* 14. ignis fatui & lambentis causas assignat sine vel cum vento, si tantùm exhalatio subtilis & penetrans, quæ nempe salis naturam participet, alterius pinguis & sulphureæ poros ingrediatur, & sæpissimè etiam solam diversorum corporum mixturam igni producendo sufficere, ut in calce vivâ aqua adspersa & fœno. Cui non repugnat *Schottus*, qui ut *Physs Curios. l.* 11. c. 9. §. 2. causam ignis fatui refert ad collisionem partium in exhalatione pingui & viscosâ, qualem post extinctionem veluti spermatis ranarum invenisse *Rob. Fludd*, quæ vice speculi redderet stellarum lumen: ita *c.* 11. §. 2. ignis lambentis materiam raram ac subtilem exhalationem aut calidos atque ardentes spiritus è corpore animalis emissos cum *Fromondo* statuit: subtiliorem adeò quàm in igne fatuo & tenuiorem, quæ velut in spiritu vini flamma luceat, non urat, cujus particulæ secundùm *Jonston. in Thaumatograph. Class.* 2. *c.* 4. velut in aere rorante guttulæ sint singula specula lumen reflectentia. Lucem enim quandam esse, quæ noctu duntaxat luceat, non igneæ quidem illam naturæ (neque enim diu durare posset) sed mitioris cujusdam & materiam in qua est non consumentis, in multis tum naturæ tum artis operibus apparet, scribit *Conr. Gesnerus de Lunariis herbis, pag.* 1. Et porrò: Placidæ verò illius mitisque lucis, non igneæ sed æthereæ potiùs particulas quasdam continent fortassis & gemmæ quædam & plantæ & animalia & nonnulla artis opera, ut dicemus.

Cùm ergò in urinâ quacunque partes aqueæ, salinæ, sulphureæ, terreæ, spirituosæ inveniantur, quas accuratissimè per ignem examinavit *Th. Willis in Dissert. epist. de urinis*, spiritus insuper genitalis & vitali & animali lucidis generatus lucidus quoque sit, & in meâ & amici calidæ atque spirituosæ corpusculorum variorum exhalationes offenderint fundi nitrosas salinasque particulas, quomodo non accedente frigoris nocturni antiperistasi moveri & accendi potuerunt, quomodo non spiritus ipsi lucidi lucidam quoque urinam reddere quiverunt? Ubi tamen dubius hæreo: Cum non semper idem effectus sequatur, & urina semper aut sæpè lucida appareat, cum quidem perpetuò & in

in meâ & aliorum eædem ſint cauſæ. Quanquam & hoc non negaverim, ſolennem mihi olim fuiſſe lacteam urinam, qualem *Platerus* obſervavit, fortè à ſeminis copiâ aut calore, aut irritatione à cibis acribus & inprimis raphano ortam, quæ flammæ huic nutrimentum porrigere potuiſſet, qualem verò tum temporis non obſervavi.

Colophonem impoſuiſſem, niſi inter ignis lambentis an fatui exempla lux quædam Lichtenbergenſis mihi crucem magis figeret, quàm lucem præberet. In caſtello enim gentilitio Illuſtriſſ. Comitum Hanoviæ Lichtenb. plerumque ante tempeſtatem in faſtigiis tectorum, turrium apicibus metallicis, etiam bipennium mucronibus faculæ adhærent quaſi-ſulphureæ à multis retrò memoriam annis, unde vel ipſam arcem appellatam credidére. Quod fortaſſe nihil rarum eſſet, nec præter naturæ mores, quando multæ ibi mineræ vitrioli, cupri, ferri & ſalis latent, niſi hoc fieri ſolum pacis tempore affirment incolæ, belli vero tempeſtate nunquam apparere.

(*In literis ad Collectores Ephemeridum die 21. Decembr. ann. 1675.*)

OBSERVATIO CXCIV.
D. N. FABRI.
DE
ANATIBUS AURIFERIS.

ULmæ Svevorum area eſt domus cujusdam, ſilice conſtrata, in qua ſi ſerventur per unam alteramve ſeptimanam anates, auri fini grana in ventriculis omnes generant. Et ne à ſabulo aliâve ipſius areæ materia provenire putes, illa prorſus everſa novo ſilice, terrâ, arenâ conſtrata ante annum fuit: pari effectu cum priori tempore. Ab annis autem tribus id obſervatum eſt. *Dn. Weikmannus*, ſenatûs apud Ulmenſes ſecretioris aſſeſſor, & rerum naturalium indagator ſolertisſimus, atque pinacothecæ famoſiſſimæ poſſeſſor dignisſimus, ipſemet in duobus corporibus experimentum ante paucas ſeptimanas fecit, in quorum uno 16. in altero 27. grana lentibus atque milii ſemini æqualibus auri purisſimi reperit. Sit Oedipus ergo, qui hæc divinet neceſſe eſt.

(*In literis Heilbrunnâ Heidelbergam ad Dn. D. Georgium Francum ſcriptis, & D. Sal. Reiſelio menſe Decembr. ann. 1675. communicatis.*)

OBSERVATIO CXCV.

D. DANIELIS ANGELI.

DE

CALCULI VESICÆ GRANDIORIS SPONTANEA EXCRETIONE.

INter calamitates, quæ humano corpori infestæ sunt, illique præmaturum exitum ante fatalem terminum portendunt, non infima esse videtur renum & vesicæ calculi affectio, imprimis quo materia illius in molem majorem excrevit, quoniam ardua & difficilis est curatio, immò interdum nulla locum habet, cum remedia per os assumta integrâ virtute ad renes & vesicam pervenire non valeant, ut adeò, nisi ipsius naturæ accedat beneficium, ferè unicum (quod vesicæ calculum spectat) sectio videatur auxilium. Rectè itaque mihi facere visus sum, si pro præsentis epistolæ argumento de *nephritico dolore* seu *calculo* non vulgare sed dignum admiratione exemplum breviter exponam.

Annus est, & quod excurrit, ex quo mulier quædam, nomine *Angelica Rubini* quinquagesimum quartum annum ætatis suæ agens, circa solstitium hyemale, de quo rectè Poëta:

Morborum siquidem cursus redit actus in orbem,
atque in se sua per vestigia volvitur annus,

lumborum gravitate ad coxendicem excurrente primò affligebatur, postea morbo incrementa sumente, atrocissimo dolore circa regionem dorsi & renis sinistri, secundum longitudinem ureteris ad vesicam usque & pubem, cum stupore cruris, nauseâ, vomitu, anorexiâ, tumore infimi ventris & summis mingendi conatibus vehementer premebatur, adeo, ut interdum, & nisi urinam excrevisset turbidam sabulosamque, erecta vix incedere valeret.

Et quamvis multis, præcipuè ex acidulis, uteretur remediis, cùm à medicis tùm à mulierculis domesticis præscriptis, incassum tamen & sine successu: donec solertis naturæ potestas, quâ sui individuo succurrere semper studet, calculum è rene sinistro per ureteris ductum ad vesicam impelleret. Hinc ægra circa renes quidem sublevamen habere persentit, de cruciatu tamen & dolore circa vesicæ fundum cum frequenti micturientis stillicidio conqueritur. Chirurgus advocatus, cum cathetere explorasset calculum, adseruit, solam in excisione calculi curationis spem superesse. Ægra sententiam hanc toto pectore

formidans anxiè tenuit curam, sed mori mavult, quàm hujuscemodi passiones subire; cum rarissima exstent exempla eorum, qui calculo prægrandi laborantes, sectione ab illo liberati sint: proinde se curatrici naturæ potius committere voluit, cùm & ætas jam declinaret, & vires morbi diuturni violentiâ attritæ essent.

Neque spes hæc, quamvis diu satis vitam nimis miseram duceret, eam tandem fefellit. Siquidem cum minus de salute cogitaret, calculus singulari naturæ solertiâ ad orificium vesicæ exterius protruditur. Ego ad eam die S. Catharinæ anni 1675. vocatus consului, ut pro viribus, si non per civitatem, saltim per cubiculum deambularet; antequàm vero egrederetur lecto, pudenda probè inungeret *oleo scorpionum*. Hoc meum consilium illa exequitur felicissimo cum successu: vix enim aliquot molita erat passus, cum calculum excerneret oblongum porosum (prout ex formulâ & magnitudine annexæ schedulæ videre est) coloris cineritii, subfuscum; uncias duas cum semisse pendentem, non sine magnâ plurimorum admiratione. Subsecuta est moderata sanguinis profusio, quâ inhibitâ, confestim, ab omni dolore ac insuperabili penè malo libera, nullo ferè artis ingenio feliciter ex orci faucibus evasit, & in hunc usque diem, dum hæc scribo, bonâ fruitur valetudine.

(*In literis ad D. Vollgnadium Bononiâ 31. Decemb. ann. 1675. scriptis.*)

OBSERVATIO CXCVI.
D. JOH. SIGISMUNDI ELSHOLTII.
HOMINIS CONCEPTIO EX OVARIO.

JUsseras nuper, Illustr. Domine, ut per compendium traderem, & in tabulâ quasi exiguâ depingerem Tibi rationem, quâ conceptio hominis ad mentem recentiorum absolvatur: cum tot de isthoc argumento à *Joanne Hornio*, *Theodoro Kerckringio*, *Regnero Graefio*, *Joanne Suammerdam*, & denique *Cl. Ruischio* proximis retro annis scriptos cum suis iconibus libellos evolvere, Tibi occupationes tuæ graviores haut permittant. Accipe sis igitur illum modum, quem quidem nos partim ex lectione istorum scriptorum, partim propriis quoque observationibus animo concepimus.

In coitu nimirum prolifico semen virile irrigat non tantum uteri fundum; sed & pars ipsius spirituosa sive *aura seminalis* per vas deferens

ferens sive ductum brevem ad ovarium usque penetrat, adeoque ovum cæteris maturius aut magis dispositum ac porosum virtute suâ (ut loqvuntur) fermentativâ fœcundat. Intumescit inde per modum velut inflammationis ovum, rubescit & distenditur tuba, suamque proboscidem ad ovarium digitis quasi arctius amplectendo contorquet; quemadmodum illam tubarum rubescentiam, distensionem ac contorsionem in recens gravidâ Amstelodami dictus modò *D. Ruischius* anno 1673. publicè ostendit. Labentibus hinc tribus aut quatuor diebus ovum illud adeò crescit, ut ovarium suum ad exclusionem stimulet: & quamvis in non gravidis ex ovario in tubas nullum foramen manifesto compareat, in recens gravidâ tamen idem *Ruischius* observavit aperturam, quæ pisum majus admittebat: quin immò vidit illum ovarii locum, in quo ovulum olim sederat, post exclusionem densâ spongiositate, villisque rubicundis obsessum perinde ut in uteris recentium puerperarum conspici etiam assolet. Atque hæc per abscessum quasi facta exclusio, sive translatio ovi ex ovario in tubam & hinc in uterum, procul dubio genuina ratio est nauseæ aut vomitus, qui sub initium conceptionis & primis post fœcundum coitum diebus accidere fœmellis consvevit. Porrò vero ubi ovum à proboscide tubæ exceptum est, facilior omnino & innocuus delapsus in uteri cavitatem ut plurimum datur: quod si forte tamen in medio tubæ ovum hæreat, *conceptio tubalis*, sive tubaria (de quâ ante annos jam tum septem epistolam ad *Exc. Huxholzium, Medicum Hassiacum*, longiore vitâ dignum, vulgavi) non sine matris exitio miseræ contingit. Cæterum ovo non hærenti, sed ritè in uterum delato quæ evenient ulterius, & qui illud incrementa sua capiat ibi, hîc recensere nihil attinet: neque enim à veterum doctrinâ hâc parte multum recedit Neotericorum cura, nisi quod exactius multa explicent hi ipsi, quemadmodum quod ad ossium formationem attinet, apud *Theodorum Kerckringium in Osteogeniâ* suâ per singulos menses videre licet.

Verum enim verò, experitur hæc de conceptione hominis opinio idem cum aliis novis inventionibus fatum, formanturque à multis contra ipsam variæ *objectiones*. *Earum Ima*. solet esse hæc: Cum nihil à se ipso moveri constet, quidnam illud sit, quod ovum ex ovario in uterum propellat. Atqui facilis est responsio, ovum scilicet semel

fœcundatum non moveri à se ipso; sed excludi ab ovario stimulato, sicut idem in gallinis accidit, dum ova grandescunt.

II. *Objiciunt*, quod metus sit, ne ovum, per tubæ angustias penetrans, rumpatur. Ast tubæ etiam in non gravidis tàm sunt perviæ semper, ut flatum & aquam per canaliculum admittant: in gravidis verò quantum distendantur, (immane vero quantum in conceptione tubali) supra fuit relatum. Deinde etiamsi fortasſis ovum aliquod interdum frangi contingat, nihil inde damni, nisi quod conceptionis hac vice spes pereat, alia vice adimplenda.

III. *Objiciunt*: quare, cum bina sint ovaria non semper gemelli nascantur. Ad hoc reponi potest, rem ita se habere in Scotiâ & fortè aliis nonnullis regionibus, ubi fœminæ uno partu ut plurimum binos, quandoque etiam plures fœtus edunt: sub nostro autem climate, quod gemelli rarius nascantur, nisi ex cœlo atque astris causam deducere placuerit, varia tamen impedimenta hujus rei alia ex vitio conformationis, obstructionis, compressionis, aut intemperiei dextræ sinistræve tubæ intervenientia, afferri possunt: attestante hoc sectione cadaverum fœmininorum, dum partes illæ generationi dicatæ in alterutro latere non rarò malè affectæ conspiciuntur.

IV. *Objiciunt*: Quare ab uno coitu, sicut in gallinis fieri creditur, haut singula utriusque ovarii ovula simul fœcundentur: ita enim ad subsecuturas sanè generationes, ajunt, iterato coitu nullatenus opus foret. Responderi potest; quo minus hoc fiat, diversa partium obstat constructio. Oviductus enim gallinarum rectus est, & laxior: in homine vero angustus & adeo tortuosus, ut aura seminalis non nisi ovum proximè adjacens ordinariò attingere possit, haut vero juxta per universum penetrare ovarium. Quod si vero ad plura ovula quandoque auram illam penetrare contingat, plures etiam concipiuntur fœtus.

Cæterum his forte adhuc validiores ab aliis rationes, in contrarium poterunt opponi: nec adeò vituperandos arbitramur illos, qui in examinandâ tanti momenti opinione, antequam ipsi subscribant, strenuè laborant. Inde enim quæ & quanta elicere consectaria liceat, perspicacioresfacilè divinant. Nobis totius argumenti brevem tantummodo summam tradere, fuit propositum.

(Eadem hæc epistola ab ipsomet Dn. Autore communicabatur per literas d. 21. Jan. ann. 1676. Berolino ad D. Henr. Vollgnadium scriptas.)

OBSER.

Ad Ann. VI. No. u.

Fig. III.




Fig. I.




Fig. II.



Ad Ann. VI. Obs. N°. v



OBSERVATIO CXCVII.

D. JOHANN. SIGISMUNDI ELSHOLTII.

DE

OVARIO HUMANO ATQUE TUBIS.

PAuci præteriere dies, cùm ad Te *Vollgnadi*, mitterem de *hominis ex ovario conceptione* observationem. Nunc autem ad illustrandam illam nova mihi emersit occasio, dum mulier triginta circiter annos nata, & sex jam tum liberorum mater, homicidii convicta die 14. Januarii anni currentis 1676. hic *Berolini* non tantum gladio percussa, verum etiam ad anatomen Curiosis destinata fuit. Cætera præterii: ad partes autem genitales quod attinet, in ovarium & tubas accuratius porro inquirere, mearum tunc partium esse arbitratus sum. Quæ igitur die XVIII. dicti mensis adverti, cape sis.

TUBAS uteri veterum plurimi aut planè ignorarunt, aut aliud ipsis nomen forte tribuerunt, sicut *Andreas Vesalius* (sub titulo vasorum deferentium pinxisse videtur, *lib. V. Corp. human. fabr. c.* 15. Alii pro cœcis habuere ductibus, uti *Adrianus Spigelius libr. VIII. c.* 22. & *Nathan. Highmorus libr. I. corp. hum. disq. P. IV. c.* 4. Contra Nos, cum *Joh. Veslingio syntagm. anatom. cap.* 7. atque aliis neotericis, & *tubas esse insignia*, admodumque conspicua *vasa* & *in uteri fundum manifesto patere*, sine hæsitatione adserimus.

Primam thesin quod attinet, operæ me pretium esse facturum existimavi, si integrum organum à vicinis partibus separatum, & simul ejusdem in uteri cavitatem insertionem (id quod à nemine hactenus per iconem præstitum memini,) depingerem. Est igitur *in figura* I.

A. *extremum latum, quod magis rubet, & laciniatum est, proboscis non absurde appellatum.*

B. *denotat medium capreolis crispum, & sensim angustatum.*

C. *extremum angustum uteri fundum in summitate penetrans, atque in latere interno*

D. *valvulâ oblongâ clausum.*

E. *notat uteri punctis tantummodo expressi carneam crassitiem.*

Altero adserto fides accedit ex inflatione per canaliculum factâ, si is in proboscidem intrudatur; exit enim ore insufflatus aër per extremum angustum C. in ipsam uteri cavitatem. Quod si aquam, lac, aut coloratum similem liquorem ore contentum per canaliculum impellas,

pellas, pariter is transit, & adeo quidem manifestè, ut dubitationi locus relinquatur nullus.

Innotescit hinc etiam, valvulam in uterum patere, sed retrorsum neutiquam: admittit ea quidem tantisper stylum, sed non altius, quàm ipsa extendi retro possit. Accipiendum equidem hoc erit etiam de liquoribus, quos frustra aliquis per valvulam sursum pellere (nisi violentia interveniente) tentaret: & quamvis extremitas C. satis angusta in cadavere appareat, in vivente tamen magis patere prorsus vero simile est.

De proboscide notandum, laceram illam & quasi attritam à *Fallopio* primùm in *Observ. anatom. pag.* 472. deinde ab aliis quoque & à nobis talem semper observatam: neque de laciniata illius figura amplius dubitandum; Scrupulum tamen injicere posset, quod *laciniæ* soleant esse rupturæ indicium. Quod si proboscidi laciniæ illæ non sint naturales, oportet ipsam testibus antea adhæsisse: ab istis autem per incuriam dum intestina extrahuntur, communiter abrumpi solere. Nihil tamen hic determinatum eo, quin potius ad indagandum hoc propono dubium, num per circumspectam magis dissectionem connexio tubarum cum ovariis forte reperiri possit. In figuris sane *Julii Casseri Placentini*, nimirum *lib. VIII. tab.* 18. ita pinguntur tubæ, ut sua proboscide testes attingant: atqui *tabulæ seqq.* 19. *&* 20. hac parte mox iterum variant. Quin & concordat *Thomæ Bartholini tabula anatom. reform. edit. noviss. pag.* 152.

OVARIA porro sive testes obvelat membrana satis valida: eam cum in dextro per longum scinderem, effluebat humor ex albo citrinescens. Sinistrum servabam integrum, sed utrumque in ferventem aquam per medium horæ quadrantem simul conjiciebam. Tunc extracta induruisse animadverti conspicuis *Fig. II.* per superficiem ovulorum eminentiis: quæ tamen ova post dissectionem magis in conspectum se dabant, suis singula cellulis albicantia, atque inde facilè exemtilia. Speciatim in sinistro, quod divisum *Fig. III.* repræsentat, pluscula quidem *litt. a. a.* visebantur ova, hic quidem per medium scissa; in una vero ipsius cella *litt. b. b.* quæ cæteris major, nucleum cerasi æquabat, haut ovum, sed materia spongiæ obscurè rubenti prorsus similis hærebat: immò qualis videtur illa fuisse, quam *Ruischius* Amstelodami vidit in recens gravidæ ovario, nominando ipsam *densam spongiositatem*,

sitatem, villisque rubicundis obsessum locum, in quo ovum antea sedem habuit, perinde ut uterus recentium puerperarum. Profectò si quid conjecturâ assequi licet, ex hâc cellâ devolutum fuit ovum pro conceptione gemellorum, quos postremo partu fœmina isthæc ediderat. Quod si itaque apparatu tam operoso, & novis subinde per attenuatam ovarii membranam foraminibus (quale quidem foramen à solerte naturâ in muliere recens gravidâ factum, & pisum majus æquans *Ruyschius* d. 15. April. 1673. se vidisse testatur) ad singulas conceptiones opus est: tolerari nullo modo poterit opinio *Theod. Kerckringii*, qui *Anthropogen.cap.* 1. tàm à conjugatis, quàm virginibus talia ova sæpissimè & fermè insensibiliter, excerni asserit. Et quamvis sibi ex relatione quarundam hoc constare, addat: manet tamen incertum, cum aliæ hâc de re interrogatæ, contrarium affirment: quicquam scilicet tale nec instante purgatione menstruâ, nec stimulante libidine, nec ullo alio tempore sibi, etiam observantibus, accidere.

Porro verò ad *ductum* illum *brevem* quod spectat, qui titulo vasis deferentis communiter ab ovario ad uterum, aut potius ab utero ad ovarium, tendit; non penetrare is mihi hoc in cadavere in cavitatem visus est: Cum tamen alii hunc ductum pervium invenerint, fidei ipsorum nihil ibo derogatum. *Johannes* sanè *Veslingius Syntagm. anatom. cap.* 7. nominat ductum testium, & pingit ibidem titulo *vasis deferentis*. Vasa autem præsumuntur esse non prorsus solida, sed quovis modo pervia. Quin immò præter hunc ductum ad fundum uteri porrectum, alterum adhuc ab eo exiliorem sæpiusque delitescentem & ad uteri cervicem protensum statuit. Unde me arbitro ductus prior *uterinus*, alter *cervicalis* dici non absurde posset. Uterque autem eo fine, quo non tantum in cavitate uteri, sed etiam in cervice, adeoque locis pluribus, pro excipiendâ aurâ seminali canales adessent, fabrefactus à naturâ videretur.

Denuo autem in mentem hîc venit epistola, quam de *conceptione tubariâ* anno 1669. cum hæc de ovario humano nova opinio ignota adhuc esset, conscripsimus typisque mandávimus, icon ipsi inserta non duplicem uterum, quemadmodum *Benedictus Vassalius*, chirurgus Parisiensis, Programmatis impressi autor crediderat, sed fœtum extra uterum in medio tubæ conceptum ostendit. Jam verò hic fœtus non poterat primum in uteri cavitate amplâ concipi, & deinde per

angustum tubæ extremum præsertim renitente valvulâ superius descriptâ, sursum in medium tubæ trudi: contra autem vero magis consonum videtur, principium propagationis suæ desuper accepisse hunc fœtum, & illud quidem (sive semen matris, sive ovum animatum fuerit) in mediâ viâ, dum descendebat, hæsisse atque ob impedimentum aliquod ibi substitisse. Singulari certè argumento, non fieri in utero conceptionem, nisi ex testibus aut ovario aliquid descendat. Descensus autem ille non est momentaneus, & qui in ipso coitu necessario contingat: sed potest ad aliquod forte tempus differri, donec nimirum natura foramen per ovarii membranam, quasi quadam specie apostematis paraverit. Unde si primis à coitu diebus vacuos damarum cervarumque uteros invenit *Harvejus*, mirum adeo potest esse nemini: quinimmò perspectâ rei veritate ipsemet *Harvejus*, si hæc attigisset tempora, suos de *generatione animalium* libros, hâc fortassis parte, tantisper fuisset immutaturus.

OBSERVATIO CXCIIX.
D. JOH. SIGISMUNDI ELSHOLTII.
DE
GEMELLORUM ORIGINE.

Quantopere hactenus gemellorum origo philosophantium animos torserit, in propatulo est. Qui in cellulas uteri caussam retulére quondam, suam in rebus anatomicis prodiderunt ignorantiam. Seminis copia, aut in partes divisio, non explebat etiam mentes acutius cernentes: multo minus uteri paullò major, quàm fœminis communiter esse consvevit, amplitudo. Ita problema hoc inter incerta, ad nostrum usque ævum jacuit.

Meministi vero, *mi Vollgnadi*, haut ita pridem in observatione nostra de *ovario humano atque tubis* ad Te missâ, pingi cellam ovarii unam grandiusculam, & materiâ rubenti spongiæ simili obductam, ex quâ suspicabar tunc, devolutum fuisse ovum pro conceptione gemellorum, quos postremo partu fœmina illa ediderat. Profecto hâc in opinione ego roboror indies, & naturæ magnum ibi mysterium videre mihi videor. Illius enim cellæ præ cæteris omnibus capacitas insignis quid arguit, nisi in ipsa hæsisse aut ovum simplex reliquis majus? aut ova duo, cæteris æqualia? De priori si unicum peperisset fœtum

mater,

mater, nemo dubitaret: jam vero, ubi de gemellis, hoc ultimo partu editis constat, posterius verum esse conjicio, nimirum cellam istam haut complexam esse ovum simplex, sed bina ova, membranâ tantum tenui intersepta. Cellæ enim suis singulæ septis carneis sat crassis, vel ut in iconibus dictæ Observationis nostræ apparet, ab invicem distinguuntur, atque ova utplurimum simplicia complectuntur: quotiescunque vero in cellâ unâ geminatum ovum hæret, istamque cellam aura seminalis in ecstasi venereâ attingit, tunc ex ovo illo gemello in uterum devoluto, non nisi gemelli, me judice, nasci poterunt. Atque hanc esse veram atque unicam gemellorum originem, huc usque incognitam, arbitror.

Ad *trigeminos* quod attinet, cellam unam interdum trina (fortassis etiam pro pluribus plura,) ova continere, probabile est: neque absurdè adeo hinc inferretur, in *fœminis Scoticis* esse ovaria eâ fœcunditate disposita, ut cellæ pleræque plusculis farciantur ovulis, cum gemellorum atque trigeminorum partus ibi sint adeò frequentes.

(*In literis ad D. Henr. Vollgnadium d. 28. Jan. ann. 1676.*)

OBSERVATIO CXCIX.
D. JACOBI BARNERI
DE
ANTIPATHIÆ EXEMPLIS NOTATU DIGNIS.

R*Osas, cinamomum* &c. naturaliter quosdam ferre non posse multis constat exemplis, inter rosas hîc Lipsiæ virginem exspirasse animam, adeò floridam ætatem hanc istiusmodi decet tumulus, b. m. *D. D. Lange Professor Lipsiensis* recenset *in miscellaneis curiosis*. Hæc dum scribo, viro cuidam Illustri tinctura aliqua ☉lis suavissima cùm spir. rosarum facta offertur, ille sumptis ejus saltem 4. guttis adeò malè habere incipit, ut extra lectum agere vix possit, sangvis ei summoperè ebullit, & vertentibus 24. horis quadragies soluta alvus est cum virium insigni prostratione, ac faciei concidentiâ. Rosas nec ille ferre potest, ac refert, quoties earum odorem saltem haurit, toties se intensô capitis dolore affligi. Sed hoc vulgare est. *Naumburgi* civis aliquis est, qui absinthium planè aversatur, ei pharmacopœus ibi aliquis salis absinthii fixi, aliquot grana propinavit, sed absumptis iis non minus consueta symptomata, deliquium, stomachi subversionem passus

est, atque hoc ab iis notari meretur, qui alcalisatis specificam proprietatem denegant. Addi hîc potest, consuetudine sæpè istiusmodi antipathiam contrahi: Annæbergæ novi Concionatoris alicujus, qui caseum naturaliter aversabatur, filios in gratiam patris à caseo se abstinuisse, factum tandem est, ut eum similiter filiique ac prorsus adhorrerent. Fuit apud nos *Elbingæ* Primarius Pastor, qui porcelli assati caput videre non potuit, carne licèt ejus vesci, modò hoc non sciverit, valuerit.

(*Ad Collectores Ephemeridum mense Febr. Ann.* 1676.)

OBSERVATIO CC.

D. CAROLI RAYGERI

DE

LACHRYMIS SANGVINEIS.

Lachrymabile vivimus tempus, quod si non infanti sed vel cordato Herculi, ut inquit *Hœchstleterus*, lachrymas extorqueret cruentas, quid mirum? Sed parvulum tantum omnium, quæ geruntur, ignarum vobis sistam Heraclitum, sangvinem lachrymantem, non ut rem portenti similem & ominosam, sed tanquam curiosam vestris non indignam Ephemeridibus. Frustra namque sunt superstitiosi quidam, qui ex talibus lachrymis, quas naturalibus ex causis probabimus, malè Reip. ominantur. Non enim tales lachrymæ, sed pessimi mortalium mores DEIque contemptus, ut cum *Barth. c.* 1. *observ.* 1. pergam, Resp. evertunt. Emendemus in melius mores, me sponsore nihil lachrymæ nocebunt cruentæ, nihil mali portendent. Interim considerandæ omninò & minimè negligendæ veniunt Medico curioso, qui illas inter rara, imò rarissima, naturæ reponit, inque illarum caussas inquirit, quarum diversæ hinc inde apud Authores reperiuntur. Nam, teste *Aetio Tetrab. II. s.* 3. *c.* 63. fit sangvinis eruptio ab angulis oculorum maximè pueris ob assiduos ejulatus ac distensiones apertis circa palpebras vasis. *Dodon. c.* 15. tales notavit in virgine sanguinea, menstruis non obsequentibus, cùm sanguis per inferiora expurgandus, factâ regurgitatione ad superiora, per canthum exitum sibi fecit oculorum: In vetula ictericâ per aliquot septimanas sangvinis fluxum ex oculis loco lachrymarum observavit *Forest. l.* 11. *c.* 13. Puellæ undecim mensium aliàs sanæ, vegetæ, optimè valentis quater distinctis vicibus

& die-

& diebus sanguinem lachrymantis meminit *Hæchstæterus Dec. I. Obs. I.* Cui planè simile, quid hîc accidit annô 1674. mense Aprili post festum Paschatos.

Viri cujusdam Generosi hîc ad Danubii ripam habitantis filiolus, quindecim vel sedecim circiter mensium, habitu plenô & sanguineô præditus, optimè valens, nihil ante nec post conquestus, post levem commotionem ad ploratum, guttulas aliquot lachrymavit sanguinis, & hoc ter, vel quater in die. Exterrita mulier, quæ curam ejus gessit, Parentibus indicavit, & hi Avo, tertió vel quartô die mihi supervenienti, quoque narrarunt omnes. Ego ut tardioris in talibus soleo esse fidei, factâ inquisitione diligenti, ab omnibus rem unô ore percipio, in infante nihil, in oculis, in genis, reliquaque facie nihil deprehendo, statim in mentem venit illud *Aetii*, & cùm alias valdè iracundus sit pusillo, vehementibusque deditus clamoribus, credo vas aliquod capillare in cantho oculi ruptum, sanguinemque extillâsse, salvô manente reliquô oculô, nulloque subsequente in eôdem livore, aut sugillatione, sanguine scilicet non intra, sed extra cutim effluente. Sic cognitâ causâ timor apud circumstantes & ratione significationis, & ratione pueri, qui in hodiernum usque diem vivit, beneque valet, evanuit.

OBSERVATIO CCI.

D. CAROLI RAYGERI

DE
EPILEPSIA INFANTUM.

SÆpius apud nos infantes recens nati, vel etiam ad semestre spatium accedentes, derepentè sine ulla manifesta causa, quandoque cum quandoque sine magnis clamoribus epilepsiâ corripiuntur, emoriuntur, ut suo meritò hic *νόσημα παιδίων* ex *Hippocr.* sententia audiat, vix enim denos inter centenos reperire licebit infantes mortuos, qui non convulsionibus, vel illis certè supervenientibus, mortui. Novi in illustri familia aliquot successivè epilepticos obiisse infantes, omnes sex vel septem septimanis à partu, ita ut desperabundi parentes, in proximè nascituro inustionem occipitii, more in Italia, inprimis Florentiæ, receptissimô, instituere decreverint, ad avertendum, vel præcavendum hunc gravissimum affectum. Alios notavi, qui à convulsionibus

bus servati ad primum tamen usque septennium statô tempore singulis annis semper recidivam passi, reliquô tempore benè & extra ullam molestiam constituti. Varias & diversas vulgus promit hujus mali causas, nec minùs operosi sunt Practici, nunc cœli constitutionem, nunc horam nativitatis, nunc cerebri imbecillitatem, nunc aliud incusantes, *vid. D. D. Melch. Sebit. Disp. de infant. & puer. morb.*

Cùm mense Martio anno 1674. Viennæ essem, Mercatoris cujusdam ex primariis, in vicinia ubi diverteram habitantis, filiola 24 septimanarum per aliquot dies alvi profluvium biliosum cum torminibus clamoribusque die ac nocte passa, hoc ipso die suasu adstantium fœminarum, licet satis debilis, purgata fuit *sir. ros. mosch.* Circa vesperam post unam vel alteram operationem, extremè debilitata, in consilium vocor. Vidi statim fatalem instare terminum, & cum epilepsia finem vitæ prædixi, id quod & factum, nam mediâ nocte supervenére convulsiones epilepticæ per tres horas durantes, & alterô die mane mors. Simili planè fatô ante annum ejusdem ætatis obiit ipsi filiolus. Hinc avidus sciendi morbi causam parens petiit, ut interessem apertioni corpusculi; nihil autem in aperto cadavere invenimus, nisi intestina inflata, distenta, vacua, & pauco excremento bilioso, liquido, hinc inde fluctuante repleto. Ventriculus inflatus continebat materiæ pituitosæ spumantis, & quasi adhuc fermentantis quantum binis cochlearibus excipi potuisset. In hanc materiam pater & chirurgus causam funestæ epilepsiæ conjiciebant, quos in sententia reliqui. Mihi verò verisimilius visum, infantem hunc, & præcedentem ut & plerosque omnes multo meconio bilioso, quod omnibus recens natis solenne & à me studiosè solet expurgari, abundasse, quâ saburra biliosa insequens nutrimentum fuisse corruptum, & lac coagulatum, unde tormina, & propter exhalantes ad caput vapores malignas, epilepsia. Observavi namque sæpius: si excrementum hocce connatum statim post partum vel robore naturæ vel medicamentis benè expurgetur, infantes præservari, sin minus morbo hoc vel vexari vel enecari penitus. Unde author fui, ut, si in posterum ipsis nasceretur infans, statim parum vel de *sir. rosar. mosch.* vel de *elect. de mann.* exhiberetur. Id quod feliciter etiam suasi Illust. præfatis Parentibus, quippe binis infantibus, quos postea habuere, nihil tale quid evenit sed salvi & incolumes adhuc vivunt.

OBSERVATIO CCII.
D. CAROLI RAYGERI.
DE
QUIBUSDAM IN DISSECTIONE RECENS NATORUM OBSERVATIS.

NOn abs re erit Pathologicis interserere Anatomica & inprimis talia, quæ non parum lucis subministrabunt præcedenti observationi. Deficientibus aliquando corporibus anatomiæ subjiciendis adultorum, Anatomicus noster *Lud. Gayant. Chirurgus Paris.* satis notus, dissectionem instituit in binis infantibus, justô tempore, sed mortuis, exclusis. Masculus erat alter, alter fœmella. Separatâ cute tenella remotisque integumentis abdominis inter binas peritonæi tunicas vasa apparuere umbilicalia, vena scilicet in fissuram hepatis sese insinuans. Duæ arteriæ iliacas ingredientes & urachus, ligamentum illud suspensorium vesicæ, nullô modô vel cavus, vel in vesicam pervius, quippe nec inflata vesica elevatus ipse, neque flatus per illum in vesicam pelli poterat, qua ratione ergo infans per hunc urinam deponere, aut per umbilicum mingere queat, non vidimus.

Experimentum facturi, quo modo circulatio sanguinis fiat in embryone, cum is, qui in adulto fieri solet, impossibilis, connivente penitus dextro cordis ventriculo & impedientibus regressum sanguinis in aortam valvulis semilunaribus in sinistro cordis sinu. Immisimus itaque primò per canaliculum flatum in venam umbilicalem parùm incisam, qui redditus per foramen, factum in arteriis umbilicalibus, intumescente prius hepatis substantia. Mox ad meliorem certitudinem per syringam infusus liquor cœruleus, qui intra breve tempus primo ex arteriis cruorem expulit, mox & ipse secutus. Ut ita clarum, venam umbilicalem embryonis communicare cum arteriis uterinis matris, indeque sanguinem arteriosum ferre ad hepar, ubi depuratum, & in nutrimentum commodum pro infante aptatum, per cavam ascendentem mediante foramine ovali paulò supra diaphragma existente, inque hoc subjecto optimè conspicuo, venam intrare pulmonalem, sive arteriam venosam, exinde in auriculam cordis sinistram, sinistrumque cordis ventriculum, ex eo per aortam in omne corpus. Refluum autem vel superfluum per arterias umbilicales iliacis inser-

insertas ad placentam deportari uterinam motu planè circulari, sed longè diversiori, quàm in adultis. Remoto peritonæo intestina cum ventriculo exiguo sub mole hepatis satis magna & ambas hypochondriorum partes replente, vix conspicuo, apparebant repleta meconio nigriori in colo, rubicundiori in ileo. Gustatum à quibusdam adstantibus illud quod in colo erat, amarumque instar bilis deprehensum, quippe quâ parte colon circa hepar annexum fuit vesiculæ felleæ, ibi primò colorem mutavit, apparuitque nigricans & sublividum. Inquisitum num ductus aliquis adesset, per quem immediatè ex vesicula biliaria bilis deponeretur in colon, sed nihil inventum. Conclusum ergo, saburram istam biliosam tantùm per porum cholidochum satis hic conspicuum eò derivari, & longiori mora colorem hunc acquirere, ac proinde, inprimis si peculiari modo corrumpitur, gravissima inferre symptomata. Illud quod in ileo, prima fronte insipidum, sed paulo post ex acido amarum habebatur. In ventriculo nihil erat, quàm mucus quidam insipidus, an rudimentum fuerit futuri fermenti, dubium? Exigua tamen moles ventriculi nos certos reddidit, nihil fœtum per os nutrimenti accipere, quod legitima via descenderet in ventriculum, illumque taliter qualiter extenderet, id quod postmodum in alio infante, tribus vel quatuor post partum diebus mortuo observavi, ubi statim grandior ventriculus cum reliquiis lactis apparuit. Renes quasi glandulæ erant conglomeratæ, quod iterum infantibus solenne, secus ac adultis. Renes succenturiati sive capsulæ atrabilariæ magnæ erant, apertæ satis amplam cavitatem & liquoris quiddam atramento similis continebant. Remoto diaphragmate, paulo infra cor apparuit in vena cava ascendente foramen ovale magnum satis, habens insignem valvulam, refluxum sanguinis impedientem, exinde immisso stylo aditus patuit in arteriam venosam, inque sinistram ipsam auriculam, hoc foramen in alio infante tribus vel quatuor à partu diebus membrana clausum vidi. Pulmones parvi, exigui, non admodum rubicundi, instar parenchymatis hepatis vel portiunculæ carnis ex utroq; latere cordis jacebant, in aquam mersi subito fundum petebant, unde constitit infantem in utero non respirare (alias aere distenti fuissent) illumque fuisse ante exclusionem mortuum. Nam si semel tantum extra uterum respirasset, aer in pulmonibus detentus submersionem impedivisset. Ut de experimento certi essemus, immisimus pulmones agninos in aquam, qui

superna-

ſupernatarunt, utcunque inciſi ſint & aër omni vi expreſſus fuerit, fœtus verò pulmones fundum petierunt. Deinde cum uterque fœtus poſt mortem excluſus ſit, & utriusque pulmones toties, quoties immerſi fuiſſent, fundum petiiſſent, unum ſumſimus, perque aſperam arteriam inflavimus, unde lobi ſtatim diſtenti ſunt, mox omni conamine expreſſo iterum flatu natarunt nihilominus, nec mergi potuerunt. Argumentum credo indubitatum ad convincendas infanticidas & indagandam veritatem, an infans in utero mortuus vel demum poſt partum quocunque modo ſtrangulatus vel occiſus? In cœteris viſceribus aut corporis partibus nihil notatu dignum occurrit.

OBSERVATIO CCIII.
D. CAROLI RAYGERI.
DE
MALIGNITATE OCCULTA CATARRHUM IN PECTORE MENTITA.

MOrbi qui ab initio blandiuntur, plerumque mutato ſchemate ſub finem ſæviunt, & dùm apertè jocantur, occultè jugulant. Quod ſi de ullo, certe de malignâ febri dici poteſt, quam merito *P. Neucranz. de purp. c.*12. morbum fallaciſſimum, *Anton. Menjot.* vaferrimum atque verſipellem, & *Hœchſt.* quovis vertumno mutabiliorem, varias induentem larvas, modo hanc, modò illam faciem formamve mentientem, *Dec.* 1. *Obſ.* 6. appellant, quæ ita quandoque & ingenium & mores ſuos occultare novit, ut nec lynceis poſſit obſervari oculis, ſemperque quo ſegniores ciet turbas, eo res ægrotantis deteriori loco ſitæ, quoniam furtiva manſione magis radicatur, firmioresque nanciſcitur malignitatis nervos, ut inquit præfatus *Menjot. in febr. malign hiſt. & cur. p. m.* 49. Vera hæc eſſe ſequens probat hiſtoria. Circa finem menſis Aprilis anni 1674. huc venit Hungarus quidam robuſtæ alias naturæ, nomine *Michael Todt.* Habebat ille neſcio quos dolores in pede, unde tamen rectè curatus, remanente aliquâ eorum imbecillitate, quam ex prioribus doloribus provenientem credidit, & neglexit. Non multo poſt languore corripitur univerſali totius corporis, cum tuſſi valdè urgente, & ut apparebat cum gravi catarrho in pectore. Deambulavit hinc inde quanquam languidus, proſtrata omnis appetentia, calor nullus, nulla ſitis. Dedi, cum diætam

 non

non ſemper obſervarit bonam, *aquam laxativam* & poſt *elix. propr. Parac.* unde rediit appetitus, ſed tuſſis exaſperata, ſumſit *decoct. pector.* ℥ij. *mann. el.* ℥j. quo quinquies purgatus. Sumta cœna decubuit, mediâ nocte expergefactus, de calore extraordinario & ſiti vehementiſſimâ conqueſtus. Manè ipſum accedens, corpus quidem obſervo plus juſto calidum, in pulſu nil niſi aliquam debilitatem. Circa veſperam vehementiſſimè delirare cœpit, præpoſterè ad omnia reſpondens, corpus ſummè calebat exterius, lingua arida, vultus torvus, nihil tamen mutatô pulſu. Aperta vena brachii, exhibita ſudorifera, alexiteria, ſed ille tertio die, poſtquam delirare incepit, obiit. Latuit ſub ſpecie catarrhi malum, diu cum natura alias robuſta conflictatum, donec proſtratis viribus unô impetu mentem & vitam ademit. Sanguis qui in V. S. emittebatur, floridus erat, nullum vitium notabile habens, quod ſæpius in malignitate obſervavi, & notavit hoc etiam *Menjot. l. c. p.* 57. Quod miremur, *ait*, ſanguis iſte profugus (è naribus ſcil.) ac plerumque ille ipſe etiam, qui ſectâ venâ educitur, rutilus optimusque apparet, quod venenoſa qualitas ſenſum lateat, ſolisque pateſcat facinoribus, vel quod venenatæ putredinis foculus altior, ſtrictisque limitibus circumſcriptus.

OBSERVATIO CCIV.
D. CAROLI RAYGERI.
DE
ABORTU BIS VENÆ SECTIONE IMPEDITO.

Mulier utero ferens ſectâ venâ abortit *Hipp.* 5. *Aph.* 31. & *Dom. ab Altom. lib. de ut ger. c.* 4, obſervavi, *inquit*, absque controverſia ulla, ſanguinis miſſionem utero gerentibus, pro præſervatione abortus, fluente vel non fluente ex uteri vaſis quibuslibet ſanguine multô aut exiguô, inprimis vel in mediis ſive ultimis menſibus nullo pacto faciendam fore. Rationes, quibus hæc adſtruit *vid. in ſeqq.* quas tamen refutat *Primeroſ. de morb. mul. l.* 4. *c.* 2, & cum aliis tempore neceſſitatis gravidis omninò venam ſecandam comprobat. Longè quippe alius apud nos ſanguinis detrahendi modus, quàm apud veteres, illi enim ad libras ſive cotylas, nos ad uncias tantùm detrahimus, & ſic minimè alimentô ſuô privatur fœtus, ſive minor ſive grandior factus; quo reſpexiſſe etiam videtur in *aph. Hipp.*

Hipp. Rod. à Castr. de morb. mul. p. 2. l. c. 3. 21. Holler. in Comment. ad cit. aph. Et V. S. abortum bis impeditum sequens probat historia.

Civis hujus loci honesta uxor quartô mense gravida die 18. Maij. anno 1674. in febrim incidit continuam biliosam, cum profluvio alvi, extremô capitis dolore, vigiliis, aliisque gravissimis symptomatibus, sed convenientibus tractata remediis convaluit, & licet semel in brachio & sub lingua apertâ venâ, servatus infans. Quatuor elapsis septimanis, novis corripitur doloribus quasi colicis, quod pro malo omine habui, dedi potiunculam aliquam mannatam, ad expurgandam saburram biliosam, quâ scatebat, ac exinde doloribus colicis frequenter obnoxia, sed frustra, quippe statim revomuit. Clysteres curavi applicari ex solo lacte vaccino, quos commendavit. Aliquando inter ingentes dolores sensit aliquid effluere sanguinis per uterum, cui tamen statim convenientibus remediis maturè prospectum. Inde melius sibi habere visa, nonô abhinc die derepente enorme sanguinis cum multa aqua patitur profluvium fœtu extremè debili. Præscripsi *pulverem ex mag. corall. smaragd. bol. Arm. & lap. hæmat. præp. in vino rubro ter vel quater chalybeato* sumendum. Umbilico admovi carnem bubulam parùm aslatam, & aromatibus conspersam, toti ventri imposui cataplasma, ex herbis & rad. adstringentibus, renesque sive lumbos curavi inungi *unguentô Comitissæ cum sanguine drac.* & *bol. Arm.* ita diem insequentem satis benè transegit. Tertia die iterum sine magnis doloribus aut validis conatibus sanguinis ad sextarium effluxit, jamque ipsa obstetrix diffidere rebus incepit, tantùm sollicita, in procinctu credens abortum, ne post partum enormis, ut jam semel factum, sequeretur hæmorrhagia. Captô itaque ex arena consiliô, ut vel infanti, vel matri succurrerem, suadeo V. S. in brachio & sine mora sanguinis uncias tres extraho. Horâ elapsâ, sensit quoddam quasi exiguum frigus, omnia membra percurrens, cessarunt omnia symptomata, materque cum infante indies melius valuit. Quatuor elapsis septimanis denuò planè similibus afflicta symptomatibus, adhibita eadem, & omnium rogatu, repetita V. S. cum felicissimo successu. Post tres tamen septimanas, nescio qua ex causa, ad viam commota, accedente etiam aliâ animi perturbatione, inopinatò & derepentè abortit puellam perfectam & benè conformatam, quæ absque dubio, si sibi pepercisset, ad legitimum servata fuisset tempus.

OBSERVATIO CCV.

D. CAROLI RAYGERI.

DE

OBSERVATIS QUIBUSDAM IN ICTERI CURATIONE.

Æstate Anno 1674. cœlô non admodum æstuosô inprimis mense Junio valdè frequens apud nos erat icterus; nunquam plures vel vidi, vel sub cura habui ictericos. Omnes autem eô modô corripiebantur cum gravissima scilicet præcordiorum compressione, morsu ventriculi, nausea, cibi inappetentia, constipatione alvi &c. quæ omnia tandem excepit effusio bilis per totum habitum corporis. Urinæ usque ad finem morbi erant ex viridi nigrantes cum sedimento viridi crassissimo in fundo. In quadam fœmina ab initio tenues & croceas observavi urinas cum dextri hypochondrii tumore, sed purgato corpore, urinæ ut aliis turbabantur cum insigni ægrotantis alleviatione. Convaluere omnes ritè tractati & cholagogis bene purgati; V. S. adhibui nullas, cùm morbus non in sanguine, sed in exsuperantia biliosi humoris fuerit. Quidam tamen curabant sibi venam aperire in apice nasi, ad citius profligandum fœdum faciei colorem, quod quidem risu excepti primâ fronte, cùm inusitatum apud nos, & proverbii locô venerit (für dem Fürwitz am Nasen-Spitzel lassen.) Inveni tamen, quod *Galenus* incisionem hujus venæ commendat in continuo dolore capitis, & *Botallus lib. de cur. per sang. miss. p. m.* 337. asserit multoties, se suasu ac instituto Medici cujusdam Empirici, cum juvenis chirurgiam exercuisset, eam administrasse in vetustis oculorum affectibus, nec non in diuturnis capitis doloribus, utiliorem autem observâsse in nasi rubore, quam in supradictis affectibus. Edoctus itaque aliis probatis Medicis usu venisse, licet in aliis affectibus, tentavi quid in hoc valeat. Hinc aliquoties curavi institui, sed dubiô successu, nam æquè citò curabantur ac pristinum colorem recipiebant, quibus aperiebatur, quàm in quibus intermittebatur. Nonnulli applicabant regioni ventriculi tincam piscem, quam etiam commendat *Schrod. in Pharm. sua l. V. cap. prop.* & ex *Kentmanno* confirmat *Conrad. Gesn. l. 4. de aqu. h. v.* Ictericis aliqui tincam viventem alligant umbilico, donec immoriatur, postridie rursus aliam, idque

etiam

etiam tertio repetunt. Tinca immortua intus ac foris veluti croco tincta redditur, & plerique hoc remedio restituuntur. Ego authoritate munitus, in nonnullis reiteratis vicibus, applicari jussi, sine effectu in morbo, & sine alteratione coloris in pisce. Quædam tamen aliquando ex adstantibus honesta Matrona, mihi pro certo affirmavit, sibi in juventute ictericæ, hoc remedium à celebri quodam Medico fuisse commendatum, applicuisse etiam unam viventem umbilico; aliasque duas utrisque pedum plantis, perque 24. horas reliquisse. Remotæ, quæ in plantis pedum erant, nihil de colore mutaverant, at illa, quæ supra umbilicum jacuerat, eâ parte, quâ cutim contigerat, tota fuerat crocea. Iterum probavi, & ut dixit illa, per 24. horas reliqui, sed frustra. Erit tamen ulterius probandum, cum tantis viris fidem omnem denegare non possim.

Dum hæc in chartam conjicio, ad Virum quendam Generosum hujus Civitatis vocor, qui hydropota, ante aliquot dies, in convivio, suis convivis, variorum sanitatem, aqua præbibens, in horrendos ventriculi morsus, & cardialgiam incidit præscripsi *aquam physogonam, Manag. cum spir. arant. spir. nitr. & julepo rosaceo*, credidi, namque à nimia aqua refrigeratum ventriculum, ita flatibus torqueri, sed parum inde alleviationis habuit, quievit tamen per noctem. Altero die mane ipsum visitans, totum inveni ex effusione bilis flavo colore tinctum, & ictericum, cum maxima admiratione, suasi purgans, quod tamen in crastinum differre ipsi placuit. Circa vesperam novi invadunt dolores, & superius orificium ventriculi instar cordis vehementissimè pulsare cœpit, (quem pulsum sive palpitationem ventriculi sæpius jam in colica in primis nostrate observavi) dedi *fl. nitr. cum magist. ocul. 69. perl. corall.* & in instanti omnis evanuit dolor, nec rediit. Reliquias icteri purgatione & acidulis Egranis sustuli.

OBSERVATIO CCVI.
D. CAROLI RAYGERI,
DE
CALCULO PER SCROTUM EXCRETO.

Circa festum S. Michaelis anno 1674. nostratis Pharmacopœi ad rubrum cancrum, duorum annorum filiolus dysenteria aliquot diebus laboravit, urinam non nisi cum difficultate & in minima

ma quantitate reddens, inguinibus & ſcoto diſtentis ac duris exiſtentibus. Calculum hic ſubeſſe ſtatim prædixi, juſſi applicari clyſterium emolliens cum multo oleo ſcorpionum, quibus jam ante adventum meum ſæpius uſus erat, & altero die dedi laxativum ex *extract. diacarth. Norib. cum aqua frag. tinct.* ♀*ri & ſpir. ſal.* quo accepto tam male ſe habuit infans, continuo clamabundus, ut clamosâ morte, ceu noſtri ajunt, moriturum eum crediderint adſtantes. Reiteratum clyſma, & applicata fomenta externa de *melil. alth. malv. par. & ſaxifrag. ſem. lini. fœni gr. & cæpis alb. rec.* quo dolor parum ceſſavit, quieſcente quidem ad horam unam, vel alteram infante, ſed in eodem vigore manente affectu. Catheterem abhorrebant pater & adſtantes, cæteroquin nullum ſupererat auxilium, jamque in ſeptimum diem penitus ſuppreſſa urina, quæ jam ante, ut dicebatur, à tribus ſeptimanis parcè nec ſextâ parte potui reſpondens, fluxit. Tentavi candelâ cereâ, vel explorare calculum, vel viam facere urinæ, ſed irrito conatu. Ita ad extrema redactus miſellus, abdomine jam mirum in modum tumido, nihil amplius videre videbatur, nihil deglutiebat, pedes ac manus tantùm parumper movens, dentibusque ſtridens, hinc metuebamus, ne cum epilepſia ultimum nobis diceret Vale. Ita in agone propè conſtituti parvuli, exploro inguina, & ſcrotum, cum jurato hujus Civitatis chirurgo, *Alexandro Schele*; invenimus hocce in ſiniſtra parte, aliquatenus mollius, quam antea, in primis in loco quodam, nummi Hungarici magnitudine. Decrevimus hic lancetta aperturam facere, ne planè prognoſticis relinqueretur æger, annuit pater, ſuccedit feliciter, vix enim chirurgus inſtrumentum intra cutim adegit, ecce proſilit urina, inſtar loturæ carnium, non admodum ſaturatæ, ad ſextarium unum; Vulnus clauſum, & infanti adhibita confortantia. Redii poſt tres horas, jam melius ſe habebat, & tanta per emplaſtrum ligaculumque ſeri effluxit copia, ut in lectulo ſuper expanſum corium quaſi ſtagnaret. Aliquot diebus elapſis, paulò infra vulnuſculum à nobis factum ſponte natura molitur aperturam, & intra tres dies, dum emplaſtrum removere vult chirurgus, unà extrahit calculum piſi majoris magnitudine. Detumuit abdomen, ægrotus melius in dies valuit. Sed lotium nunquam per locum legitimum; ſed ſemper per hancce aperturam fluxit, quare omnibus modis proſpectum, ne in conſvetudinem abiret, ſed ſenſim tamen coaluit, per loca legitima ſucceſſivè profluente urina. Dedi ſæpius *decoctum*

Foreſti

Foresti cum herbis vulnerariis, nihil autem magis conduxit, quàm *spiritus salis cum sir. de alth. Fern.* sumtus.

OBSERVATIO CCVII.

D. CAROLI RAYGERI.

DE ALAPA LETHALI.

Cornu ferire taurum, equum ferire calce, dentes hiante rictu natura dat leoni, inquit Poeta: Pugnat proboscide elephas, rostro aves, aculeo apes, breviter, cuncta propè animalia naturaliter armis suis instructa sunt; solus homo inermis, ut cùm rex sit omnium animalium, instar regis apum aculeo careat, magisque prudentiæ, quàm armorum imperio valere sciat. Sed proh! quot furor arma ministrat? Non sufficiunt ex ferro & chalybe facta, ipse suis abutitur membris, sæpè brutorum quàm suo generi clementior, nec unâ tantùm parte ceu ista animalia, sed propè omnibus corporis partibus alter alteri non lupus, sed Diabolus, qui primus homicida, evadit. Inter omnia autem membra nullum promptius in vindictam & cædem, quàm manus, unicum aliàs ad pulcherrimas res instrumentum, non semper armis instructa, sed pugno vel vola ad id sufficiens. Hinc tot alapæ leguntur lethales apud *Beniven. Observ. Med. c.* 110. *Hild. c. 6. c.* 11. *Hipp. de morb. vulgar. l.* 5. *c.* 21. *Melch. Sebitz. prod. exam. vuln. Th. Barth. in act. Med. anno I. p.* 86. His & aliis hæc adjiciam.

Ortâ in vico quodam Austriæ Gundersdorff nominato lite inter duos venatores, senior juniori alapam dedit, hic illam vindicaturus ensem stringit, prohibent adstantes, remque inter pocula componunt, succedit, porrigunt dextras, ille deprecatur, hic condonat; At dùm junior dextram conciliandi gratiâ porrigit, seniorem volâ in faciem inopinatò ferit, En, dicendo, tibi tuam alapam, statim senex concidit & exspiravit. Captivatus alter, & in jus protractus capitis sententiam quidem evasit, ad compedes tamen damnatus, in quibus ipsum vidi in arce prædicti Gundersdorff. Mirabile autem, quomodo levi istâ volæ percussione, nullo alio superveniente symptomate, in uno momento fuerit extinctus. Qui casus alium mihi in memoriam revocat, non quidem funestum, sed tamen notabilem. Civis quidam

dam hujus loci, uxori suæ, post aliquam altercationem colaphum dedit, ut ad proximum scamnum conciderit, lividis manûs vestigiis in genis remanentibus. Octiduô elapso nullis aliis præviis symptomatibus, in hæmoptysin incidit illa adeò violentam, ut intra duas horas ultra quinque libras sanguinis exspuerit. Adstantes omnes hunc affectum effectum dixere alapæ inflictæ, quod tamen negavi, nec potuisse caussam fuisse asserui, nisi valdè per accidens, commovendo nimirum eam ad iram, quâ calefactus & attenuatus sanguis venam rupit pulmonis, & ita cum impetu prosiliit, potius tamen ex alia causa fuisse arbitror. Cæterum administratâ V. S. & exhibitô pulvere ex *lap. hæm. præp. mag. corall. & ocul. 69.* iterùm convaluit.

OBSERVATIO CCVIII.
D. CAROLI RAYGERI.
DE
GANGRÆNA SPONTANEA TALI CUM ASTHMATE.

ILlustris quædam Matrona *Kopschinii* in pago trans-Danubiano habitans quinquagenaria diu podagrâ divexata nodosâ, vulnusculum aliquod exiguum in talo dextri pedis, sponte scil. se ibidem aperiente nodô podagricô, jam ab aliquot annis habuit. Die 1. vel 2. Novemb. anno 1674. postquam bene valens cubitum ivisset, derepentè noctu corripitur paroxysmo asthmatico, quo ita torquebatur, ut rarissimè decumbere, crebrius sedere, deambulare autem planè non potuerit. Adhibita in principio, quæ adhibenda videbantur. Octavô morbi die, paulò ante adventum meum, iterum corripitur paroxysmo asthmatico, tàm vehementi, ut inhibitâ respiratione exspiratura fuerit vita, cui supervenio, frictiones & necessaria alia adhibeo, quibus respiratio quidem levior facta, sed sensum in utroque pede ad usque genu abolitum, viderique sibi pedes glaciei instar frigidos querebatur. Continuavi frictiones linteis calidis, quin & lateres admovi calidos, ita sensum & calorem acquisivit pes sinister, non item dexter, cujus planta quasi emortua erat, remanente supra calcaneum circa malleolum horribili, & intolerabili dolore; vulnusculum erat lividum, indolens, ex quibus omnibus indubitata signa sphaceli collegi, multus fui totâ nocte, ut tantum dolores demulcerem. Manè adveniente chirur-

gô dilatari vulnusculum lanzetta, quin & pedis partem superiorem ad explorandum, an omnis sensus evanuerit, hinc inde scarificari jussi, effluxit sanguis nigricans, & in momento omnis cessavit dolor, applicata deinde quæ sphacelum impedire solent, sed latius vagatus, tertia die ad genu ascendit, jamque & in altero pede eadem mortificationis intrinsecæ & insensationis sentiebat initia, quæ tamen blandissima mors superveniens solvit. Credo cum ultimis mensibus nullos penitus habuerit dolores podagricos, regurgitasse illam materiam seu serum podagricum ad pectus, & generasse asthma, quod autem in pedibus stagnavit, quos tumidos, & aquâ plenos habuit, calorem extinxisse naturalem, sphacelumque hunc introduxisse lethiferum. Observavi namque quò latius serpebat sphacelus, eò magis defecisse asthma, & liberiorem fuisse spirandi facultatem. Nihil enim novi in podagra, inprimis nodosa, talem fieri metastasin humorum ad partes nobiliores, vid. *Thom. Barthol. de morb. bibl. §. 11. p. 65.* Noti mihi, qui epileptici facti & per pediluvia accersita podagra optimè iterum valuêre. item alius, qui colicâ immani torquebatur, superveniente autem podagrâ nihil penitus sensit.

OBSERVATIO CCIX.

D. CAROLI RAYGERI

DE

OLEO LINI IN HÆMOPTYSI.

MAgnarum virtutum aliàs oleum lini commendatur in peripnevmonia, phthisi, doloribus colicis, maximè autem celebratur in pleuritide, adstipulante *Gesnero* qui *l. 1. Epist. 49.* inquit: Ego multoties in istis pleuriticis doloribus, nihil melius expertus sum, quàm oleum lini propinatum, hocque statim respirationem facilitavit, sputumque promovit. Proinde studiosè apud nos asservatur ad solem depuratum, qui modus optimus & tutissimus mihi videtur, nam clarificatio, quæ fit per lixivium ad mentem *Hæfferi in Herc. med. l. 2. c. 2.* intuta, & quam *Reusnerus* cum cepâ assatâ *Obs. 67.* proponit, ingrata, vix enim non aliquid de lixivii acrimonia aut cepæ graveolentia retinebit. Hungari recenter expressô delectantur, cum dulce omnisque ingrati saporis expers, verùm minus salubre est, à recremen-

crementis & fecibus nondum purgatum. Nonnulli etiam extrinsecus adhibent, ventrem eodem inungendo, aut linteo imbuto tegendo, ad solvendam alvum in constipatione, quod & quandoque cum successu factum recordor, cum oleum lini laxandi vim habeat, teste eodem *Gesnero*. At nuspiam adhuc memini me legisse, aut observasse, quod conducat in hæmoptysi, fortè à nemine adhuc tentatum. Referam ergo quod à me observatum.

Sub initium anni elapsi 1675. visitavi sæpius fœminam quandam honestam, quinquagenariam, quæ fluxum patiebatur menstruum jam à longo tempore, non quidem adeò largum, continuum tamen. Jam verò catarrho satis molesto divexabatur, cui ex meo consilio medebatur *jusculo ex hedera terrestri, chærefol. pulmon. matrisylv. liquirit. &c.* factô. Aliquando summô mane ad illam vocatus inveni cum stupore ultra mensuram excreti sanguinis floridi, qualis è pulmonibus solet egredi, hunc inter quartam & quintam matutinam sputô rejecerat. Statim curavi aperiri venam in brachio, & dedi, quamvis invitæ *tinct. lap. hæmat. aliquot guttas in sir. de symph. Fern.* sed exiguo cum fructu. Nam circa vesperam iterum rediit sputum, & ultra triduum manè & vesperi continuavit. Refractaria erat patiens, & omnia remedia respuens, obstinatè mortis cupida. Ita anxius, cum ab adstantibus in absentia mariti summoperè rogatus, libenter auxilium tulissem, nescio quomodo inter loquendum mentionem feci olei lini, quod ipsi placuit. Suasi; illa statim cochleare unum sumsit, ejusque usum continuando per aliquot dies penitus convaluit. Credidi ex ruptione vasis in pulmonibus ortam hæmoptysin, oleum lini verò vi sua balsamicâ & emplasticâ iterum consolidasse. Non sine successu postmodum in aliis tentavi. Nam valdè tum temporis grassabantur catarrhi, & apud plurimos credo, à defluxionibus acribus & mordacibus subsecuta hæmoptysi, quibus pro sistendo sputo sanguinis tincturam primò lapidis hæmatitæ, mox pro consolidatione oleum dedi lini: unus tamen ex iis factus phthisicus & mortuus. Pharmacevticæ is erat deditus, qui ex esu nucum tàm recentium, quàm posteà aridarum in catarrhum, mox in hæmoptysin incidit, quam excepit, licet omnia, quæ poterant, adhibita, phthisis & mors. Asserebat is mihi se jam semel passum fuisse hæmoptysin in Suecia, cùm Holmiæ theriacam dispensasset, & catinum non admodum gravem sine violentia ab igne removere voluisset, sed

remisisse

remisisse post usum convenientium medicamentorum, jam verò quinque elapsis annis hîc iterum theriacam dispensaturum eôdem denuò correptum affectu. Non penetravi, an huic dispensationi quidquam tribui potuerit, cum parva nec multis indiguerit viribus, potius autem, ut dixi, ex esu nucum contractam tussim, & ex ea propter validam pectoris commotionem, prius consolidatam venam ruptam arbitror.

OBSERVATIO CCX.

D. CAROLI RAYGERI,

DE

PHTHISI ET MORTE EX POTU FRIGIDO.

EX labore sudanti, frigida potio perniciosissima, inquit *Celsus l.* 1. *c.* 2. quod summa fatigatio & delassatum corpus labore aut sudore (dum pusillus intus relictus calor ad extra expansus, tam magna violentia exsolvitur) extinctionis periculo laboret, affatim sumta frigida, ait *Cald. de Hered. in tract. de pot. var. c.* 4. Inde enim, *pergit*, vidimus familias, quæ mane antiquo splendore illuxerant, vesperi tristi orbitate deflevisse, potu gravissimo, sed eventu misero inopinatam mortem illorum, qui splendoris vanitatem in aquæ summa frigiditate posuere. Hinc etiam *Hipp.* 6. *epid.* Frigida quæ sunt valdè, venas disrumpunt, tusses movent & destillationes, 5. *Aph.* 24. ex quibus phthisin oriri mortemque sequi præter multorum observationes, etiam sequentes hæ probant.

Ephebus quidam æstate anno 1674. postquam hinc inde currendo multùm se fatigasset, haustum sumsit vini refrigeratissimi, nec mora, in tussim & phthisin incidit, ac quamvis omnia adhibita, Domino suo, cui valdè charus erat, nullis parcente sumptibus, spatio decem septimanorum in flore ætatis obiit.

Alius, civis & coriarius hujus loci 36. annorum è nundinis redux valdè tussiit, pro catarrho id habuit, & domesticis usus medicamentis, sed cùm instaret malum, materiamque puriformem ejiceret, petiit à me consilium. Displicuit mihi statim, dissimulavi tamen, & quæsivi, annon ansam dederit huic tussi? Ille se nescire asseruit, nisi quòd in illis nundinis haustum spiritûs vini frigidissimi biberit, unde quidem statim tussierit, non tamen credere se, hanc esse caussam. Ego autem

non dubitavi phthisin subesse, datô uxori prognosticô, ordinavi pectoralia varia, sed ille tribus vel quatuor mensibus elapsis macie confectus obiit.

OBSERVATIO CCXI.

D. CAROLI RAYGERI

DE

VISUS PRIVATIONE, OMNIUMQUE MEMBRORUM TREMORE, EX TOTIUS CORPORIS REFRIGERATIONE.

NOtabilis fuit sævities hyemis anni 1670. circa finem mensis Januarii; ubi præcedente aliquâ exundatione tum temporis insolitâ, unâ nocte ita adstrictus glacie Danubius, ut sicco quodammodò pede quis ex una in alteram ripam ire, & ubi heri remos duxit, jam equo vel carpento vehi potuerit. Quod nam majus damnum intulit, inundatio, an inopinatum & rigidissimum frigus, dubium? verum periisse multos, inprimis qui insulam illam Danubialem è regione urbis incolunt, aquis singulis momentis crescentibus, & ingruente nocte; sed & non paucos, qui in excelsioribus domus partibus, vel arboribus irruentem vim aquarum effugere conati subitaneo frigore toti madidi vel extincti, vel ita destructi, ut digitis in manibus, pedibusque mutilari opus habuerint. Forte civis hujus urbis vietor, ut ligna pro opificio suo necessaria, & in loco quodam Danubio vicino jacentia, salvaret ex undis, ultra tres horas quandoque usque ad axillas in aquis mansit. Domum reversus penes fornacem fortiter calefactam decubuit, statim lassitudinem sensit omnium membrorum. Aliquot diebus elapsis in singultum incidit tres dies durantem, inde restitutus, intra anni spatium visum in sinistro, mox in dextro amisit oculo, utrisque tamen externè benè constitutis. Post triennium articulorum doloribus horrendis corripitur, quibus supervenit tremor perpetuus in hunc usque diem durans. Multa ille adhibuit, quibus dolores ad tempus mitigavit, non sustulit. Præterita æstate & à me petiit consilium, dedi varia iterum pro leniendis tantum doloribus, sed in senili laboribusque exhausto corpore plura efficere nequivi. Originem autem sumsisse malum ex ista corporis refrigeratione extra dubium, cum constet non tantum ex veterum historia,

ſtoria, verùm etiam ex recentibus, quantum damnum ſoleat inferre talis corporis refrigeratio. Certè retulit mihi perſona illuſtris, quod ex Candia rediens naufragium paſſa, ita membris contracta, & quaſi paralytica facta ſit, ut difficulter Paduæ in integrum reſtitui potuerit.

OBSERVATIO CCXII.

D. CAROLI RAYGERI.

DE

EPILEPSIA APOPLEXIÆ SUPERVENIENTE LETHALI.

NOn infrequens aliàs apud nos eſt apoplexiæ ſupervenire epilepſiam, eventu quandoque bonô, quandoque malô, ut multis exemplis probat *D. D. Spindler. in obſerv. ſuis propediem edendis.* Hôc annô pelliónis cujusdam filius 12. annorum, diu, antequam ipſum inviſerem, ægrotans, unô vel alterô à me ſumptô medicamentô convaleſcere viſus, redeunte appetitu, viribus, colore faciei *&c.* Ita conſtitutus derepentè aliquando in brachii dextri enormes incidit dolores. Juſſi fumigari *thure, agallocho, myrrha,* &c. Ceſſavit dolor, ſed manus intumuit, curioſius palpans tumorem, materiam ſubeſſe deprehendi. Commiſſus curæ chirurgi, qui legitimè tractavit, & factâ aperturâ, magna copia puris effluxit, conſolidatum vulnus, motusque rediit. Hæc cùm aguntur prægreſſo leviſſimô dolore, paralyſi corripitur totius lateris ſiniſtri, inſtitui frictiones, cum linteis calidis, aquis arthriticis, unguentis appropriatis, ſed ſine fructu. Alterô die ſupervenit epilepſia graviſſima, quâ ſiniſtrum tantùm latus, quod aliàs immobile, mirum in modum convellebatur, dextro, toto durante paroxyſmo, immobili ac quaſi rigido manente. Finito paroxyſmo, iterum motus rediit dextræ, manſit immobilitas ſiniſtræ, ægrotus melius ſe habuit, comedit & totâ nocte dormivit. Hoc in tertium continuavit diem, ſemper circa horam ſecundam redeunte epilepſiâ planè eodem, ut dictum, modo: Dedi *laud. opiatum,* & continuò ſuppreſſum malum, nec amplius rediit, usque ad finem vitæ, qui poſt aliquot dies ſecutus. Morbi enim longitudine confectus, viribusque exhauſtus, placidè vix advertentibus adſtantibus obiit. Credo paralyſeos cauſam fuiſſe materiam, quæ in dextra per ſuppurationem fuit evacuata, hic autem nervis impacta hæſit, motumque impedivit; cur autem durante convulſione immo-

ne immobile manserit dextrum, convulsum autem fortissimè atque hinc inde jactitatum sinistrum latus, non video, nec satis capio.

OBSERVATIO CCXIII.

D. CAROLI RAYGERI.

DE

CATARRHIS ANNO M DC LXXV. PER AUTUMNUM GRASSANTIBUS.

INter morbos hyemales & vernales gravedines, tusses, catarrhos, raucedines numerat *Hipp. 3. aph.* 20. & 23. At insolita apud nos hoc anno aeris temperatura, insolitos etiam introduxit morbos. Nam per totum Septembrem mediumque Octobris mirum in modum catarrhis vexabantur nostri, ausim dicere nullam domum in urbe vel suburbio fuisse exemptam, quandoque in una, tres, quatuorve inventi simul catarrhosi, & si qui levabantur, alii statim in locum succedebant. Invadebant autem omnes eôdem propè modô, cum rigore & calore 24. horas sat vehementer quandoque durante, plerisque metu gravioris mali V. S. imperavi. Solutô calore, vel coryza, vel tussis, vel inflammatio in faucibus apparuit. Omnes propè coryza vexavit, quâ cessante salvi evasere & incolumes. Mortuus inde nemo, quantum scio, quanquam plurimis metum mortis injecerant, quos tantâ, ut dixi, violentiâ aggressi. Causa fuit, tota æstas pluviosa, insequens autumnus inæqualis, modò serenus, modò pluviosus instar Martii vel Aprilis, hinc etiam tales orti morbi, qui vernali aëre, potissimum apud nos, inæquali, frequentes esse solent. Nam rectè *Hipp. 3. aph.* 7. Qualem temporis statum effecerit annus, tales ferè morbos oportet expectare. Communem autem fuisse caussam, vel exindè probari potest, quod non tantùm hîc loci, verùm & Viennæ, per totam Austriam, *in Silesia, inprimis Vratislaviæ, ubi tamen vix unquam aut rigor aut calor præcessit*. imò ausim dicere per totam Germaniam, ut nobis relatum, fuerint grassati.

OBSERVATIO CCXIV.

D. CAROLI RAYGERI.

DE

SERO LACTEO V. S. EXTRACTO.

Non

NOn tantùm sanguis post V. S. sed & ei circumfusus humor à similitudine illius, qui lacti inest, serum vocatus, considerandus. Nam ex ejus vel quantitate, vel paucitate, vel colore, sua sumet Medicus instantium morborum aut prædominantis humoris, vel, ut quidam amant loqui, admixtæ heterogeneitatis in sanguine indicia. Hinc si serum quantitate excedat, hydropem, hydrocelen, lienterias, diarrhœas, diabeten, syncopen, asthma, catarrhos, aliosque gravissimos morbos efficit, quorum catalogus variorum medicorum observationibus assertus videatur ap. *Schenck. in disp. de sero sanguin. c. 6.* Ratione coloris tot species, quot in corpore humores constituit *D. Jessenius in jud. de sang. V. S. dimiss. p. m. 18.* & cujuscunque humoris excessum notari vult colore. Rubicundiori sanguinem, pallentiori pituitam, flaviori bilem, nigricanti humorem atrum. At *D. Schenck. in prælaud. disp.* colorem habere nullum & minimè esse coloratum, quin potius intrinsecè, secundùm suam substantiam consideratum, unum esse inquit, vultum tantùm non simul animam mutare, nec gravari peregrina videri veste, & delectari dominorum suorum coloribus, quorum comitia sequatur, munere autem suo functum polymitham iterum deponere, sicque pro vario corruptionis gradu & tinctura modò biliosum, viride & lividum, atrabilarium, modò lacteum apparere cum *Riolano* statuit. Et quidem ex viridi flavescens utplurimùm videtur, cæteris sub coloribus rarius. Lacteum observavit *Marc. Donat. l. 1. c. 4. de hist. med. mir. Barth. c. 13. de lact. Thor.* in puella, quæ ante V. S. lac biberat; cum *Ol. Wormio* autem sæpius in cacochymicis & scorbuticis. Ego aliquoties etiam notavi, inprimis autem hoc anno in persona quadam illustri, sana & obesiori bis in V. S. sc. vernali & autumnali, sanguine cæteroquin optimô, & floridô existente, & licet Westphaliâ oriundus prædictus Dominus, quo in loco sat communis esse solet scorbutus, in hoc tamen optimæ constitutionis, & temperamento planè sanguineo prædito nullum præterea apparet scorbuti signum. Proinde non possum illis suffragari, qui ex isto albido colore, vel caloris nativi extinctionem, aut depravatam concoctionem mortemque præsentem ominantur, cum non iste modo, verùm & cæteri, in quibus observare licuit, sani, boni habitûs, plethorici, nullisque morbis obnoxii fuerint. Hinc potius credo, à copioso nutrimento ortum habere, nilque esse aliud, quàm portionem chyli sanguini

guini nondum penitus assimilatam, per venas ad cor refluam, ut penitiorem mutationem experiatur, hanc autem unà cum sanguine extractam serum, ut dictum, per se coloris expers, ad omnes tamen colores recipiendos aptum, eluere, prout alia in sanguine contenta, sicque ut à bile flavum vel viridescens, ita ab hoc in sanguine redundante lacteum acquirere colorem.

OBSERVATIO CCXV.

D. CAROLI RAYGERI.

DE

SERPENTE EX HOMINE POST MORTEM PROREPENTE.

Serpentes in luporum senio confectorum renibus reperiri, & progressu temporis ita fieri virulentos, ut tandem eos interimant, seque duos uno in rene observasse, quorum alter pedis, alter pollicis æquarit longitudinem tradit *C. Steph. l. 7. agric.* Ex fetis equarum alii, ex capillis mulierum *Avicenna* & inprimis capillis menstruatarum *J. Bapt. Porta l. 2. mag. nat.* Ex medulla hominis mortui tota propemodum credidit vetustas, & quemadmodum ex putrefacto bove apes, equo vespas, asino scarabæos, ita in humano corpore ex confluente sanie, quæ est circa medullam, & in unum coalescente, angues nasci vult *Plutarchus.* Hinc *Ovidius:*

Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro.
Mutari credunt humanas angue medullas.

Vid. *Camer.* qui uno vel altero exemplo hoc illustrat, in *hor. succ. c. 11.* At nec desunt serpentum in vivorum corporibus natorum & exerctorum exempla; ut superiorem seculorum historias taceamus, notabile quod *Casp. Bauh. in append ad part. Cæsar. Franc. Rousset.* ex *Matth. Cornace de Anna Tromperin* refert, quæ circa festum D. Johann. Bapt. puerulum unà cum duobus serpentibus enixa.

Memorabilis quoque casus adolescentis illius Argentinensis, qui anno 1617. 8. April. circa primam pomeridianam mortuus in loco quodam clauso adjacente vivô serpente, à domesticis fuit inventus, quem totum eleganti dissertatione prosecutus *D. Melch. Sebizius*, ubi prolixè non tantùm similes historias lectu dignissimas ex variis authoribus

tibus proponit, verùm etiam, an, quomodo, quibus in corporis partibus serpens generari possit, agit. Hisce jungendum omnino duxi, quòd hic in vicinia ante quatuor vel quinque annos in oppido *S. Georgii* secundo abhinc lapide accidit. Sutor quidam pauperculus, extra urbem in loco quodam, qui *Neustifft* vocatur, habitans, per multos annos horribiles in corpore sensit cruciatûs, multos consuluit, multa adhibuit, sed omnia frustra, tandem cruciatuum impatiens arreptô cultrô suo sutorio locum dolentem infra ventriculum stultè sibi aperturus, vulnus satis magnum inflixit, unde mortuus, habitâ prius facti ex impatientia pœnitentiâ. Impositum sarcophago, operculo probè tecto, contemplaturus fortè supervenit quidam vulnus & mortuum. Ecce remoto operculo, serpentem cum stupore egressum ex vulnere observat, brachii longitudine, & duorum digitorum crassum, & quatriduum supervivetem, Hæc mihi civis & chirurgus ibidem honestus *Gabel Nordermann*, qui sutorē istum, non tantùm vivum noverat, sæpius ab ipso, ut consilium ferret requisitus, sed & post mortem vulnus inspexit, serpentemque in manibus habuit. Ita post mortem in notitiam venit, quod vivum afflixerat, & demum agnitus morbus, cum serum nimis illi fuerat mederi. Cæterùm serpentes illi in renibus luporum observati à *C. Steph.* mihi in memoriam revocant binos illos vermes in rene canis inventos *Parisiis*; cùm enim aliquando in cane satis magno animi causa extispicium instituissemus, occurrit ren dexter magnus naturalem figuram excedens, pinguedine undique tectus, quæ tamen pinguedo non erat, sed duplex aut triplex membrana albicans, ad tactum durior, cæterùm adipem egregiè mentiens. Dissecta illa nullum apparuit parenchyma, sed insignes duo vermes. Alter duarum spithamarum longus digitô minori crassior, colore rubeus, ore exerto & hiulcô, qui omnem parenchymatis substantiam absumsisse visus. Alter minor lumbrici forma, sed eò longior, colore albicantior priori, cuti pellucida, adeò ut intus filamenta quædam alba, quæ primò pro aliis vermibus habuimus, postea verò intestina, vel quid simile miræ longitudinis & decuplo longiora ipsô verme, fuisse credidi, conspici potuerint; cubile hic habuit extra renem, in sacculo membranoso, uno pollice lato, intus satis capaci, eâ parte, quâ ureter exire solet, progredienti, in quem tandem iste sacculus desiit. Reliquum renis deforme, pallidum, exsangue, nullo modo renis formam vel figuram referens, carunculas

intus habens duas, & præter naturam constitutas. An & hi angues fuerint, & suo tempore aliquando venenati futuri, vel an hoc lupis tantum solenne, non disputo. Notabile tantum tantæ longitudinis vermes in rene canis fuisse repertos.

OBSERVATIO CCXVI.
D. CASPARIS MARCHII.
DE
ABSCESSUS FISTULOSI IN FEMORE MEDICAMENTO ANTIMONIALI CURATIONE.

Civis quidam Gryphiswaldensis pistor, in parte femoris internâ tumorem abscessui similem animadvertens; consilium alicujus balneatoris imploraverat, qui ipsum sudatorio imponens, sanguinis æstum insignem atque inflammationem tumoris hoc ipso excitavit, cui mederi frustra tentavit; Relicto vero isto pseudo medico, chirurgo expertissimo curandum se committit; at vero is abscessum hunc cuniculos jam tum fecisse sentiens, frustrà adhibitis remediis sibi familiaribus; difficilem futuram curationem prævidit; adeoque medicum aliquem in consilium adhiberi postulavit. Accersitus ego, foramina aliquot fistulosa, jam tum in parte istâ femoris deprehendo, & inflammationem vel adspectu horridam; quare interna remedia nonnulla; qualia Practici celeberrimi commendant, præscribo, quibus etiam sedulò æger fruitur, chirurgo interim externis appropriatis; quod suum erat, peragente, sed frustra laboravimus ambo, quin ulterius sub cute serpere malum, atque in ipso etiam pene fistulas oriri vidimus. Accidit autem, ut dum vesperâ quâdam chimica perlustro scripta, de *tincturâ* seu *extractione aliquâ antimoniali* mira prædicari lego, & in specie, *si mediante hoc extracto cerevisia antimonialis pararetur, omnia ulcera etiam fistulosa & pessimi moris sanari*, externè saltim vulgaribus emplastris temperatis & defensivis adhibitis. Actutum concludo, fieri per gratiam divinam posse, ut hoc medicamenti genus etiam ægro meo plurimum conduceret; paratum ergo omni studio *extractum* ejusmodi, jubeo infundi *cerevisiæ adhuc fermentanti*, cado tamen jam tum infusæ, quam, ubi deferbuerat, claram & in sapore ne tantillum immutatam bibit æger inter cibandum, jussi tamen, ut *unâ vice non excederet mensuram dimidiam*, sive libram j. civilem. Mirum dictu, quantum

quantum inde commodum intra paucos dies experti sumus, ichorosa materiâ probè emendatâ, sedatâ inflammatione & consolidatis sensim fistulosis canaliculis, quo super effectu ipse chirurgus lætus obstupuit. Vix decem præterierant dies, ubi restitutus ferè in totum vir ille videbatur, qui ob id gaudio plenus, amico qui ipsum inviserat, gustandam præbet cerevisiam, unde tantum expertus erat fructum, cujus sapore indifferenti, immò aliquantulum suaviori, illecti, largius de eâ biberunt, adeo ut fateretur æger, se *ultra tres aut fortè quatuor libras* ejus exhausisse, sed infelici successu: excitato enim insigni sanguinis & spirituum fervore, inflammatio in femore recruduit, ac purpureo suo colore nos die sequenti valde perterruit. Intellectâ autem caussâ, non despondi animum, sed quieto saltim animo & corpore esse jussi, ac de cerevisiâ istâ hoc & sequente die inter epulas saltem ℔ß bibere, quo facto mox evanuit inflammatio, & paucos intra dies felicissimè sanatus fuit æger, sine ullo deinceps incommodo vivens.

OBSERVATIO CCXVII.

D. CASPARIS MARCHII

DE

SCABIE ANTIMONIALI MEDICAMENTO BREVI CURATA.

ACcidit etiam in primis praxeos & professorii muneris mei annis Gryphiswaldiæ, ut in pago quidem Pastor consilium meum requireret, pro *Studioso*, liberorum suorum informatore, scabie universali malignâ & crustosâ laborante, adeò ut quæ lectum sterneret ancilla, singulis vicibus squamarum deciduarum manipulum non exiguum corradere posset, unde parum à leprâ aut elephantiasi discrepare hoc malum censebatur. Ego antimonialis medicinæ vim mundificativam exploraturus, nullum prorsus aliud remedium commendo aut exhibeo, præter tincturam aliquam antimonii, quam ipse paraveram, vomitivæ facultatis, aut dejectoriæ prorsus expertem. Vix quatuordecim dies elapsi, ubi me iterum invisens Pastor, lætus narrabat, Studiosum illum hoc solo medicamine, sub benedictione divinâ plenissimè sanatum esse, & mundo nunc ubique corpore incedere.

SCHOLION.

HAbemus hic bina exempla de virtute mundificativa medicamentorum antimonialium, quorum istud, quod in priori observatione adhibitum, non caruit virtute emeticâ, quam, si ad XXX. aut XL. gutt. in dosi quis adscendat, luculentissimè ostendit. Speculatione curiosorum omninò dignum videtur, quomodo effectum ejusmodi edere possint hæc antimonialia medicamina. Probabile minimè videtur, id fieri posse per solam sui consociationem cum sanguine & lymphâ vitiosis: quam enim facultatem alterativam fingere vellemus, quâ mediante exigua medicamenti quantitas massam sanguinis integram, aut totum laticis flumen corrigere, & ad pristinam bonitatem reducere valeret? ut taceam, quod etiam ea antimonialia medicamenta, quæ fixissima sunt, atque indissolubilia, ut est antimonium diaphoreticum, & alia, virtutem correctivam ferè similem exserant, de quorum cum sanguine unione magis adhuc, nec immeritò dubitare possumus. Qui cum *Helmontio* ægritudines omnes deducunt ex Archæi vel errore vel furore, tribuent forte cum eodem authore *vim quandam astralem adeoque & influentialem* hujusmodi remediis, quâ reducere eum ab errore, vel ejus sedare furorem possint, idque ob certam quandam convenientiam cum vitæ Archæo aut singularem hujus complacentiam cum medicamine. Ast magnâ hic iterum urgemur difficultate, quandoquidem nonnulla antimonialia in dosi saltim exiguâ commodum præstant, in auctiori incommodum adferunt, uti in primo casu cerevisiæ antimonialis moderata & largior assumtio ostendit, unde sat probabiliter deducitur, non posse statui convenientiam singularem istius medicaminis cum Archæo nostro, utpote qui ob dosin auctiorem mox indignationem concipit, secundum quam pessimos effectus edit, & producta creat vitæ aut sanitati valde adversa. Respondebunt equidem *Helmontiani ex tract. Natura contrariorum nescia §. 44.* quod remedii appropriata convenientia præsupponat proportionem tàm in gradu quàm quantitate: sed hæc obscuriora sunt, quorum elucidationem aggredi in præsens non præsumo, sed aliis in Illustri Collegio nostro viris Curiosis, doctioribus, & ad speculandum plus otii habentibus, istud, propositamque quæstionem, quo operandi modo hæc antimonialia medicamina salutares istos aut insalubres

effectus

effectus, edant, discutienda relinquo, favori interim omnium & singulorum me sedulo commendans.

[*In literis ad Dn. D. Fehrium, 29. Jan. ann. 1676. Berolini Svinfurtum.*]

OBSERVATIO CCXIIX.

DN. ERICI MAURITII,

DE

NOVO CONTRA PODAGRAM REMEDIO, ET LAPIDIS LAZULI VI ELECTRICA.

AD

D. SEBASTIAN. SCHEFFERUM,

Amice pl. honorande,

LIteræ Tuæ rectè mihi traditæ sunt. Legebam tum Belgico sermone conscriptum, nuperrimè mihi ab homine amico & curioso transmissum librum, quo indicarur *repertum* tandem *in India Orientali contra podagram remedium.* Cum sciam, nondum ad vos pervenisse librum, nec dubitem ejus Te argumentum libenter intellecturum, id breviter exequar. *Hermannus Busscopius Ultraject.* & per XX. amplius annos, Ecclesiæ, in urbe Batavia, quæ Belgarum in India primaria est, Pastor, ad directores Societatis Indicæ Amstelodamensis Cameræ, literis ex ipsa Batavia XXX. Jan. anni 1674. scriptis, ac per filium unicum ex India reducem exhibitis, rem certam esse ait, atque seipsum aliosque plures eo remedio convaluisse. Decubuerat ipse ante annos qutuordecim ex isto morbo, ut sæpè alias, quo antehac patrem & avum, cum justam ætatem nondum attigissent, amiserat: decubuerat autem solito vehementius; cùm adversus ingentes dolores consvetis remediis nihil proficientibus, advocat mulierem ex *Quinam* oriundam, quæ peritiæ medicæ documentum in familia ipsius, curatis, præter filiam ex desperatis morbis, mancipiis aliquot, jam ante dederat. Illa rogata, an sciret adversus dolorem ipsius remedium; se verò scire, & tale quidem respondit (modo levem inustionem pati velit) ut verendum non sit, ne aliquando redeat. Ipse negare primum pati se velle hujusmodi aliquid; crescentibus tamen doloribus, haut difficulter tandem admisit. Adest ergò illa, bacillis quibusdam aromaticis, & sub-

 stantiâ

ſtantiâ quadam lanuginoſa inſtructa, eam Indi *Moxa* vocant, paratur autem peculiari & ſecreto artificio, à *Chinenſibus* præcipuè ſed & à *Japonenſibus*, licet non perinde egregia, ex herba nobiliſſima, cujus nomen quoque ad Europæos emanare nolunt: frequentiſſimum ejus per multa Orientis regna commercium eſſe perhibet *Buſſcopius*: *Moxæ* hujus particulam, piſo non majorem digitis in coni formam aptat, cujus baſin cuti, ea parte, quâ dolor præcipue urget, applicat, mox cereum poſcit, bacillisque aromaticis moxæ apicem accendit, cujus pars una in cineres reſolvitur, altera ſe cuti applicat, quam in cineres abire vetat, quæ à cute extrahitur humiditas. Hæc operatio aliquoties, plerumque tamen ter ſolum repetitur, ſine inſigni dolore, cumque ipſi pluribus locis remedium hoc applicaſſet, tota operatio intra dimidiæ horæ ſpatium abſolvebatur. Motum humorum intercutaneum, celerrimum, ſenſu & oculis ſe deprehendiſſe, ait, dolores verò omnes confeſtim ceſſaſſe, odorem interim tetrum exſpiraſſe locum affectum perhibet, inde mox incidiſſe in ſomnum diuturnum, quo per ſeptimanas aliquot caruerat; alterâ die experrectus præter tumorem pedum nihil mali ſenſit, ſed & illi mox detumuerunt. Ex eo per menſes XXVII. nullum podagræ indicium ſe animadvertiſſe ſcribit, nec deinceps inde niſi leviter admodum ægrotaſſe; ſemel omninò ante annos IV. febrem acutam (quem morbum ſibi ultimum fore exiſtimabat) in podagram vehementiorem deſiiſſe, magno ſuo gaudio, utpote qui morbi illius medicinæ jam certus eſſet. Commemorat porrò cunctis profuiſſe aliis, quibus autor fuerit hoc utendi remedio, quod nunc & venditur *Ultrajecti* in ædibus *Joannis Buſſcopii Advocati & Scholæ Conrectoris*. Mira ſanè res! ſi fortaſſis eorum, qui apud Vos materialia, ut vocant, vendunt, *Moxæ* hujus aliquid è Belgio acceperit, partem ejus exiguam, meo ære redemptam, mihi rogo, transmitte.

De *lapide Lazuli orientali* obſervavi, vim ipſi ineſſe electricam, cujus beneficio, vi illâ leni frictione, quali in ſuccino utimur, provocatâ, manui eâ parte, quâ *ſalvatella* eſt, adhæret. Habeo gemmas ejus generis orientales antiquis figuris inſcriptas ſex vel ſeptem, quæ id ſingulæ præſtant, quædam etiam tamen firmiter cuti adhærent, ut à manu decem & pluribus vicibus inverſa non excutiantur. Cum alibi non perinde adhæreant, duo iſta inde probari mihi videntur: 1. *Salva-*

Salvatellam præ cæteris venis attrahere melancholicum humorem, veramque esse antiquorum, quod & recentibus experimentis constat, sententiam, in morbis lienis illam rectius quam alias aperiri. 2. Agere medicamenta quædam electivè, cujus eximium argumentum est, quod ita agere illa in dissecto cane vidit *Regnerus de Graef*, ut quidem ipse testis est in *tractat. de succo pancreatico*. Proximis diebus his experimentum feci lactis in sanguinem vel saltem humorem sanguini simillimum mutandi, quod & intra horæ quadrantem succesit; multum in hoc experimento ad ostendendam chyli in sanguinem mutationem ponderis esse videtur. Vale & salve Scrib. Spiræ 12. Febr. 1676.

(*Dn. D. Schefferus ad Dn. D. Febrium, Francofurto Svinfurtum mense Februar. ann. 1676.*)

OBSERVATIO CCXIX.
D. JOHANNIS FRIDERICI HULDENREICHII
DE
HEPATE INSOLITÆ MAGNITUDINIS PENDENTE QUATUORDECIM LIBRAS CIVILES.

UXor *Johannis Keppleri, textoris Vracensis*, ætatis 45. annorum, temperamenti biliosi, per aliquot mensium spacium sub dextra axilla facta à natura quasi fontanella ulcus aluit, ex quo materia quædam alba cum flavedine permixta interdum copiosè fluebat & fuebat: Hoc cum à chirurgo (quod hujus pertæsa amplius ipsi exitum concedere nollet) imprudenter nimis meo judicio consolidatum esset; paulò post dolorem circa hepatis regionem sentire cœpit gravativum, cum ciborum fastidio, vomitu interdum bilioso, nec non siti, quâ premebatur, intensâ, cum insigni tumore quem digitis tangere licebat, dextri hypochondrii, eâ potissimùm parte, quâ hepar ventriculum ambit.

Ego in consilium vocatus, postquam prognostico ancipitis & exiguæ spei me præmunivissem, artis præsidia arripui, remediisque tàm internis quam externis curationem auspicatus sum; sed sine fructu, & exiguo cum levamine.

Nam cum symptomata indies graviora fierent, dolores non remitterent, præprimis autem tumor, à topicis nec emolliri nec discuti

posset,

posset, icterusque totum corpus subitò invaderet & occuparet, medicamentorum usum porrò sibi salutarem fore dubitabat; proinde ab iisdem planè abstinuit, sola aquâ confortativâ, quâ per vices ex cochleari utebatur, contenta.

Interim in sellâ dextro latere versus terram declinato (à pondere & mole tumoris istius hanc miseram retrahente, & fermè opprimente) dies noctesque sedens, crebris & reiteratis gemitibus blandam animæ à corpore ἀνάλυσιν à DEO exoptavit, quam etiam ab ipso impetravit.

In tumoris hujus ad aspectum & tactum protuberantis causam cùm inquirere animus esset, apertionem cadaveris à marito & amicis, precibus & persuasionibus (quanquam initio omnes reclamarent,) tandem extorsi.

Cùm itaque opus aggrederer, & circa parenchyma hepatis, tumoris indagandi gratiâ, occuparer, illud cum stupore & admiratione tam vastum ac mole ponderosum videns adstantibus monstro, qui perterriti vix oculis fidem habebant.

De pondere autem certior fieri volens, monebam chirurgum, ut extraheret, & totum scirrhosum repertum, pendebat *libras quatuordecim* civiles. Cæterùm in mesenterio adhuc carnosa excrescentia, magnitudine caput infantis æquans, conspecta & detecta fuit.

Reliqua viscera à nativa bonitate nil defecerunt.

Sequentia in viro quodam honesto hujus urbis, cujus nomen erat *Urbanus Walcker*, notavi.

Hic ex vitio hepatis per annos duos, maximos dolores perpessus est, nil quicquam proficientibus medicamentis. Ex hujus umbilico sæpè materia alba & serosa stillabat; qui tandem fatis concessit.

Post mortem aperto cadavere hepar induratum grande & in gibba parte ultra triginta diversæ magnitudinis ulcuscula habens, inventum est; quæ aperta & dissecta, similem, prout ex umbilico fluxerat, materiam, cum fœtore tamen aliquali conjunctam, fundebant; in parte autem cava, abscessus, vesicula propria inclusus, magnitudine ovi gallinacei deprehensus est.

Lien solito minor. Renes, quoad substantiam carnosam in totum consumpti erant; relictis tantummodò involucris seu integumentis illorum.

OBSER-

OBSERVATIO CCXX.

D. JOHANNIS FRIDER. HULDENREICHII,

DE

CALCULO IN VESICULA FELLIS.

Mulier quædam ætatis 61. annorum, uxor sutoris cujusdam Vracensis à multis annis de atrocissimis, quos per intervalla sentiebat in abdomine, doloribus conquesta, cum quodam die maritum comitem habens, negotiorum causâ proximum pagum peteret, inter eundum iisdem correpta doloribus, alvi exonerandæ gratiâ, ad arborem multis virgultis circumseptam, non procul à ripa fluvii stantem, considere coacta fuit.

Interea maritum viam prosequentem, subitò magno clamore vocat, seque viperam per alvum rejecisse constanter affirmat; qui accurrens, facto strepitu inter virgulta, viperamque (quæ procul dubio ibidem loci delituerat, prout exitus historiæ docebit) in fluvium sese immergentem videns, mulieri postmodùm majorem fidem habuit, præsertim cum jurato omnibus rem ita se habere, affirmaret,

Cum autem ventris tormina etiam post exclusam, uti opinabatur, viperam non remitterent, sed per intervalla iisdem; ut antea passionibus recurrerent, aliam adhuc vivam viperæ prolem in ventre domicilium habere, firmiter sibi persuasum habebat; hincque farciminis instar sæpè per intestinorum contubernium circumgyrari ajebat; quam licet interdum manibus apprehenderet, statim tamen rursus iisdem sese subduceret, & evanesceret; nec ullis rationibus, ut contrarium statueret, flecti potuit.

Affectus iste, cum miseram (quod aliquoties vidi & observavi) invaderet, ambabus manibus ventrem comprimendo, pedibusque tremendo, tanto clamore & ejulatu ædes replebat, ut etiam extra easdem in vicinia longè exaudiri potuerit: firmiter credendo, dolorem hunc immanissimum & lancinationem intestinorum à viperâ veneno emisso excitari; fidemque adstantibus hoc ipso conciliabat mojorem, dùm diceret, se sæpius vexari his tormentis, cum jejuna esset; quamprimum autem lac tepidum hauriret, vel jusculum sorbillaret, aut panis frustulum comederet, venenatam in ipsius ventre hospitantem bestiam placari

cari, doloremque exinde mitigari; præsertim cum sedato illo munia domestica rursus obire posset.

Multi super hac re variis opinionibus distracti; quidam uteri symptomata, alii lienis affectum, nonnulli colicam biliosam accusare solebant. Reliqui, nescio quid morbosi apparatus in abdomine delitescere arbitrati, singuli suo, tàm Medici (à quibus passim consilia & auxilia emendicata & efflagitata fuere) quàm empirici, ut & alii in consilium adhibiti viventes judicio: non exclusis, ut sæpè fieri solet, ex hoc medicantium consortio, aniculis; quæ malum dæmoni & sagis adscribebant; aliæ, certò viperam adesse, quam sibilare & cantillare audirent, hariolabantur.

Durante verò per triginta annorum curriculum hoc atrocissimo affectu, multa (quamvis interdum etiam inepta) à multis pro exturbando hoc peregrino, uti opinioni ferebat, hospite, adhibita fuere remedia: sed tot assumtorum, quibus fermè enecta, pertæsa, (cum etiam omni argentario destitueretur præsidio ægrota) rem totam DEO & naturæ commisit; nil quicquam medicaminis porrò assumendo.

Tandem sub finem vitæ hydrope correpta fuit unde dolorem pristinum jam in totum sopitum esse, nec quicquam de viperæ motu se amplius persentire ajebat.

Cùm autem affectum hydropicum naturalem, & interdum etiam curabilem ex fœmina quadam (à me & chirurgo per paracentesin in umbilico factam eductisque 12. circiter in hujus abdomine restagnantis laticis mensuris feliciter curata adhuc sospite) intelligeret, me rursus in consilium vocavit, ventrisque apertionem ursit.

Renui propter virum imbecillitatem, & quod umbilicus ipsius, non, ut præfatæ mulieris aquâ plenus tumeret: itaque medicamentis hydragogis & vesicatoriis pedibus applicandis, nec non aliis, rem moliendam & expediendam esse prædixi.

Ultrò citroque habito sic sermone, opinionemque confirmante chirurgo, rem omnem meo arbitrio commisit.

Hinc curationem medicamentis, affectum hunc propriè respicientibus aggressus, ventrem successivè omni aquâ exoneravi, detumescentibus etiam, vesicatoriorum ope, pedibus; sed brevi ægrotæ gaudio, quæ jam perfectè curatam se putabat, & prædicabat.

Recrudescente enim malô abdomineque aquarum copiâ aucto tandem

Ad Ann. VI. Obs. CXCV.

N°. r



Ad Obs. CCXX.

N°. q



CXVI

Ad Ann. VI. Obs. N°. m.

tandem exantlatis tot annis, incredibilibus dictu doloribus mortalitatem exuere coacta est.

Facto sic dolorum vehementium, & calamitatum ingentium fine, amici & cognati de certitudine hujus affectus solliciti, ut cadaver aperirem, obnixè rogârunt, quod etiam pie defuncta, adhuc in vivis, me monendo, ne intermitterem ursit; quorum precibus ne deesse viderer, cùm & ipse summo desiderio causam tam diuturni & chronici affectus rescire tenerer, rem statim ministrantibus duobus chirurgis expedivi; & cum venter aquâ plenus tumesceret, eandem per canalem ad sex mensurarum complementum eduximus.

Postmodum apertô decenter cadavere, inspectisque visceribus, omnium primò pulmones utrinque costis adhærentes totos purulentos & plenos tuberculis nigris & cœruleis, invenimus. Hepar grande & multis in locis durum apparebat.

Vesicula fellis autem (hîc latebat anguis in herba) hoc, quem depictum vides calculo, infarcta erat; in cujus superiore ductu versus hepar supra præfiguratum calculum reliqui minores tanquam proles matris alvo exclusa quiescebant.

Etenim grandior calculus tam arcte & tenaciter vesiculæ bilis adhærebat, ut vix digitorum meorum ope separari & detrahi potuerit.

Perlustratô deinceps mesenteriô hoc planè ab acrimonia bilis erosum, & ejusmodi calculosa materia (causa procul dubio hydropis) refertum vidimus.

Reliquis visceribus naturalis erat constitutio, neque in intestinorum contubernio vipera inventa; quamvis maxima pars adstantium hanc ibidem contentam crederet.

Itaque calculô hôc è cystide fellea à me exemptô ad oculum demonstravi adstantibus & amicis causam dolorum & mortis, non viperæ, sed primariò huic (scilicet calculo) adscribendam ac imputandam esse: neque ullam aliam me agnoscere posse nec velle: hôc permotus fundamento, quia vesicula bilis obstructa à novo isto possessore bilem nec recipere, nec emittere potuit; hinc natura aliam quærendo viam hanc in mesenterii substantiam deposuit; unde ingentes istos dolores & cruciatus subortos esse, nullus dubito.

Id quod etiam apparebat in muliere istâ adhuc vivente; quamprimum enim (postquam dolores aliquandiu duraverant) per vomi-

tum sese expurgaret, brevi sublevata est, dolore omni penitus remittente, donec nova bilis generatio, eadem inferens symptomata, eundem quæreret exitum.

Similes fermè duas historias ex eadem causa præter immanissimos dolores cancrosam etiam partibus dispositionem inferre valentibus, lector benivolus, in *Armamentario chirurgico D. Johannis Sculteti* inveniet. *Vid. Observ.* 148. *p. m.* 102. 103.

OBSERVATIO CCXXI.
D. JOHANNIS FRIDERICI HULDENREICHII DE
CALCULIS INNUMERIS IN SUBSTANTIA PULMONUM REPERTIS.

CAlculos in omnibus fermè corporis humani partibus generari posse, extra controversiam est; Hinc mirari non licet, etiam in pulmonum substantia talem interdum reperiri lapidicinam, è qua tot lapilli eruuntur, ad corporis fabricam potius evertendam, quàm construendam comparati. Proinde hæc calculosa fruticatio, & calamitosa feracitas, præsertim in juvenili ætate adhuc constitutis subjectis, maximè deploranda est.

Tantum enim abest, ut illa ætatis progressu imminuatur atque evanescat; quin potius augeri videtur, viresque acquirit eundo.

Præfatis fidem conciliabit sequens Observatio. Studiosus quidam Philosophiæ, annorum viginti, nomine *Johannes Adamus Erhardtus, Johanni Adami Erhardti*, Pharmacopœi & Consulis quondam Vracensis p. m. filius natu minor, Tubingæ in stipendio Ducali, studiis gnaviter indulgens, nullis antea divexatus morbis, tempore hyemali, de dolore stomachi conquestus, nec non inter lucubrationes sæpè tussi siccâ correptus, scabieque parùm infectus, tandem patrios Lares repetit, reque matri & amicis detectâ, mox in consilium vocatus fui, & cùm ab ægrotante in singula diligenter inquirerem, medicamenta quædam præscripsi, quibus affectum mitigatum iri sperabam, sed malo indies, fatiscentibus subindè viribus, ingravescente, signa haud obscura incipientis phthiseos apparuere; quibus perspectis curationem secundùm methodum medendi instruendam, eoque dirigendam esse judicavi, ut malum, si quidem in artis potestate, in prima quasi,

quaſi, quod dicitur, herba ſuffocaretur. Sub cujus curæ auſpicio & initio, præter omnem ſpem & opinionem, patiens calculos duos inter tuſſiendum me præſente rejiciebat, cum materia purulenta cruore nonnihil tincta.

Hiſce viſis & perluſtratis, pulmonum ſubſtantiam hujuscemodi calculis refertam eſſe, haud obſcurè colligere potui.

Quapropter cum plures ſubinde ejusdem farinæ per intervalla dierum rejicerentur calculi, materiaque purulenta, viridem & ſubflavum repræſentando colorem, fœtoris haud expertem, exulcerationem pulmonum innueret, in tam ancipiti caſu, alium etiam Medicum accerſendum curavi.

Communicato invicem conſilio dubiæque ſpei relicto prognoſtico, ſelectiſſimis & pretioſiſſimis contra hoſtem hunc pugnatum eſt remediis, ſed fruſtra & incaſſum tentatis omnibus.

Quippe per 18. ſeptimanarum ſpatium durante affectu, concurrente ſub finem morbi & vitæ etiam abdominis & pedum tumore hydropem aſcitem præſagiente, omnemque medicamentorum vim penitus eludente, tandem ſtrue iſtâ calculorum (prout ocularis inſpectio docuit) oppreſſus, membrisque omnibus feſſus, juvenis iſte (alioquin propter pietatem, morum decentiam, indefeſſamque literarum culturam longiore vitâ dignus) diem ſuum obiit.

Apertô cadavere libras aliquot aquæ in abdomine fluctuantis emiſimus, demum inſpectis diligenter viſceribus, præſertim pulmonibus, proh DEUM! tantum calculorum diverſæ magnitudinis agmen in illis maximam quidem partem exulceratis, repertum eſt, ut aliquot centum eruere ex iisdem potuiſſet: Imò, vera ſcribo, in tanta copia apparuere, ac ſi manu ſeminatis injecti fuiſſent.

Hepar induratum & quaſi elixatum conſpiciebatur. Cæteris viſceribus, quantum judicare licuit, ſalvis & illæſis.

Non abſimilem in ſubſtantia pulmonum germinantem calculorum prolem aluit parens defuncti ſtudioſi: idcircò ex ſemine morboſis hujusmodi tincturis inquinato per hæreditariam diſpoſitionem in filium etiam hunc affectum derivatum & propagatum eſſe, nemo facilè negatum ibit. Huc quadrare videtur illud:

Qui viret in foliis venit à radicibus humor.
Sic patrum in natos abeunt cum semine morbi.
(*In literis ad Dn. D. Febrium d. 15. Febr. ann 1676.*)

OBSERVATIO CCXXII.

D. ALPHONSI KOHNII,

DE

CAPITE FOETUS SEPTEM ANNIS IN UTERO RETENTO.

OPificis cujusdam uxor, 35. jam annum agens, ante 7. annos gravida facta, totô gestationis tempore magnis & multifariis ægritudinibus & adversitatibus divexata, circa sextum & septimum mensem fœtum diversimodè & extra-ordinario modo se jactitantem & invertentem maximè contristata sæpius sensit de futuro partu anxia valdè & sollicita; accidit autem, ut tempore partus laboriosissimi post membranarum disruptionem & aquæ effluxum, secundinæ primùm extra uterum sese repræsentarint, & post quinque demum dies fœtus corpusculum emortuum pedibus præmissis in conspectum venerit usque ad caput, adstantes mulierculæ auxiliatrices quantum licuit leviusculô attractu præbere manus attentabant, ut caput quoque adhuc in utero detentum foràs prodiret; ecce horribili adspectu protinus corpusculi truncus capite, ob collum putrilagine penitus corruptum, in matrice relicto, cum insigni & fermè intolerabili fœtore in manibus earum hæsit, quô visô attonitæ obstupuere omnes. Puerpera nihilominus DEI O. M. singulari beneficio viribus non nimiùm enervata, & à gravioribus hisce casibus supervenire solitis symptomatibus libera, sarcinam & reliquias hasce valdè molestas deponere gestiens, varia à diversis Medicis & chirurgis per 4. annos usurpavit remedia, tàm interna, quam externa, sed parum felici, nec optatô successu, cum tot annorum spatiô nil nisi purulenta quædam capitis putrescentis materia cum paucissimis cranei exesi portiunculis ingenti fœtore excreta fuerint. Tandem paupercula patiens medicamentorum pertæsa, dum nullus urgeret dolor, & actiones vitales, animales ac naturales (generatione exceptâ) observarentur integræ, ipsaque laboribus muliebribus exercendis par esset, totum opus soli naturæ perficiendum tradidit, divinô quotidiè ardentibus suspiriis implorato

auxiliô,

auxiliô, quô factô intra tres subsequentes annos vis matricis expultrix paulatim totam cranii & capitis relictam substantiam per particulas modò majores, modò minores (quarum postremò paucas ante septimanas excretas cum reliquis omnibus præcedentibus nuperrimè mihi monstravit) absque ullo alio superveniente symptomate præter titillationem aliqualem haud admodum dolorificam feliciter extirpavit, perfectæ sanitatis adhuc superstite, & ad ulteriorem conceptionem aptâ muliere.

[*In liter. ad Dn. D. Febrium, mens. Febr. Ann.* 1676. *Ulma Suinfurtum.*]

OBSERVATIO CCXXIII.

D. JOH. BUTZII

DE

ANATOME HYDROPICÆ.

Ante octiduum in pago *Suffen* cadaver hydropicæ septuagenariæ jussu Prænobilis Domini nostri Præfecti à chirurgo, me præsente, fuit apertum: illa vivens existimabat, serpentem aut aliud quoddam animal in se latere; sed nihil invenimus, præter ingentem aquæ copiam tàm in abdomine, quàm thorace contentam, & viscera, qualia hydropici habere solent; ventriculus tamen ita fuit contractus seu coarctatus, ut magnitudinem renum non excederet, nullam ferè habuit cavitatem, & substantia ejus fuit admodum crassa, sed diu nihil comederat.

(*In literis ad Dn. D. Febrium mens. Febr. Ann.* 1676.)

OBSERVATIO CCXXIV.

D. JOHANN. SIGISMUNDI ELSHOLTII.

DE

MOXA SINENSI, ANTIPODAGRICA.

Hermannus Busschosius Ultrajectinus, Concionator veteranus in Batavia nova Indiæ Orientalis, conscripsit ibidem libellum de *podagra per Moxam curanda* idiomate Belgico, ipsumque Ill. Societati Indicæ suæ Amstelodamum Ann. 1674. cum dedicatione transmisit. Is liber ibidem anno sequenti fuit impressus, & una cum *Sinicâ* illa *Moxa*, *Bacillisque aromaticis* in scatula, ope *Exc. Viri Dn.*

Dieterici

Dieterici Conerdingii, *Archiatri Brandenburg. & Brunsuic.* meritissimi, ad nos quoque nuper delatus. Ob argumenti itaque in Germania novitatem excerpere placuit primaria capita, & ad Te, *Volgnadi Excellentiss.* perscribere: quo me quasi interprete, ad notitiam illorum etiam, qui Belgicè non callent, perveniat adeò familiare dudum Orienti remedium.

Tractatus itaque is binis partibus absolvitur, quarum *prior* continet arthritidis descriptionem, & quidem.

Cap. I. Arthritidem definit, quod sit præternaturalis, internus, profundè latens, ac plerumque invisibilis & exiguus in ossium membranis sive periostiis tumor, ortus à sicco, frigido, pravæque qualitatis vapore, qui ex arteriis virtute cordis expulsiva, inter ossa & ipsorum periostia expellitur, utplurimum in artus corporis circa articulos: ubi vapor hic impactus & conclusus subsistit, & membranas maximè sensibiles extendendo, acerbissimos dolores excitat: subsequente membri impeditô motu, atque aliis gravibus symptomatis.

Cap. II. De tumore arthritidis interno, & quo modo is invisibilis sit.

Cap, III. De causa arthritidis proxima, & semper comitante.

Cap, IV. De qualitatibus vaporis, qui arthritidis causa existit; nimirum tres ipsi qualitates *Auctor* tribuit: & quidem 1. siccum illum esse statuit, quod ab humiditate flatulenta distinguat. 2. frigidum, quia unicam tantum esse causam podagræ proximam credit, frigiditatem scilicet: falli verò illos, qui præter podagram frigidam hanc statuunt etiam dari podagram aliam calidam, siquidem calor accedit solummodo tanquam symptoma, ob dolores ab extensione membranarum jamdum prægressos. 3. *pravæ qualitatis*, non tantum auctoritate *Guidonis de Cauliaco*, & *Ambrosii Paræi lib. XVII. c. 2.* sed & ob insignem fœtorem, qui post inunctionem *Moxâ* factam, & quotiescunque ulcuscula inde excitata postmodum obligantur, exit. Delicatos enim nonnullos à fœtore isthoc in deliquium animi ferè incidisse, asserit; atque hanc esse rationem, quare & *bacillos* illos *odoratos* adhibeant, & jejuni ad obligandum ulcera non facilè accedant *chirurgi Sinenses.*

Cap. V. De parte affectâ, & de sede materiæ morbificæ in arthritide. Periostium autem affirmat esse sedem primariam, ita quidem, ut inter ossa ipsa & periostium ab ossibus distendendo immanes istos producat

producat dolores. Ligamenta quod attinet, ea ex *Galeno*, & *Paullo Barbetta lib.* 1. *anatom. practic. c.* 5. sensu carere, statuit.

Cap. VI. Arthritis quod sit morbus membrorum universalis, & accipiat nomen à partibus affectis: itemque de loco, ubi materia arthritidis generetur, quod sint viscera ob defectum calidi innati, præcipuè verò hepar, lien, stomachus, non excluso capite: ibi postquam materia illa ad tempus latuit, ob copiam movetur atque per circulationem ad cor defertur. Cor irritatum, per arterias ad artus projicit: primariò verò ad ossa periostia, dehinc porrò foras ad articulos, ipsorumque membranas.

Cap. VII. Quomodo, & per quas vias materia arthritidis ad membra feratur.

Cap. VIII. De membro seu parte expellente.

Cap. IX. De signis arthritidis.

Cap. X. De symptomatis arthritidis.

Cap. XI. De tumore molli externo, qui in arthritide frequenter se prodit. Demonstratur autem, in arthritide dari tumorem duplicem: *primus* est *internus* & *vaporosus* circa periostia, qui efficit acutissimos illos dolores, ad quos demulcendos natura mittit proximos humores: atque hinc oritur *alter*, qui est *externus* & *serosus*, tanquam prioris effectus, & in quo dolor percipitur aut nullus aut multò remissior.

Cap. XII. De motus imbecillitate.

Cap. XIII. De nodis, & tophis.

Pars posterior illius tractatus arthritidis sanationem edocet, & quidem.

Cap. I. tractat de cura arthritidis in genere.

Cap. II. Arthritis sanatur inustione per *Moxam.*

Cap. III. Quod remedium specificum arthritidis sit *Moxa*, inter *Sinensis* & *Japanenses* celeberrimum.

Cap. IV. *Moxa* est materia lanuginosa & mollicula, ex herba quadam sicca artificiosè præparata. Nomen illius herbæ auctor ignorat, itemque artificium præparationis à *Sinensibus* & *Japanis* inter arcana haberi affirmat: quamvis in maxima copia prostet venalis ibi *Moxa* præparata, & in proxima regna inter merces alias evehatur. *Sinenses* vero sicut cætera simplicia, ita etiam *Moxam* accuratius & conficiunt, & servant. Utuntur autem ea pro cauterio actuali in singu-

lis corporis partibus, exceptis oculis, contra morbos quoslibet & humoribus & vaporibus frigidis ortum ducentibus.

Cap. V. Modus utendi talis eſt, ut ex portiuncula *Moxæ* digitis decerpta formetur globulus piſi minoris magnitudine, qui poſtea in pupam ſive pyramidem acuminatur: baſis verò plana imponitur loco, ubi inuſtio peragenda. Porrò *bacillus aromaticus*, quales quidem tædis noſtris officinalibus longiores multò & tenuiores ſunt, accenſus cuſpidi pupæ admovetur: atque ita ſine noxa, ac ſine dolore nimio conflagrat *Moxa*, relicta in cute non veſica, ſed ſaltem macula ſpadicea aut fuſca. Repeti autem ordinario ter ſolet, in membris ſcil. teneris hæc inuſtio eodem in loco, nonnunquam etiam pluries, quando opus eſt, ſiquidem in cephalalgia ob cutis denſitatem vel ad 25. imò ad 50. vices iterari ſine noxa poteſt.

Cap. VI. Poſt ſufficientem inuſtionem, imponitur allium tuſum, & deſuper pellicula allii exterior madefacta. Sequenti die, ſi circum circa forte appareat veſicula, forfice aperiatur, ſed eſchara violenter non eſt removenda, donec natura ſeparet. Imponatur autem folium *plantaginis* toſtum ea ratione, ut dorſum folii aſperum ad eſcharam vertatur: ubi verò conſolidandi tandem animus eſt, latus folii molle admoveatur. In defectu *plantaginis* folium *braſſicæ*, & in defectu etiam hujus uſurpetur *Empl. diapalma*, vel *baſilicum*: quæ tamen emplaſtra etiam mox ab initio, ad retinenda ſaltem folia *plantaginis* vel *braſſicæ* impoſita, adhiberi debebunt.

Cap. VII. Mirabiles cauterii hujus effectus proponit.

Cap. VIII. demonſtrat, hoc Cauterium præferendum eſſe omnibus in Europa remediis, contra podagram hactenus uſurpatis.

Cap. IX. Inuſtionem hanc eſſe tolerabilem.

Cap. X. De dexteritate requiſita in chirurgo, qui inuſtionem peragere debet.

Cap. XI. De bacillis aromaticis, eorumque utilitate.

Cap. XII. De loco, in quo urendum.

Cap. XIII. De periculo & incommodis cauterii hujus præpoſterè adminiſtrati.

Cap. XIV. De arthritidis tumoribus mollibus & ſeroſis, ex accidenti natis, & ipſorum cura.

Cap. XV. De arthritidis tumoribus duris & tophaceis, ipsorumque cura.

Cap. XVI. An dentur podagræ diversæ species; & an inter ipsas sit essentialis differentia. Negat Auctor prius, adeoque omnem podagram à causa frigida deducit; è contrario asserit, quæ communiter proponuntur arthritidis differentiæ, esse tantummodò accidentales: nimirum à parte affecta, à crassitie vel subtilitate materiæ peccantis, unde arthritis vaga vel fixa, recens vel inveterata: cum vel sine notabili humorum affluxu, cum vel sine nodis: in articulis ipsis vel in spatio ipsorum medio sive internodiis, licet nonnulli agnoscere hoc medium pro sede capaci nolint, cum tamen revera sit.

Cap. XVII. Remedia ab arthritide præservantia.

Cap. XVIII. De dentium arthritide sive odontalgia, & ipsius curatione.

OBSERVATIO CCXV.

D. JOH. SIGISMUNDI ELSHOLTII.

DE

CORDIS DISSECTI FRAGRANTIA.

SErenissimus Princeps CHRISTIANUS, Marchio Brandenburgensis, & Administrator olim Archiepiscopatus Magdeburgensis, valdè senex moriebatur annô cIↄ IↄcLX. Ejus cadavere aperto, cor dissectum spirabat odorem gratissimum, similemque prorsus illis emulsionibus & julepis, quibus tanquam *confectione Alchermes, aq. cinamomi, rosarum, carbunculi* & id genus aliis confortantibus pro more imprægnatis, aliquot dies ante obitum roboratus & penè non nutritus quasi fuerat æger. Infallibili sanè argumento, quod *Medicamenta assumta* in primis viis non hæreant: sed continuato usu, viribus ferè integris, & retentis (saltem ex parte) suis qualitatibus, in ipsum usque cor penetrare possint.

(*In literis ad D. Henr. Vollgnadium Berolino Vratislav. d.* 19. *Maj. An.* 1676.)

OBSERVATIO CCXXVI.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII D.

DE

PRINCIPIIS RERUM IN GENERE.

MAgna hodie, æquè ac olim, lis eſt de rerum principiis, variantibus adeò hypotheſibus ut quam amplectaris neſcias. Pleræque non niſi recoctæ ſunt veterum Philoſophorum opiniones, quædam excultæ, quædam de novo reſictæ. Aquam rerum omnium eſſe principium, *Thales* jamdudum ſtatuit; vid. *Plutarch. l. 1. de placit. philoſ. c. 3.* omnia ex omnibus, Anaxagoræ & Democriti dictum eſt. Vid. *Ariſtot. l. 2. metaph. c. 5.* Taceamus alia, ſive ex vetuſto Sapientum collegio, ſive muſteâ recentiorum enata ſagacitate. Viſum eſt operæ pretium, ad excitanda, vel componenda ingenia, ut tandem inoffenſo pede in his liceat progredi, quæ noſtra ſit mens vel media via, in ſynopſi proponere, libero cuique relicto judicio.

Principia UNIVERSALIA, ſeu prima, TOTI competentia ſuppoſito, κατὰ θέσιν, ſeu poſitiva ſunt duo: MATERIA & FORMA; illud extrinſecum, hæc intrinſecum magis.

Principia SECUNDARIA, MATERIATA, ſimpliciora, in concreto & remotiora ſunt QUATUOR ELEMENTA, aër, ignis, aqua, terra.

PROXIMIORA, & quaſi in abſtracto ſunt PRINCIPIA CHIMICA, vulgò nota, & quæ ceu principalia ferè ſola nominari plerumque ſolent: *ſal, ſulphur* & *mercurius*, quibus ceu magis materiali phlegma & caput mortuum, ſeu aqua & terra jungi ſolent.

PROXIMA ſunt PARTICULÆ, ἐν ἀτόμῳ conſideratæ & harum *figuræ* & combinationes infinitæ, unde principia chimica ipſa vel in ἀτόμῳ vel in medicamentis conſiderari queunt.

In hiſce, *materialibus* inquam principiis, præcipuè occupamur, tum aliàs communiter, tum ſpeciatim in chimiâ; FORMAM verò & actuans principium, quod dat eſſe rei, vivere, augeri, nutriri, & materialia hæc vigorat, vix, niſi ſub animæ, naturæ, ſpiritus mundi, vel qualitatum inde manantium, motus &c. titulo palpare licet, nedum cognoſcere.

Non ſufficit ergò unicum principium, v. g. aqua, vel ſal, quod ſtrictis nimis cancellis eſt includere tantas naturæ opes & δυνάμεις; neque enim hæc vel ſufficiunt, vel ſine confuſione ingeniorum explicant phænomena. Non item multiplicanda ſunt entia præter neceſſitatem, ſed hoc modo aptè conciliari poſſe videntur.

OBSER-

OBSERVATIO CCXXVII.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII, D.

DE

PRINCIPIIS CHIMICIS.

VIderi poterunt levia jam dicta, nisi ultra quàm primâ fronte patent, ea speculemur. Quæ enim quæso tandem opinionum myriades emergent, & porrò naturæ arcana velabunt, si in his non soliciti erimus, ut concordia in præsuppositis theorematibus firmetur? Ut itaque ad artis formam in ideâ quasi aptemus à plerisque recepta principia chimica, *in genere* primùm de iis supponemus sequentia.

Quoad *divisionem* 1. principia chimica alia sunt *ante separationem*, seu nondum secreta, naturalia, & intrinseca in potentiâ quasi magis, seu actu primo; alia sunt *separata*, postnata, producta, artificialia, extrinseca.

2. Alia sunt *utilia*, respectivè ita dicta, fœcunda, ⊖, 🜍, ☿; alia *inutilia*, relollacea, ▽, Terra. (in abstracto considerata.)

3. Alia sunt *activa*, quæ eodem modo se habent, ut jam dicta ⊖, 🜍, ☿, alia *passiva*, ▽ & Terra. Hæc radicem, fundamentum & hospitium præbent reliquis; illa verò hæc quasi informant.

4. Alia sunt *fixa*, ut Terra; alia *volatilia*, ut 🜍 & ☿; alia *media*, ut ▽ & ⊖.

5. Alia *liquida*, alia *solida*; alia *integra*, alia *immutata*. Sic sulphura liquata oleum exhibent; ⊖lia fluorem adepta liquorem acidum, ☿ius omnis generis liquores præbet.

Quoad *affectiones generales* 1. principia chimica se invicem sustinent & ligant. 2. Alia ex aliis mutantur, indicio adhuc esse composita, mixta, non pura. 3. Variat eadem ignis. 4. A potiori tamen fit denominatio. 5. Se invicem modificant, v. g. 🜍 cum ⊖le combinatum variat odores &c. 6. modò sunt sepulta & implicita, Modò magis patula. 7. Magis pansa sunt in vegetabilibus & animalibus; minus in metallis; analogiâ tamen in singulis locum habente.

In *specie* jam breviter in singulis spectabimus 1. essentiam, 2 affectiones. 3. effectus, idque saltim in terminis latioribus,

SAL quoad *essentiam*, à chimicis strictius & propriè quasi de fixo intelligitur *καθ' ἐξοχὴν*, quod evaporatione remanet, neque alta petit; latius tamen hodiè prædicatur 1. de *fixo* eoque tum lixivo, seu *alcali*, quod per incinerationem prodiit, tum fluorem adepto, seu *acido*. 2. de *volatili*, magis urinoso, tum ex animalibus, tum vegetabilibus eruto, cui hodie 3. additum fuit, *enixum*, seu medium, ex acidi & alcali combinatione enatum.

Quoad *affectiones* 1. *sal est primum sapidum*, ideoque particulæ salinæ poris linguæ se insinuant, & prout varias eidem exhibent figuras, ita etiam variat sapor. 2. *Destruitur aquâ*, saltim quoad consistentiam, ut diffluat vel solvatur, si liberum sit & pansum, attrahitque aërem & aquam. 3. *Resistit igni*, sibi relictum, salis enim natura opposita est sulphuri, unde & 4. *acidum obtundit sulphur*, domatque & contra, cujus rei eximium exemplum præbet arcanum ♀ri. 5. *Acidum figit ☿ium*, & rarefactionem sangvinis sedat. 6. *Lixivum* verò *eundem lubenter amplectitur*, & secum occultat, acorem verò extinguit, eidemque contrariatur, sanguinem rarefacit. 7. ⊖ *est principium coagulationis*, seu coagulandi & compingendi vim habet, unde calculi etiam à principio ⊖lino sunt deducendi, non exclusâ Terrâ.

Affectiones aliæ cum 🜍e communes etiam sunt *durabilitas, incorruptibilitas, gravitas*.

Quoad *effectus* 1. ⊖ est *diureticum*, 2. *aperiens*, incidit, attenuat, resolvit. 3. est *stimulans*, unde purgandi, vomendique qualitas principaliter adscribenda ⊖li; *corrosivum* est, unde quicquid causticum, est, ob ⊖ acre & mordicans tale existit, v. g. esula, cantharides &c. 4. *arcet putredinem*. 5. in corpore *resolutum* vel *coagulatum*, non minus ac reliqua variorum morborum est causa, quæ seorsim in *Tab. de causis morborum è principiis chimicis* suo loco damus.

SULPHURIS *essentia* non consistit in acido, (quod salis est) sed in particulis oleosis, resinosis, balsamicis, rotundis, unde resinæ, olea, 🜍ra inflammabilia, item spiritus (ubi cum ☿io conjunctum est) de eodem testantur.

Quoad *affectiones* 1. 🜍 *est principium radicale colorum, explicativum* ⊖ *&* ☿. 2. *Est principium odorum*, (seu primum odorabile) sed explicatum hoc esse debet ⊖le inprimis volatili; hinc videmus, illa maximè esse odorabilia, quæ ⊖le vol. oleoso seu remixto cum 🜍re, ejusque exhalatio-

nem

nem adjuvante, abundant. Neq; obstant ⊖lia volatilia urinosa, in illis enim explicatissimum est 🜍, seu constant ex ⊖le lixivo fixo, & 🜍u volatili, unde & citius voto avolant. 3. 🜍 *est* Φλογιστόν, unde, quicquid ardet, sulphur est, & affectiones ejus sunt *inflammabilitas*, *levitas*, (nisi ⊖le & Terrâ auctum & saturatum, ubi subsidet.) 4. *Metallis largitur malleabilitatem*. 5. *occultatur* ⊖le, cum quo magnam habet amicitiam, destruitur verò ab igne. 6. *vinculum est principiorum reliquorum.*

Quoad *effectus*, ob balsamicam suam vim edulcat, vegetat, foecundit, præservat à putredine, à frigore item, quod in arboribus resinosis videmus.

MERCURIUS est instar Protei, & reliquorum internuncius, unde quoad *essentiam* continetur 1. sub *phlegmate*, quod ipsum præservat à putredine. 2. sub 🜍e, unde olea ætherea & aromatica eodem abundant. 3. sub ⊖*le fixo*, quod amat, & promptè cum eo conjungitur. 4. inprimis *sub spiritu*. 5. sub ⊖*le volatili*, in quo eminenter conspicitur. 6. suo modo etiam *sub acido*; est enim evaporabile & mobile.

Quoad *affectiones* cum ad motum maximè habilis, agilis, & tenuis sit substantiæ, hinc ipsi competit *levitas* aërea, *subtilitas*, *penetratio*, sed minus durabilis & constans est, nisi alio ligetur vel obviscetur, uti ossa diutissimè servant ⊖ volatile, hinc etiam in liquore optimè asservatur.

Quoad *effectus* præstat *vitam*, *calorem*, *augmentum*, *nutrimentum*, *fermentationem*, *fœcundationem*. Restaurat & vegetat sanguinem, movet sudores &c.

Hæc curiosæ disquisitioni aliorum exponimus, ceu ideam, cui superstrui alia possunt, quæcunque vel ingeniosâ ἐγχειρέσει vel aliis experimentis pro notitiâ artificiali faciunt.

OBSERVATIO CCXXVIII.
D. LUCÆ SCHROECKII
DE
UVULA GEMINA.

UVulam ad bene loquendum esse necessariam, ideoq; non adeò ineptè vocis plectrum audire, à plurimis Anatomicorum creditur; id quod absentia etiam ejusdem, & prava, eaque vel connata, vel à morbo inducta, constitutio evincit; ceu inprimis ab

ab *Exc: D. Carolo Raygero* in discursu, *aglossostomographia, Jacobi Rolandi, Anno tertio Ephemeridum curiosarum German.* adjuncto, præclarè illud ostenditur. Ubi adopsitum exemplum gargareonis duplicis, in memoriam revocat, quæ simili in materia observare mihi bis licuit.

Primâ vice, dum annis duobus abhinc juvenis 24. annorum, curæ meæ subjectus, singularem in columella naturæ lusum exhibendo, duplicem eam concessisse ostenderet, non quidem immediatè palato adnatam, sed ex carnosa aliquâ rotundâ excrescentiâ, palato juncta, tanquam è basi quadam propendentem], cæterùm naturali planè situ locatam, ac figurâ & magnitudine justâ præditam.

Alterum exemplum hoc demùm annô ancilla 22. annorum præbuit, cujus palatum duæ pariter uvulæ unitæ occupant, quoad figuram nihil insoliti ostendentes, magnitudine saltem naturalem illam haud æquantes, ita ut ambarum quantitas juncta, si cum hac conferatur, non nisi parùm eam sit superatura.

Reverà autem binas in utroque subjecto uvulas adesse, non saltem divisas, quales tùm præfatus *D. Raygerus l. c. pag. 568.* tùm *D. Henric. Vollgnad in Schol. ad obs. 239. Anni II. Ephem.* laudatarum, sibi occurrisse, testantur, ipsa earum conformatio docet, cùm ex latiori basi in obtusè acutum mucronem singulæ terminentur. Cæterùm rara hæc aberratio in istis personis nullum aliud incommodum affert, quàm quod vocem non eâ gratiâ, quâ fieri aliàs solet, edere possint, sed raucam nonnihil, obscuram, è naribus quasi descendentem, eandem emittant.

Similem planè effectum in pluribus utriusque sexûs hominibus, quas lues venerea particulâ hac mulctavit, vel saltem ex parte mutilavit, in nostro nosocomio Gallico, cujus curam jam per undeviginti annos ago medicam, observavi, ita ut omnes raucâ quadantenus voce deturpati fuerint; hinc me illorum in partes abire permoverunt, qui experimentis edocti, *Gabr. Fallopio,* nullum vocis detrimentum exesæ uvulæ supervenire, in *Observat. Anatom.* adfirmanti, contradicunt, sicque ampla *Riolano* fides sit habenda, dum *lib. 4. Encherid. anat. cap.* 11. de gargareone agens, *quibus deest,* inquit, *vox rauca evadit.* Cujus veritatem etiam nuper à *Nobil. D. Nicol. Guil. Beckers*, observatione *Anno 4. Ephem. Germ. Obs. 66.* insertâ fuisse confirmatam video.

OBSER-

AD ANN. VI.Obs.
N: w.

Fig: II.

Fig: I



Fig. III.





AD ANN. VI.
N: X.



Fig. V.

Fig. IV.

OBSERVATIO CCXXIX.
D. LUCÆ SCHRECKII.
DE
LACONICI CORIARIORUM, GERM. LOHBAD DICTI, USU.

BAlneorum in arthritide usum non immeritò Practici commendant, si methodicè eorum usus administretur. Prout ipse etiam multos arthriticos à sævissimis doloribus & contracturis, Laconici ope, meliorem in statum, Divinâ gratiâ directioni meæ favente, deduxi. Inprimis verò memorare libet recens, & elapso demùm mense Aprili observatum exemplum virginis, 23. annos natæ, A. C. V., quæ aliàs alvi naturâ tardioris, in contumacem adeò ejus obstructionem, dysuriâ & mensium defectu stipatam, subsequente etiam ultimò arthritide universali, incidit, ut, licet varia, eaque fortiter purgantia fuerint adhibita, diu tamen nullum levamen experiretur, jamque mortis faucibus propinqua videretur, donec tandem cunctis reseratis repagulis, istas effugeret, remanente tamen articulorum dolore, & comite ejus permolestâ voluntarii motûs impotentiâ. Quod malum, cùm nullis cederet remediis, ad expugnandum illud, ægram in notissimum hîc locorum Laconicum, extra urbis mœnia situm, deduci imperavi, felici adeò cum successu, ut, quæ antea nec sedere, nec locô se movere præ dolore atrocissimo poterat, ideoque è lecto in rhedam, & inde in sudatorium deportari necesse habuerat, regredi ex eo, ipsasque scalas, viginti tres gradûs altas, domum reversa, lætâ metamorphosi, adscendere valuerit, omni dolore post reiteratum balnei usum evanescente.

Istud autem, quo de loquor, Laconicum, nostratibus das Lohenbad communiter appellatur, estque locus cerdonibus, ad exsiccandos cortices abiegnos, nonnunquam & quernos, quibus ad præparanda coria bubula utuntur, inserviens, dùm cortices dictos in superiori hypocausti parte asseribus impositos, vi caloris, quem amplæ, ad latus hypocausti positæ, fornaci inclusus ignis suscitat, exsiccant; & sic unà salubre multis adfectibus sudatorium parant; ad quod, tanquam ad sacram anchoram, omnia ætatis & sortis homines confluunt, malorum levamen quæsituri; quanquam sæpè sæpius, dùm proprio consilio & intempestivè, non habitâ subjecti, causæ morbificæ, tempestatis *&c.*

ratione aut cognitione, quasi universale promittat auxilium, illud ingrediuntur, spe suâ excidant, imò majori malo implicentur. Quod in hac patiente non accidit, cùm & illustrato prius convenienter corpore, & morbo, seri acris morbifici discussionem, articulorumque roborationem requirente, præsidiis necessariis alterato, fuerit administratum. Siccus etenim balnei hujus calor (ut *Joh. Renodæi* phrasi utar, qui *lib.* 5. *Institut. Pharmacevt. sect.* 3. *cap.* 4. Laconicum vocat locum, quo sicco calore sudor elicitur,) poros aperit, peccantem humorem prolicit, & discutit, sicque dolorem tollit, ac novum robur articulis conciliat; quam ejus virtutem non modicè adjuvant exhalantes ex abiegnis resinosis corticibus particulæ oleosæ, volatiles, quibus nempe hypocaustum impleri, vel odor testatur. Inesse enim cortici & resinæ isti virtutem calefacientem, exsiccantem & discutientem, (inprimis, si cortices isti pingues in pollinem redacti, & sacculis inclusi, uti præcipere quandoque soleo, calidè locis dolentibus imponantur,) Medicis non potest ignotum esse: Unde etiam paratum è resina emplastrum ad podagræ, à frigido humore ortæ, profligationem commendari à quibusdam, memini.

(*Vratislaviensibus vocatur* das Lohbad/ *ipsum decoctum corticum, quo coria macerata fuere, celebraturq; in quibusvis artuum doloribus.*)

(*In literis d.* 1. *Jul. Ann.* 1676. *ad Collectores Ephemerid.*)

OBSERVATIO CCXXX.
D. LUCÆ SCHROECKII, Luc. F.
DE
RARO PASSERUM CANARIENSIUM COLORE.

INsolitas colorum varietates à multis in volatilium pennis notatas reperio; quos inter *Clar. Olaus Wormius lib.* 3. *Musei* sui, picam albam, passerem niveum, (cui similis aliquot ante annos hac in urbe reliquos inter passeres circumvolitans visus, nec non alium Curiosus quidam itidem hîc aluit) atque ciconiam nigram (qualem nigricantem tum Lipsiæ in eleganti horto *Laurentiano*, tum in Misniæ loco amœnissimo & verè augusto, *Augustoburgi*, obambulantem in area, conspexisse me, recordor,) describit. Hæc autem singularis, & ob raritatem, possessoribus lucrosæ variationis colorum in passeribus Canariis

nariis me jam admonent, dùm aliquot eorum hîc videre licuit, qui à solito colore luteo recedentes, ad albedinem quodammodò inclinarunt; alii vero albis, intermixtis flavescentibus, pennis superbiunt; reperiuntur etiam candido colore vel cum cygno decertare apti. Quæ tamen nova progenies vulgarioribus aviculis Canarienſibus cantu æqualis, nec ejus suavitate palmam ipsis relinquit. In illa autem coloris mutatione naturæ lusus primas tenere videtur, quantumvis etenim arte & industriâ, objiciendo scilicet res albas avicularum oculis, sobolem obtinere albam nonnulli laboraverint, voto tamen suo exciderunt. Nec omnis eôdem tempore uno in nido educata pullities tali colore insignitur, sed ut plurimùm unica saltem avicula alba reliquas inter comparet, quamvis cæteræ prolem, ab eis producendam, albedine ornatam in posterum obtinendi spem aliquam largiantur. Rarius est, quòd etiam nuper colore nigerrimo, aliis simul exclusis ad nigredinem solùm inclinantibus, prædita ex ovo prodierit. Quâ ratione luteolas, vel citrinas vocare eas, Critici ampliùs non admittent.

OBSERVATIO CCXXXI.
D. LUCÆ SCHROECKII, Luc. F.
DE
ALOE AUGUSTANA.

REgiæ illius plantæ, aloës Americanæ, in Germania nostra florentis, diversa exempla *Celeberr. Dn. D. Phil. Jacob. Sachsius* in *observat.* 90. *&* 91. *Anni I. Ephemerid. curiosar.* æternæ Literatorum memoriæ insinuavit; quæ inter cùm Augustana nostra non fuerit memorata, nec aliàs publico scripto, quod sciam, hactenus commendata, ne cum flore suo jamdudum deflorato oblivione omnimodè involvatur, indigitare illam volui; cumprimis, quia omnium illarum descriptarum ætatem superat, ac, si non prima in Germania, saltem inter primas visa fuit, quæ florum superbâ raritate sese eidem commendarunt. Etenim floruit illa Anno M. DC. XXXIII. in rarioris rei herbariæ studiosissimi, *Nobil. atque Ampl. Dn. Johannis Stainingeri* &c. *Barbati* illius *Stainingeri*, cujus mentionem facit *Annus quintus Ephemerid. pag.* 183. filii horto elegantissimo. Numerus quidem ramorum & florum notitiam nostram effugit, insigni tamen florum congerie fuisse stipatum caulem præaltum, referunt illi, qui se vidisse eam, adhuc recordantur.

 dantur.

dantur. Plantæ & ramorum florentium figuram depictam paries atrii ædium *Stainingerianarum* posteritati adhuc visendam hucusque exhibuit.

OBSERVATIO CCXXXII.

D. LUCÆ SCHROECKII, Luc. F.

DE

INTESTINIS FOETUS EXTRA NATURALEM LOCUM PENDULIS.

FOetus diversos, cum visceribus extra naturalem abdominis cavitatem propendentibus natos Medicorum solertia nobis commemorat; ceu illud Observationes in *Ephemeridum curios. German. Anno 2. obs. 88. Anno 3. observ.* 103. 169. & 256. *Actis medicis Hafniens. Nobiliss. D. Thomæ Bartholini, part.* 1. *observ.* 110. Historia *Exc. D. Joh. Sigism. Elsholtii* de conceptione tubaria, *Celeb. D. Joh. Laurent. Bauschii schediasm. de ætite pag.* 5. *procem.* Magni *Dan. Sennerti lib.* 4. *medicin. pract. part.* 2. *sect.* 4. *cap.* 7. Beati nostri *Philippi Hoechstetteri Decade observ.* 6. *casu* 5. *Dominic. Panaroli pentec.* 2. *observ. medic.* 1. &c. notatæ, testantur. Quorum authoritate fretus, quod duodecim abhinc annis videre mihi datum fuit, referam; dum nempè Fœmina primipara, hac in urbe, vivum enixa fuerat puellum, propè umbilicum in sinistro latere, rotundo tumore, & caput infantile magnitudine multum superante, deformatum; qui tamen, sacrô ablutus fonte, paulò post meliori vitæ adscriptus fuit. Quare ut adpareret, quid intus aleret tumor iste, apertio ejus fuit concessa; ubi portionem magnam intestinorum inclusam deprehendimus, copiosâ flavescente aquâ abdominis viscera, cæterùm naturaliter se habentia, nec ullâ labe deturpata, circumfluente. Innotuitq; unà cum peritonæo, tendinosam illam musculorum abdominis partem, quæ lineam albam constituit, fuisse disruptam, sicq; per datam portam erumpentibus intestinis extensioni aptam cutis substantiam cessisse, ac tumorem istum, ob regionem umbilicalem, quam occupaverat, inter omphaloceles referendum, efformasse. In cujus causam occasionalem cùm inquireretur, non nisi à saltu, in terram è loco altiori circa finem gestationis facto, rupturam illam accidere potuisse, puerpera retulit; damno suo confirmans, quantis gravidæ subinde exponantur periculis, dum præter tot morbo-

morborum, quibus obnoxiæ sunt, molestias, facilè etiam, levissimo quandoque ab errato, noxam fœtui indelebilem imprimunt. Unde motus inprimis omnes violentos corporis esse ipsis vitandos, Practicorum non vana est admonitio. Nec solùm corporis, sed animi quoque vehementiorem commotionem, quantùm possibile, fugere eas oportet, fortem præcipuè imaginationem, cujus nempe à terrore reive alicujus desiderio & adspectu conceptæ effectus, luctuosa, ac nisi tragici isti casus fidem facerent, incredibilis futura, mutatio in tenello embryone, facillimè subsequi solet. Quale exemplum Anno M.DC.LXVI. 26. Julii, hîc observatum fuit; dùm aurifabri nostratis, J. P. uxor gravida, aliquot jam antea liberorum mater facta, postquam vituli exenterationem in macello non sine horrore contemplata fuisset, filiolam mortuam partu admodum difficili postmodum exclusit, cujus pars dextra abdominis, non procul ab umbilico, ad spithamæ longitudinem ferè dehiscebat, lateribus divulsionis signum non præbentibus, sed callo quasi obductis; è quo hiatu intestinula propendebant. Alia, quæ in primum conspectum non incurrêre, demortuo in corpusculo investigare, haud fuit concessum.

(*In literis ad Collectores Ephemerid. d. 1. Julii Anno 1676.*)

OBSERVATIO CCXXXIII.

D. SIMONIS SCHULTZII.

DE

SINGULARIBUS VESICULIS POST AURES MENSTRUA ORDINARIE ET IMMEDIATE PRÆCEDENTIBUS.

MAtrona quædam XXXVIII. annos nata A. A. præconsularis filia, D. B. mercatoris Thoruniensis conjux, constitutionis tenerioris, melancholiæ hypochondriacæ certâ de caussâ sæpè subdita, trium liberorum mater, è quibus tantum unicus filius in vivis restat, semper ante fluxum menstruum ordinarium à naturâ sat paucum, decimo octavo ætatis anno initium sumentem, binas vesiculas post singulas aures, prævio capitis dolore, levique vertigine percipit, quæ sponte aperiuntur, effluente ex iis nonnihil serosi humoris citrini coloris: qui cum fluere desinit, menstrua incipiunt; sed ut dictum, in paucâ quantitate. Sunt itaque istæ vesiculæ ordina-

rii appropinquantis fluxus prodromi. Hæc ex ipsius matronæ ore habeo.

(*In literis ad Collect. Ephemerid. d.* 1. *Jul. Ann.* 1676.)

OBSERVATIO CCXXXIV.

D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULINI

DE

PUERPERA INCREDIBILEM VERMIUM COPIAM EVOMENTE.

HOnesta fœmina in Diœcesi *Corbeiensi* (uti ipsa ingenuè mihi fassa est,) elapsô post partum octiduô, varia & insolita patiebatur symptomata, quæ, dùm crederet Medicus à partus difficultate provenisse, electis ad hanc rem medicamentis compescere fideliter studuit, at frustra. Tandem aliud quasi agens emeticum sumpsit ægra, à quo per biduum vel *mille erucas* & *vermiculos* diversi coloris evomuit, omni dolore penitus cessante.

OBSERVATIO CCXXXV.

D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULINI.

DE

VANO CAMPHORÆ AD EXTINGUENDAM VENEREM USU.

J.C. *Scaliger exerc.* CIV. *sect.* 8. cani leporariæ, cùm catuliret, *camphoram* dedit in potu, in offa, dedit in nares, quò refrigesceret, eamque quotidiè collo appendit, in naturam etiam indi jubebatur. Ipsa tamen coivit, concepit, peperit. Verè testor, me idem *non semel* fuisse expertum. Est in vicinia juvenis vegetus & salax, cui, meô jussu, (ut vanitatem monstrarem incredulis) in omni ferè potu ac cibo *camphora* per aliquot septimanas à matre data est, ipse tamen minimè recessit ab indole sua puellarum amantissima. Secus qui sentiunt, falsâ nituntur hypothesi, quasi *camphora* foret frigida. At sit talis: quæ tamen inde consequentia? Et ruta & vitex venerem sopiunt, non sunt tamen frigidæ temperiei.

OBSERVATIO CCXXXVI.

D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULINI.

DE

UNIVERSALI CONTRACTURA, ALIISQUE MIRIS SYMPTOMATIBUS A VERMIBUS.

Mensis

MEnsis nunc est, à quo mulier *Holschamindensis*, ex Ducatu Guelferbytano, puellum ferè septennem mihi sistebat non unô malô miserum. Nec ambulare nec stare poterat, brachia veluti trunci pendebant immota, rigebant digiti, venter immensum distentus, facies cadaverosa, pedes inflati, manus fœdissimâ scabie obductæ. Subitò mihi oriebatur suspicio de *vermibus*. Pauperculæ itaque pulv. ex *mercur. dulc. C. C. crud. rasp.* &c. largior. Hoc solô cum lacte datô LXXII. *vermes* expuli, quos deinde in scatula collectos non sine gaudio monstrabat, Deo mihique summas agens gratias pro obtentâ filioli sanitate.

OBSERVATIO CCXXXVII.

D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULINI.

DE

SINGULARI COLICÆ REMEDIO.

ESt apud nos *Huxariæ* ad Visurgim civis, omnibus bene notus, qui, quoties *colica* aut ejusmodi ventris tormenta eum cruciant, subitò pulverem *lapid. coctil.* (gebrannter Stein) in calida cerevisia aut sp. vini sumit, sudat, sicque omnes dolores feliciter debellat. *Sciendum, sed non imitandum.*

OBSERVATIO CCXXXVIII.

D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULINI.

DE

PURGATIONE EX MERA IMAGINATIONE.

SUperiori vere vir quidam egregius, cujus nomen, uti petiit, supprimo, vagos stomachi & hypochondriorum dolores non sine magna molestia integrum sextiduum animosè sustinens, tandem me accessit, omnique voto genuinas pilulas *Francfurtenses*, quas *Beiero* acceptas referunt officinæ, expetebat, seriò & unicè sibi persuadens, solam mali sui medelam latere in istis pilulis, quare omnia alia, licèt meliora, pertinaciter damnabat remedia, nec ullis precibus aut rationibus abduci poterat à suo voto. Mirans ego fervidum optimi viri desiderium tandem promisi, me satisfacturum ejus voluntati, dictasque pilulas fideliter confecturum. Interim, ut & alii scirent, quan-

quantùm mentis ludibrium foret imaginatio, ex micis recentis panis cum saliva XVIII. formo pilulas, easque inauratas mitto Domino patienti; ille in aurora avidè devorat omnes. Circa vesperum ad me venit lætus sanusque, insignem pilularum mearum efficaciam astra superferens, meque specioso mactans elogiô. Quinquies alvum insigniter deposuerat & semel vomuerat. Vix fidem dabam insolita narranti. Domum itaque comitabar eundem, ut coram viderem materiam rejectam, quam in patina asservaverat. Profectò stupebam ego magnam tenacis pituitæ saburram, & nisi his oculis vidissem, nunquam vel juranti credidissem. Vah! quid non molitur pertinax in re aliqua opinio aut fiducia? Certè quos nec ratio, nec ars interdum curavit, temeritas sanavit & mera imaginatio ac superstitio, quod vel infinita confirmant exempla.

(In literis ad Collectores Ephemerid. d. 2. Julii A. 1676.)

OBSERVATIO CCXXXIX.

D. HENRICI VOLLGNADII.

RARIORA QUÆDAM NATURÆ SIVE LUXURIANTIS SIVE LUDENTIS EXEMPLA.

CUm in antecedentibus horum Miscellaneorum Curiosorum Annis varia naturæ circa productionem rerum à solitâ formâ abludentis, atque in quibusdam ad monstrosam deformitatem declinantis exempla annotata sint, & hic, facto quodam spicilegio quasdam illius sive luxuries sive lusus, sine tamen deformitate, congerere non abs re fore existimo, producendo.

I.

PILOSELLAM FASCIATAM, in apposita Tabulâ *Fig. I.* depictam, quamque exsiccatam *Nobiliss. Dn. D. David. Spilenbergerus* anno præterlapso 1675. Leutschovio mihi transmiserat, de eâ vero quod referam aliud non est, nisi caulem altitudine quasi quatuor unciis pedem unum cum dimidio superasse, latitudine unciam unam cum dimidiâ æquasse.

II.

TITHYMALUM CYPARISSIAM *Fig. II.* in naturali suâ magnitudine depictum, quem Dn. D. Patersonio, cum morbo quidem pertinacissimo

cissimo confligtanti, sed nihilominus constanti Ephemeridum harum augendi studio flagranti, debeo, nuper elapso mense Majo, Eperisio transmissum.

III.

MARTAGON FASCIATUM, quod à *Dn. Georgio Vette*, Pharmacopœo Cibiniensi, non procul ab urbe eâ repertum anno elapso 1675. mihi missum est. Caulis altitudine pedes tres uncias novem, latitudine uncias duas æquare; vertex quamplurimis floribus sibimet quasi insidentibus ornatus esse visitur. (*Vid. Celeberr. Dn. D. Borrichius in Obs. 59. Vol. II. Actor. Haffniens.*)

IV.

PRIMULAM VERIS FASCIATAM, idem modo dictus amicus mihi perdilectus, eodem tempore mittebat, anno 1673. prope Cibinium inventum, & plusquam trecentis floribus superbientem, figuram ejus in naturali magnitudine *Fig. III.* exprimit.

V.

Ab eodem RANUNCULUM etiam FASCIATUM tunc obtinui, cui similem jam olim *Dn. D. Oelhafius in Elencho Plantar. circa nobile Dantiscum sponte nascentium* depinxit, ut ideo schema ejus hîc prætermitti potuisset, nisi putarem libellum illum non cuivis fortasse ad manum esse. Magnitudinem ejus naturalem *Fig. IV.* repræsentat. (*Aliam ranunculi fasciati iconem prælaudatus Dn. D. Borrichius in Vol. I. Actor. Haffn. Obs. 63. exprimi curavit.*)

VI.

ROSAS SALIGNAS *Dn. D. Wincklerus*, Collega noster honore & amore sedulo prosequendus, in paulo ante adducta observatione spectandas exhibuit, quales quidem anno 1648. floruisse perhibentur; hîc ejus *rosæ* (verbo sit venia) *salignæ* iconem *Fig. V.* dare lubet, qualem quotannis ex congerie foliolorum salicis latifoliæ generari *Clariss. Dn Graffius* observasse videtur, in *Observ. 264. p. 478. & 479. Anni III. Ephem. Curios.* non tanquam rari quid subesse velimus, saltim ut rosæ sic dictæ salignæ inter se tanto fidelius conferri queant, pro Lectoris accuratiore judicio.

VII.

PIRA FLORENTIA, in Silesiâ, quod scitur, antea non visa, nisi anno 1675. & 1676. Pagus est in Namslaviensi districtu situs, *Eckersdorf*

 dictus,




dictus, atque *Illustri & Generosiss. Domino*, Domino Danieli Kottulinsky L. B. de Jeltsch, *Domino in Eckersdorf, Pangaw & Polcko, Judicii Namslaviensis Regii Assessori* &c. &c. parens, ubi juxta viam, qua pecudes in pascua dimitti solent, *duæ* pirastri reperiuntur, quæ ambæ circa finem Aprilis (annô 1675.) ex pirorum recens natorum vertice, h. e. mox sub calice novos flores protruserunt, ad initium Julii durantes. Hoc anno 1676. unicæ tantum arboris pira similiter quidem floruerunt, sed non tam frequenti luxurie, uti superiore anno, sicuti nec flores ultra dimidium mensem servarunt. *Tali sensu Generosiss. Dominus Baro ad Dn. Georgium Wendium Gymnasii nostratis Magdalenæi Professorem, & Societatis Fructiferæ PLANTANTEM, propria manu non ita pridem scripserat, cum eidem & præterlapso & hoc ipso anno, pirorum florentium aliquot exemplaria misisset, quorum elegantiora hic in naturali sua magnitudine, picturâ fideliter exprimuntur Fig. VI.* Ut paulo pleniore informatione Lectoris judicio subveniatur, notandum videtur, Anni septuagesimi quinti ver udum magis & frigidum; anni 76. sudum magis sive siccum & calidum extitisse: quæ causa sine dubio fuit, quod flores tunc copiosiores & durabiliores, quam nunc deprehensi sunt.

Si

Si quisquam circa certitudinem hujus relationis hæreat, putetq; flores è piris emissos, eosdemmet ipsos esse, qui solito naturæ ordine fructum præcedere, & quam primum is augeri incipit, decidere sveverunt, hac vice vero tantum beneficio tempestatis (quæ inprimis anno 1675. à mense Aprili ultra Junium frequentibus imbribus maduit & subfrigida mansit) eos conservari potuisse, fructu nihilominus incrementum capiente, ei quod reponam in præsenti quidem non habeo, nisi quod accuratiorem & certiorem observationem secuturo, si Deus vitam servaverit, vere, tanto diligentius indagaturus sim.

VIII.

Pirum *Fig.* VII. depictum, nescio an fungi aut quamvis aliam referens formam, *Dn. D. Godofredus Schubartus, Collega & Amicus honoratissimus* Bregâ transmisit, quod in horto urbi proximo anno 1674. natum erat, nullo ad formationem accedente artificii ingenio, eadem plane magnitudine, quam pictura monstrat.



IX.

De literis in fagi trunco inventis *Collega noster Honorandissimus, Dn. D. Salomon Reiselius supra Obs. IV.* prolixè satis atque eruditè egit; hîc loco appendicis addimus *figuras* varias in *mali ramo* dissecto Anno 1628. in Blœmendal prope Harlemum repertas, atque ab ipsomet, nî fallit memoria, Dn. Reiselio exhibitas cum carmine Batavi anonymi, quod tale est:

Buyten Haerlem (vvonder-saekeu)
In het hout dees belden staeken,
Sonder hand daer in gestelt.
Wat macht vvesen, my vertelt.
Burger, vvilt gy vvel gelooven
Dat het vvercken sin van boven,
'K bid vv, hier doch niet en spot:
In het hout soo left oock God. i. e.

Res narro miras: en! ad Harlemum mihi
Has exhibebat svave lignum imagines,
Quas nullus opifex, nulla finxerat manus.
Sed unde, quæris, duxerint originem?
Tuamne, civis, hoc merebitur fidem,
Talia supernis opera fieri viribus?
Te quæso, vanum ne putes ludibrium:
Sic magnus etiam vivit in ligno Deus.

X.

Dimissis hac vice vegetabilibus, ex animatorum classe abjectum quidem insectum, sed pulcritudine nulli cedens producere liceat, SCARABÆUM scilicet PICTUM in apposito schemate satis eleganter expressum.

Insectum hoc, quantum scitur, Silesia antehac nunquam vidit, an usquam alibi locorum inquilinum sit, cum ignarissimis me scire profiteor.

Mensis Julii nuper elapsi die 10. sub vesperam, *Prausnitii* (oppidulo Baronatus Trachenbergensis) in ædibus Pharmacopœi, scarabæorum hîc depictorum alter in vicino lanionis m... llo captus est, uterque à dicto Pharmacopœo *Dn. Jacobo Hauer* sequenti statim die mihi exhibitus per aliquot dies supervixit.

Quead

Quoad formam à vulgo notis ſcarabæis majalibus, hi noſtri differebant 1. magnitudine, quam ſculptura exactè exprimit, 2. colore plane caſtaneo, cum vulgares illi magis ruffeſcant; 3. inſuper nitore & lævitate alarum; 4. cornuum ſive antennarum largitate & longitudine; 5. medii ventris lanugine ſpiſsâ belleq; flaveſcente, colore quem iſabelle vocant; 6. voce; cum enim contactum inſecta hæc nequaquam ferrent, indignationem ſuam ſibilo ſimplici, quandoq; ſubſtridulo ſimul pro conditione corpuſculi ſatis minaciter fortiterque expirabant.

Sibi ipſis eadem inſecta collata differebant; nam ſcarabæus ille *a.* notatus, mole corporis, coloris magis caſtanei, picturarum in alis & capite, & lanuginis coloratioris elegantiâ, alterum *b.* ſuperabat: inſuper ille caudam alis non tegebat, hic eam abſcondebat: ille infimo in ventre quatuor tantum lineis nigris, hic quinque inſignitus videbatur; è quibus ſignis apparere opinor illum marem hunc fœmellam fuiſſe.



Cæterum & hoc notabile videtur, quod eo tempore comparuerint insecta, quo scarabæi reliqui pridem disparuisse solent.

XI.

VERMEM ex arenulis compacto in involucro & sub aquis hospitantem *Fig.* scarabæis annexa exhibet.

Primo intuitu massula *a.* ex arenis diversæ magnitudinis diversiq; coloris conglutinata apparet, eâ formâ, quam sculptor expressit: in eâ tamen vivi quid latitare, ii facilè deprehendunt, qui aquam hauriendo illas frequenter è fonte extrahunt. Stato tempore vermis exerere, éque capsula prorumpere solet.

Nos sabuloso isto involucro fracto offendimus vermem teredini non absimilem (quoad conformatio ejus in exarefacto nimium corpusculo cognosci potuit,) *Figura b.* aliquo modo delineatum.

Quisquis is vermis sit, videri potest, quod involucrum membranosum (aliis talismodi insectis commune) sabulo obducere soleat, ut se vel contra aquæ, vel, quod vero fortè similius, contra aliorum insectorum injurias præmuniat; nisi fortasse pondere sabuli depressus in fundo detineri, quam ab aquis sublevari malit.

Fons, in quo vermes isti reperiuntur, hoc peculiare etiam habet, quod in fundo, arenâ purâ strato singulis fermè diebus *ossicula* etiam *costarum, brachiorum, femorum tibiarumq;* tenerioris cujusdam animalculi, quæ, præter costas, ranarum ossibus perquam similes sunt, exhibet.

De hisce omnibus ut diligentior observatio instituatur, & magis certæ circumstantiæ investigentur, operam diligentem dabimus.

Cæterum scire juvet, pagum, ubi dictus fons scaturit, vocari *Lobschau*, situmq; esse, in extremo Oppoliensi Ducatu, quâ Poloniæ fines attingit, atq; parere *Per-Illustri Domino*, Domino Georgio Puckler, *L.B. de Groditz, hæreditario in Schedlau &c. &c.* qui tam vermiculos, quam ossicula prælaudato *Clariss. Dn. Georgio Wendio*, viro colligendis mineralibus perquam sedulo, nec minus sagaci & felici, atq; etiam de fossilibus Silesiæ scripto nuper edendo incumbenti, perquam gratiosè concessit, atque causarum investigationem simul pollicitus est.

XII.

Supra laudatus *Dn. D. Patersonius*, Fautor mihi multis modis colendissimus, non ita pridem SILICIS misit iconem RAMOSI perelegantis, quantumvis à fossore nimis mutilati, in superiore *Tab. y. Fig. VIII.* æri incisam.

Delinea-


Ad ANN. VI Obs.
N. bb.

Delineationem intuens, mox deprehendes silicem & radice & vertice detruncatum esse, ipsumq; in plures ramos divisum fuisse, sed omnes etiam mutilatos atque præfractos existere; Puncula in icone expressa foraminula denotant, quæ succo lapidescente in talem ordinem digesta sunt, ut artis aliquid mentiri videantur.

Idem alius silicis pallidè rubescentis, pergratum mihi munus misit frustum, palmo latius ferme triangulare, in varios monticulos & antra profunda efformatum. Istas protuberantias mirâ elegantiâ ex latiore basi in tenues apices assurgere éque meris granis instar ovorum piscium aut glandulis compositas, sic ut alicubi vel uvas vel papillas efformet, & silex ammonites (ein Rogen-Kiesel) vel Statagmites potius optimo jure nominari queat.



Cæte-

Cæterum videtur hic ſilex ex alto radices egiſſe, ut ſuccus lapidificus ſpiſſior, deſtillando potius guttatim concreverit, quam ut in ſtirias ſive ramos, ut ille prior, extendi potuerit.

OBSERVATIO CCXL.

D. GOTTOFREDI SCHULTZII.

DE

HALONE SOLARI.

INter meteora emphatica rarioribus non immeritò tùm veteres tùm recentiores naturæ conſulti annumerant illud phænomenum, quod, quia ſolem cingit, Latini *coronam, catenam* & *armillam ſolarem* ; Græci ἅλων ſive *aream* vocant. Præterquam enim quod non adeò frequenter compareat, vel hoc nomine obſervari meretur, quod interdiu, & quidem ſolem, cor illud cœli, & ſiderum coryphæum, afficere videatur; hincque à vulgo non ſine metu, vano quamvis, ſiniſtri ominis ſpectetur. De eo recepta Phyſicorum doctrina eſt, quod corona ſolaris formetur in nube denſiuſculâ continuâ & æquali, ſoli directè ſubjectâ: raro appareat, quoniam fervor ſolis ejusdem halitûs diſſipet, nec facile eos debitè coagmentari ſinat, ut halo in iis appareat: candida plerumque ſit: frequenter vere & autumno conſpiciatur, cum eo tempore nubes magis ſint diſpoſitæ.

An firmo omnia hæc ſtent talo, diſquirere nunc non permittit inſtituti ratio: fortaſſis autem, ſi accuratius (quod hactenus indefeſſum illum ſiderum ſcrutatorem, *Germaniæ noſtræ Atlantem*, celeberrimum *Hevelium* ſedulò feciſſe, *Mercurius* ejusdem *in Sole viſus*, teſtatur) in poſterum hoc meteorum obſervare non pigebit, quæ notari merentur, occurrent. Nobis, quæ circa idem, paucis ſeptimanis abhinc elapſis, obſervare contigerit, hic recenſuiſſe ſufficiet.

Menſis Junii proximè præteriti die quarto, ſt. n. horâ X. antemeridianâ, cœlo cætera ſereno, niſi quod hîc illic tenuiſſimæ quædam nubeculæ ſparſim apparerent, corona ſolem liquidiſſimum cingere viſa eſt, cujus diameter erat $43^{\circ}\ 20'$, latitudo limbi unius circiter gradûs. Coloribus viſebatur picta variis, inſtar iridis, non tamen luculentis adeò, ſed offuſcatis quaſi ac turbidis; hique in partibus coronæ ſeptentrioni & auſtro obverſis denſiores erant, quôque magis ortum & occaſum verſus vergebant, dilutiores fiebant, & tandem in candidiſſimas

Septentrio.

Ad.ANN.VI.N: aa.

Oriens.



Occidens.

Meridies.

ſimas nubeculas terminabantur, ita quidem, ut circulus utrinque quaſi diſruptus non accuratè omnino intuenti videretur. Aer, quantum ſenſibus percipi potuit, tunc erat tranqvillus; paullò poſt tamen ventus orientalis ſpirare incipiebat, quod, lentiſſimus quamvis, nubecularum motus ab ortu verſus occaſum indicabat. Hoc ipſo, horâ XI. ante merid. elapsâ, invaleſcente, halo magis ac magis attenuari, ſicque ſucceſſivè ab ortu & occaſu verſus meridiem & ſeptentrionem penitus diſparere incipiebat, adeò ut horâ XII. vix exiguum quoddam ejusdem veſtigium verſus ſeptentrionem reſtaret. Accidit tunc, ut nubes quædam, quæ jam denſiores, majores, & frequentiores aderant, velociusque in occiduam cœli plagam movebantur, ſolem tegeret, umbramque nobis offunderet: hoc ipſo momento reſtans adhuc verſus ſeptentrionem coronæ particula in oculos fortiter ſatis incurrebat, nobis qvaſi valedictura; ſtatim enim ac nubes ſolem tranſierat, illa omninò evanuit. Occupabant deinde aërem paſſim nubes magnæ ac denſæ, quæ tamen hora II. pomeridianâ rurſum nobis eundem ſerenum ſiſtebant. Secuta eſt hucusque tempeſtas maximam partem ſerena ac inſigniter calida, adeo ut prognoſticon illud, quod *Sengverd. Inſtit. Phyſ. lib. 4. cap. 7.* nobis reliquit, vulgoque innotuit, candidum hinc referat calculum; utut *Gaſſendus de Meteor. cap. 6.* meras illud conjecturas, non obſervationes germanas; utpote quibus experientia contrarietur, eſſe moneat.

OBSERVATIO CCXLI.
D. GOTTOFREDI SCHULTZII,
DE
MANNA ABORTUS CAUSA.

ANno proximè elapſo M. DC. LXXV. menſe Majo fœmina quædam hic Vratislaviæ ſeptimo menſe gravida, ictero corripiebatur, cum appetitu proſtrato, ſiti ingenti & alvi obſtructione pertinaci. Ex conſilio obſtetricis aſſumit mannæ in juſculo carnium ſolutæ unciam unam, â quâ alvus eo die aliquoties ſolvitur: ſub noctem vero frequentes dejectiones cum torminibus ingentibus eandem defatigant, adeò ut tandem, ſub lucis exortum partûs doloribus correpta, paullo poſt puellum vivum, debilem quamvis, ederet. Natus hic, vel ipsâ teneritudine immaturitatem ſuam te-

ſtatus, æque ac mater laborabat ictero, & totus bile tinctus erat. Illa à partu ritè purgata & medicamentis convenientibus curata, aliquot dierum ſpatio integræ ſanitati reſtituebatur. Hic vero, qui primis diebus ubera matris penitus adverſabatur, ſub finem tertiæ ſeptimanæ epilepſiâ corripiebatur immani, paroxyſmis quotidiè magis invaleſcentibus in tantum, ut, quartâ à nativitate hebdomade nondum exactâ, in uno eorum ſanguis ex aure ſiniſtra cum impetu, ceu venâ ſectâ fieri aſſolet, proſiliret, moxq; novo, eoq; ultimo, ingruente, cutis eâ parte, quâ coccygis os intrò flexum ſcrobiculum efformat, rumperetur, ac ſanguis ſatis largiter inde maneret; ſicq; miſellum anima tandem deſtitueret.

OBSERVATIO CCXLII.

D. DANIELIS LUDOVICI.

FOETUS CERVINI II. NOVEMBRIS CONSTITUTIO.

CUm ſuperiori anno Coburgi à Sereniſſimis evocatus aliquandiu ſubſiſterem, præcipuus quidam aulæ miniſter, rerum naturalium haut aliàs incurius, & cui aliquando conceptionis rationem & primum apparitionis tempus ſecundum recentiorum nunc ſententiam & obſervationes, præcipuè in damis atque cervis habitas, aliquando expoſueram, exenterationi cervæ, uti videbatur junioris, paulò ante confoſſæ, ſecundo Novembris, ſt. v. fortuito ſuperveniens, deprehenſum inibi tenellum, cum ſecundinis ſuis, (ovum gallinæ majuſculum æquantibus,) fœtum ad me deferri juſſit; brevique ſequutus habitum ac conformationem contenti intus animalculi coram intueri voluit. Diſciſſis proin ſtatim in præſuppoſiti noſtri collationem ſecundis, profuſoque hinc liquore intus albugineo, prodibat fœtus, in ſuo parùm inflexo cernuoque ſitu perfecti viri duos indicis articulos exæquans; poſt aliqualem pro rectilineo poſitu extenſionem, aliquantum excedens; perfecte ſatis conformatus; maſculus, veretro craſſitie mediocris netricum acûs, longitudine verò quam pennæ anſerinæ medium præterpropter emetiretur, cum teſticulorum notis manifeſtis: caudâ pro ratione proportionis longiori, articulationibus ſuis diſtinctâ, pene de cætero craſſiori.

Abdomen peritonæo undique clauſum, ut nil propenderet, umbilicalia autem vaſa variorum filamentorum inſtar, ad hypogaſtrii initium

tium exirent. Dissecta membranula illâ & quod isti in musculorum forsan rudimentum incumbebat, apparuit hepatis substantia, sed indigestior, instar floridi (quadantenus coagulati) sanguinis: sic etiam splen, at paulo nigricantior. Renes utrinque pro ratione fœtûs majusculi, granum piperis mediocre æquantes, cum aliquot incisuris. Ventriculus cum binis suis appendicibus ad grani cannabini magnitudinem accedentibus, appensa (crassioris dupli modo,) ostendebat intestina. Desuper diaphragma & utrinque costæ veræ, circa sterni regionem membranosa substantia junctæ, inferius cum spuriarum quasi initiis. Hinc pulmones, pisi hortorum majoris magnitudine; cor autem piperis fere grano par, exangue tamen, cum venulæ circa tempora, maxillas & in ipso trunco forent conspicuæ.

Eviseeratus ita fœtus lateraliter carinâque sua plane referebat colubrum aut fundulum, cui interanea sua exempta. Caput majusculum, avellanam majorem excedens, maxillis in obtusum quasi rostrum utrinque protensis; linguâ (diducto ore) elegante, latitudine dorsi cultri mediocris. Oculi effossi cannabis aut cardamomi majoris granum æquantes, cum pupillâ per subtile palpebrarum tegmen admodum conspicua. Auriculæ protensæ, sed si adultorum conferas, circumcirca obtusiores. Cerebrum à cerebello in apicem quasi quendam abeunte, intra tenellam adhuc & membranosam calvariam satis distinctum, album ac crassum, instar spissæ mucilaginis tragacanthæ. Ungulæ & articulationes pedum perquàm conspicuæ, solidiusculæ, albæ, ut ipsa quoque spina. Atque hæc distinctè nec sine jucunditate, (modò pro penitiori perlustratione qualiscunque curiositas armato oculo juvari potuisset,) interea vidimus.

Ego vero (unicâ licet observatione,) turbatus tamen hinc, venatorem ipsum cum sociis aliquot, aliud quasi agens successive perquisivi; qui cum hæsitantem me cernerent, nil novi esse dicebant, invenirique passim sub exenterationibus ejuscemodi vesiculas, (ita manticas istas vocabant,) etiam procedente Octobri, sed minores: ceu versus hujus finem eorum quispiam fœmellam, fœtu nostro paulo minorem, per accidens extraxerit. Cogitavi proin, num regionis forsan secundum tempestates differentia, vel speciei quædam disparitas subesse possit. Verum de cervis quidem id rescire hactenus non potui; statum orgasmi tempus idem.

Quod autem aëris constitutionem attinet, nota quidem ista est, & pariter hîc declinans æstas mage fuit pluvia; September verò hinc satis serenus; ut apparitionis potius prolongatio quædam, secundum venatorum traditiones evenire debuisset. Ephemeridum usualium nullum scio vel puto discrimen; aut si quod speciatim fuisset, tantæ tamen anticipationi nondum sufficeret, siquidem si viri nunquam satis laudati observationes de fine Novembris *Exercit.* 69. & principio Decembris *Exercit.* 70. cum fœtu nostro conferimus, vel mensis distantia haut difficulter prodiret: quò nec Veterani nuper relatio facilè pertinget, qui seniores nonnunquam cervos orgasmo circa Augusti finem anticipandò correptos oblatam forte fœmellam, (luxuriantem tamen etiam congenerum exemplo, velle posset quispiam,) inire multâ interim satisfactione dicebat.

Paulo verò fusius hæc recensere volui, non ut tot tanti Viri observationes ullatenus hinc dubiæ reddantur, sed quo ad minimum saltem, vel uno alterove exemplo, consimiles forsan alternationes, in eo abstrusissimo adhucdum negotio ulterius, aut secundum prædictas parilesve causas penitius pervestigarentur. Parcitur equidem, & meritò, hîc locorum isti tum temporis sexui, aut eviscerata jam ad aulas mittuntur. Operam tamen proximo autumno dabimus, ut quousque experientiæ conveniant illæ venatorum de anticipatione, citiori frequentiorique apparitione &c. relationes, planius constet. De cætero ejuscemodi embrya, grandiores quoqve abortus, infecta &c. in vitris conformibus perdiu olim servavimus in ♁ʸ/i dephlegmatissimo solo, ^us ⊖is subtilioris parte, spirituive terebinthinæ tantillo sociato.

OBSERVATIO CCXLIII.
D. DANIELIS LUDOVICI,
INQVISITIO IN MAJOREM SPIRITUS TARTARI PROVENTUM.

COmmunes sunt de spiritu ♀ri usuali querelæ, quod si à destillatoribus passim hodie venalis coëmatur, nullius pene sit momenti, volatili potiorique sic suâ parte (seu per vices, inter majores impetus emissâ, seu libellorum quorundam seductione phlegmatis loco abjectâ, aliterve neglectâ,) tantum non penitus spoliatus; residuâ potius aciditate, consuetis destinationibus plerumque minus

minus quadrante constans. Sin autem propriis manibus, secundum prascripta, (studiose licet) destilletur, adeò tamen exigua quantitate proveniat, ut si polychresta vis deforet, operæ pretia de cætero mereri vix videatur ejuscemodi fœtoribus ac tædiis occupatior: dum assumpti ponderis contentæque volatilitatis tantum (ingratiis etiam) periisse, sub lancis postmodum examine deprehenditur.

Nec verò pro defectûs hujus supplemento insolidum adduci vel accusari potest gas incoërcibile, quod equidem inter excandescentium particularum luctam surgit, & (quamvis in spiritûs super cineres abstractione haut adeo sentiatur,) nihilominus in olei quoque rectificationibus ponit *Helmontius*, (*tr. de Flatibus*) rimam proin inter commissuras relinquens. Cum revera insuper etiam mage corporale quidpiam, negotio quoque satis considerate instituto, simul tamen erumpere sensu non uno percipiatur; & enchirises, quædam, ligandæ quadantenus aut retinendæ fugaciori huic volatilitati destinatæ doceant.

Quo ipso autem amplius haut difficulter colligitur, tantæ dissipationis & extravagantiæ causam non semper ac solitarie consistere in artifice, instrumentis, eoque recidentibus requisitis, sed etiam in ipsius subjecti natura peculiarique dispositione: & ut cæteris paribus forsan hæc est potior, ita quoque peculiarem postulare medelam; cum reliqua oppido facilius & comprehendi & pro re nata emendari queant. Non potest enim non dispergi plurimum, si v. g. recipiens ad mediocre quoque ♀ri pondus sit minus exiguum; si satis alias capaci & usuali non sex tantum aut octo, sed decem, duodecim aut plures libræ apponantur; plerumque vix totidem unciis liquoris postmodum provenientibus: si (quo lucrum sit in loco aliquid negligere,) rima vel epistomiolum inter commissuras pro ruptura vasis evitanda relinquatur. Observavimus pluries, grandiora quoque receptacula, qualia hîc sunt Hassiaca, non ferre ♀ri ultra duas tresve libras, absque evidentiore spiritûs aliàs accisè satis hinc prodeuntis jactura. Ita si ignis statim & justo sit validior, quatuorve v. g. horis cum dispendio transigatur, quod sex vel octo, (quæ 2. libris facile debentur,) securius oportebat.

Optarim hic, ut enchiridio cuidam chimico ac pharmacevtico adjiceretur debitum præterpropter singulis processibus eorumque gradibus & alternationibus tempus; ac determinatum quoque quoad ejus fieri poterit pondus productorum, tam immediatorum, quam è

residuo aliterve provenientium: item additamentorum & inevitabilium per diversimodas dissipationes dispendiorum. Levi id fieret negotio, maximo vero præcipue incipientium, taxas condentium, &c. commodo. Sed hæc incidenter.

Ita porro apertum quidem pro spiritu nostro ignem hic non culpaverim: nihilominus tamen ad istam ♀i impetuositatem paulo fere videtur violentior: & extremus tandem arenæ gradus dictum pondus in retorta vitrea sufficientissime subigit, ut re rite peracta pro sufficientis salis collectione particularumve quarundam minus forsan adhuc tactarum majori alcalisatione, ulteriori cap. mortui calcinatione (simul deprædatoria) non sit opus.

Adhibuimus aliquando alembicum, qui (una cum recipiente) fumos adeo enitentes cogeret, capacissimum loco retortæ: sed duplicatis sic commissuris plus perdidimus. Idemque contigit, cum alia vice globum spiritus vini partem, (quæ tartari erumpentem absorberet) continentem inter rostrum ac recipiens poneremus. Dubio procul autem parilis fuerit productiorum & varie inflexarum serpentinarum successus: siquidem applicato longo satis nec adeo declivi (per capax refrigeratorium) tubo, nobis quidem pro ratâ nihilo plus provenit; spiritibus impetuosis altum quidem facile petentibus, deorsum verò (inter subitaneam istam successionem & humidi suscipientis defectum) ire nolentibus; subterfugio interea, ubicunque comitante oleositate datur, præfracte quæsito.

Retortiforme detonationibusque fulminantium aliàs non incommodum instrumentum, ingerentibus inferius exitui superius uno pluribusve rostris patens haut minus, idque de subtiliori parte potius, ingratiis dimisit: plus vero Glauberianum secundi furni operculatum; plumbo circumfluo nonnunquam eliso, alibi superimposito quoque lapide levato ut acidior tantum pars in collecto liquore prævaleret. Lutum ipsum etiam singularius quàm penetret, passim sentitur: quo vesicas postmodum, ut tamen prius probe circumcirca siccentur, quidam nec immerito forsan maluerunt.

Verum cum nec his nec aliorum prædictorumque requisitorum observatione multa potioris partis dissipatio præpediri posset, ad ipsius proin subjecti naturam, quod alterum erat, conversus cogitavi, num (ut in sale comm. ammoniaco, nitro, calce viva &c. solemus, ita hîc

quoque)

quoque) additione competentis nec producta frustra pervertentis vehiculi, quod & ficciorem tartari substantiam hac in parte quasi levaret, & particulas salinas, (sub acidi vinosi cum fece, volatili sale affluentissimâ coagulati exercitio isto) impetuosius proruentes susciperet saltem, aut dilueret, major quædam harum conservatio inveniri queat? atque adeo diffusioris 1. quoad ejus fieri posset, quantitatis, 2. spiritûs tartari (pro nunc) tantum usualis, & quidem 3. particularum ejus acriorum ac pungentium acidulas intermixtas, (quod bonus & efficax demum existit etiam non rectificatus spiritus) evidenter præcellentium, sique 4. sine requisitorum ejuscemodi incommodo tum liceret, etiam residui in cap. mortuo alcali specialiter ratio haberetur.

His autem ita suppositis statim excludi videbatur principio, qui cum ⊕li, desideratas particulas nimis supprimentis, anatico pondere, (etiam sp. tartari compositi nomine) destillatur: triplo quidem copiosior, sed acidior melleoque propinquior: utut bonum sit aperitivum ac menstruum non deses. Sic porro quoque, qui cum quarta tantum parte vitrioli provenit, tartareo propinquior, diaphoreticus ac diureticus: vulgari spiritûs tart. ponderi consueto dimidium superaddens; adhuc tamen similiter acidiusculus: oleo interim ob suppressionem istam aut sulphuris metallici inviscationem utrobique parco, minus acri & ad ordinarium proventum vix subquadruplo: capite mort. verò (posteriore, tanquam fixationi aptiore,) vix drachmas sex pro singulis tartari libris è fluidiori massa reliqua in laboris quasi spiritûsque remissioris compensationem exhibente. Cum colcothare & vincetoxico destillari, non tamen ad combustionem usque jussus, aliàs eo ipso alterius potissimum ortûs ac intentionis est.

Amplius autem nec qui cum alumine (in quod aliud agentes incidebamus, habetur, secundum dictas conditiones huc referri vel substitui poterat: siquidem anatica hujus & tartari proportione penetrantissimus & sale volatili (ultra urinæ alumini debitæ modum) affluentissimus, (æque ac spiritus C. C. vel fecum vini siccatarum, tanquam acido vinoso minus ligatarum solet,) prodit; cuidam tamen salis tartari spiritui odore saporeque, quin etiam fugacitate pro communi tartareo proximior: capite mort. de cætero arcanum quasi duplicatum quoddam post elixiviationem præbente.

Ad eandem vero urinositatem tendebat etiam, (vix animadverso

interea

interea consueti ponderis augmento,) spiritus, qui admixto sale tartari vel ex ipso tartaro tartarisato, (coagulo è tartari selecti vel depurati & salis tart. ana, aut hujus potius duabus, illius tribus partibus collecto,) pellitur: efficax interim, nec ut nonnemini habitus est, per quandam hinc destructionem quasi aquosus.

E sale tart. aceto destil. ad nodum oxysalis diaphoretici Salæ, simplicius saturato, (quo incidenter etiam hæc referamus,) non spiritus tartareo analogus, sed acidus quispiam liquor prodibat, parcus, & istum saltem aliquantum (cum intersperſi nonnunquam olei olim absorpti punctulis redolens; utut alibi similiter pro regenerato vel artificiali tartaro æstimaretur.

Cum aceto vero non destillato processu instituto, (requiruntur autem libræ fere septem aut octo pro octo salis unciis,) magnam post sufficientem divaporationem nigricans spiritum dabat (ex aceti sc. sinu,) oppido mage tartareum, acrem, urinosum, cum acidulatione tamen aliquali, & oleo fœtido quasi guajacino. Unde quoque haut dissimilis (& quasi è tartari spiritu acetoque destill. mixtus foret,) habebatur, postquam modò dictum coagulum spiritûs vini duplo præterpropter dilutum, (post filtrationem tertiæque partis exhalationem) destillationi per arenam satis validæ subjiceretur. Instillato sp. vitrioli manifeste ebulliebat liquor, qui cum olei simul particula, & alcali residuo in deliquium propensissimo prodierat.

Ulteriori vero inquisitione dignum videtur, quod si dicta magmatis solutio non exhaletur, sed (uti alcalia spiritu vini communi diluta solent,) subsidens phlegmatica & sale saturatior pars à superstante spirituosiore per tritorium separetur, atque simili ratione destilletur, profecto ad extremas guttas spiritu (satis tartareo, nec tamen cum vitriolico ebulliente,) sal in cap. mortuo relinquatur, cujus deliquium aut solutio cum oleo tartari comm. limpidiori etiam nullatenus nobis quidem misceri voluit.

Sed hæc alterius sunt ordinis aut originis, ceu adhuc longius in institutum hoc nostrum petitus foret spiritus, (aliàs non rejiculus,) è sarmentis præcipue caudicibus sive capitibus, dum vineæ nonnulli-bi eruderantur, destillatus. His proin omnibus, utpote destinationi ac præsuppositis minus in præsentiarum quadrantibus, suos in usus tantisper sepositis, spiritus vini tanquam analogum ejusdem liquoris

geni-

genimen tartareæque volatilitatis haut inconveniens susceptivum succurrebat.

Sed nec sic voti adeò compotes fieri videbamur: quippe prius quam tartarus pro exsudatione sui laticis satis undiquaque incalesceret, transiisse is maximam partem in excipulum deprehendebatur; exigua hinc forsan differentia à simpliciori ista combinatione, ubi pro subsequa rectificatione spiritui tart. (etiam ab oleo nondum separato) affunditur illius portio.

Unde de stabiliori quodammodo, sed in diaphoresin ac deoppilationes conspirante vehiculo cogitantes, pro ulteriori tentamine] dimidium mellis satis grumosi, alia vero vice speciosioris hîc mannæ parile dimidium selectiori tartaro addidimus. Destillatus valide tandem per arenam non sine exæstuatione liquor, conjunctim quidem tartarum satis referebat, citius tamen anticipare videbatur exiens aquositas istius eruptionem, præstabatque spiritum paulo dilutiorem, cum alcali aliquantum à melle inverso.

In saccharum proin, vilius solummodo & nil vel parum saltem à resinatoribus passum incidimus, eo quod pariter sal quoddam essentiale foret, phlegmate superfluo minus abundaret; solitarie quoque diaphoreticum & aperitivum promeret spiritum, & quidem in eo genere haud adeo disparem; forsitan denique alcali etiam minus alteratum. Cum autem anatica primo proportio bonum quidem, similiter tamen aliquanto dilutiorem (uncias sc. decem pro tartari unciis sedecim,) exhiberet, residuumque minus alcalisatum videretur; proin dimidio tantum postmodo seu unciis sedecim cum duplo tartari seu libris duabus mixtis, extremo tandem arenæ gradu, 8. vel 10. horarum spatio habuimus uncias duodecim (interdum pene tredecim,) spiritûs à tartareo (usitatæ curatæque tamen destillationis,) sapore odoreque nostra quidem opinione vix aut non (nisi processum quis noverit,) discernendi; effectûs interea (ceu plurimum annorum usu privatim confirmati testari possumus,] plane ejusdem; sive per se sive in mixturâ seu tincturâ bez. similibusve compositionibus adhibeatur: seu porro (& hoc perquirentibus) potius aquosior saltem pars à saccharo mutuo hîc sumpta fuerit, seu unà insuper de hujus analogo sane innoxioque spiritu quidpiam, ceu facile credi poterit, complicatum adscenderit: cum

olei (residuis forsan scoriis, ob effervescentiam spongiosioribus & sesquilibram præterpropter ponderantibus, nimis inviscati) sed tantum drachmis; salis vero præter expectationem maximam partem haut purè alcalini, sed ab accessorio aliqualiter (æque ac vegetabilium sulphurata sunt,) alterati unciis sex aut septem: dum præter singulariorem *Helmontii* supputationem aut modum, (quo *tr. tria prim. chim.* è sedecim unciis vix unam aquæ haberi, reliquum per destillationem in oleum mutari; *Tr. Blas* vero, totum è 16. unciis prolectum liquorem super caput mort. cohobatum residuo inibi (℥iiß) sali adhuc ℥iiij superaddere dicitur, secundum vulgarem quidem processum è solitarii tartari crudi selectioris libris duabus seu ℥xxxij. passim aliàs spiritûs tantum quinque cum dimidia, vix integræ sex habeantur; salis Sex vel septem unciæ, & olei drachmæ decem aut interdum duodecim: è depurati vero eodem pondere spiritûs (grave nihilominus adhuc olentis) unciæ utplurimum saltem quinque, olei una, salis octo: forsan quia illic quidem subtilior ac solubilior, metallica quoque ac marinam adoriens pars in adhibita aqua remanet, aut oleosior insuper à copiosiori sale absorbetur; hîc autem, quia purior & à nimia arenositate sequestrata est tartareitas.

Paulo fusius ea superiorum annorum tentamina referre voluimus, quo fœcundioribus experimentis amplius perficiantur; aut ad minimum tantummodo vulgatissima venalis per laborantium emissarios spiritûs coëmptio, etiam pharmacopoliis in ea proventûs parcitate haut adeo insolens fortassis aliquousque impediatur. Decedit equidem hîc quoque portio haut exigua; sed inter eam pariter pars quædam incoërcibilis, reliqua vero haut in adeo excessiva quantitate, ceu producta & cap. mortua singulorum inter se conferendo patet. Acuere de cætero hunc pro lubitu, sed utplurimum non sine majori graveolentia poterit quispiam superaddito sale volatili quovis modo ex alcali tartareo collectio: vel post digestionem quandam omnium invicem productorum, liquore postmodum per retortam cum spiritûs vini parte propulso.

Affinitatis autem caussa paulo diffusius adjiciamus his nonnulla, quæ circa ipsas sp. vini siccatas feces (Weindrusen) per vices superioribus lustris aliud quærentes observaverimus: præsertim cum omnibus regionibus non æque frequens sit magma illud, quod post spiritûs abstra-

abstractionem è fecum in vesica residuo in districtibus viniferis siccatum argillæ compactioris frusta refert.

Tradidimus aliquando figulo libras decem, ut olla satis operculata moderate (ceu pro locationis ratione queunt,) calcinaret. Verum non ut in cap. mortuo tartari intermixtum, sed desuper plane & ad 2. digitorum crassitiem super istas expansum seu sublimatum, 24. unciarum pondere invenimus sal albissimum, urinosissimo odore nares oculosque feriens; residuo subter insipido, carboniformi aut quasi arenoso.

Cum alia vice repetere hoc placuisset, figulus negotiosior olla denuo festina repetitione furno imposita, quod quærebamus, perdidit: septem saltem unciis alcali acerrimi & in deliquium propensissimi è toto, (nam carboniforme illud plane disparuerat,) residuis. Prædictum autem sal quasi volatile, postquam Aceto destillato (ut in confectione terræ fol. tartari) imprægnare instituissemus, hunc procedendi modum haut adeo sustinere voluit, sed totum ferè, exigua profecto remanentia, alembicum in abstractione transiit; liquore interea satis vel inter menstrua polychresto.

Spiritus vero è siccis istis fecibus per retortam in arena haut difficulter tartari more destillatur; & habentur forte 6. vel 8. horarum spatio è libris duabus (recipiente capaciore) spiritûs copiosissimo sale (ut unquam C. C.) intermixti facile unciæ octodecim, olei tres: utrumque fuligineum quid potius, quam tartarum olentia. Sal cum à solo liquore vix totaliter solvatur, unciis sex vel octo spiritûs vini eluatur, & separato oleo saturatus ita spiritus per phialam super sal tartari aut saltem cineres (toto ventre his repleto,) rectificetur, ut 12. vel 13. unciæ, sal volatile prius prodiens successive absorbentes colligantur: gravius tamen adhuc quidpiam, etiam præ C. C. spirantes, nî repetitæ rectificationes nonnihil juverint.

OBSERVATIO CCXLIV.

D. DANIELIS LUDOVICI

DE

EXPERIMENTIS CUM CALCE VIVA FACTIS.

FOrsitan haut fuerit incommodum, si quæ aliquando sub qualicunque potiorum calcis vivæ ipsiusque saxi partium perquisitione observaverimus, breviter hic & num abstrusiori adhucdum exæstua-

exæstuationis negotio explicando conferre queant aliquid, recenseamus. Principio proin cum curiosiorum circa rem istam facile primus *Helmontius*, in primo editis libellis 3. *lithiaſ.* & 9. *febb.* alteram excandescentiæ caussæ partem in residuo concremati sulphuris sale, ipsumque saxum ob sulphur phlogiston calcinabile esse velit, aula insuper ab usti in proximo fortalitio fœtore sæpius offenderetur, in sulphurearum (copiam hinc non exiguam præ se ferentium) particularum aliqualem pervestigationem delati deprehendimus vel minerarum ustulatarum accensive modicum in conclavi fili sulphurati exemplo, quod nihilominus qualitas hic atque pollentia mole (conjunctim ante hujuscemodi dispersionem æstimata) profecto major fit; ceu in odoratorum quoque nonnullorum effluviis, inque gustu similiter, florum ammoniacalium martialium nigrorum tantillo extrema faucium constrictione tantum non penitus suffocante sentimus.

Facta enim 1. pollinis saxi cum oleo tartari saturatissimo digestione & hinc decoctione satis forti, (siquidem liquatio cum ipso sale nimium de materia lapidea absorbere, haut parum vero sulphuris sub actione ipsa dissipare videbatur;) instituta cum acidis præcipitatione, non sulphur aliquod aut eo saturatius quidpiam, sed lapidosum solum magma subsedit, si prunis inspergeretur haut ardens, ut antimoniale vel lac sulphuris etiam cum lixivio calcis parata; verum sulphur aliquantum saltem olens.

Nec 2. sublimari aliquid, intenso quoque per 10. horas igne (tantum in collo retortæ) voluit, cum (alio quidem fine) libram unam (quo magis penetrari posset,) grosse pulveratam Vulcano subjiceremus; prodeunte interea quidem ab initio drachma una scrupulisve quatuor aquositatis à communi haut adeo multum differentis: dum tamen & pari silicum etiam alborum pondere, postquam eadem quantitate extillasset liquor aciduli fere quidpiam præ se ferens, & nobis olim pro menstruo insipido solari commendatus, (parata vero copiâ attenuatiora quoque Saturnina haud adeo attingere visus,) sulphureitatis odoratui haut adversæ quidpiam, utut vix ponderabile illuc adscenderet.

Ita nec 3. digestione cum ♁ dephlegmatissimo instituta, instillatoque filtraturæ ⊕li-^u aliquid præter nubeculam extra filtrum non colligendam, eo vero combusto demum aliquousque fere perceptibilem habuimus.

Tandem

Tandem 4. nec detonatio expectata per nitri tam simplum quàm triplum, nisi coactissime & ubi circumactam prunam immediate tangeret, successit; (suborto saltem lapidis molaris attriti odore sulphureo:) dum tamen Martis limatura, stannum, lapis calam. &c. intimiori quoque vel immaturiori sulphure constantia tale quid, quodvis interim pro suo modulo, facilius patiuntur.

Ut proin supra laudatus *Helmontius* haut incommode postmodo (*tr. tria prima chim.*) conclusisse videatur, id quod saxo calcario inter urendum decedit, cum nihil tunc ut in pruna (quam paulo ante lapidi isti contulerat,) accendatur, salis esse potius quam sulphuris; de separabiliori manifestiorique procul dubio loquutus: siquidem præter supra recensita, alia etiam quam à solo ligno apparere videtur in ustionis progressu flammæ facies, eaque ab avolantibus particulis salinis vix solitarie profecta.

Maculas instar croci cujusdam metallici ochreas aut rubiginosas calci nonnunquam interspersas tantisper huc trahere nolumus. Speciem tamen tunc præ se ferunt reliquiarum aut scoriarum micæ interspersæ seu substantiæ sulphuris cujusdam forsan haut expertis, aut ad semimetallicum quidpiam simul inclinantis: ceu superfuso calci vivæ aceto, (quod hydromel nobis loco vini sufficientissimum suppeditat,) postquam fundo prius quasi ammoniacaliter aliquandiu refrigerato, effervescere tandem incipit, odor exactè solutiones saturninas aceto factas referens exurgit. Sed hæc plane conjecturaliter.

Id constat, quod dum candicans calcis rec. portio urentissimo sapore linguam impetit, rubiginosa hæc seorsim exsculpta aliquanto mitior cum amaritie quasi adstrictoria copulata sentiatur. Atque hæc de sulphureis referre possumus; ob olei tartari frustrationem studio præterita digestione cum spiritu nitri composito, abstractionemque spiritûs vitrioli, tanquam mage sulphureis convenientioribus.

Quod autem salinas attinet, observavimus r. è saxo crudo, licet interspersa mica & alius quam spathi, silicis &c. levigatorum sapor spondere queat quidpiam, vix tamen (negotio quoque per fortissimam decoctionem & filtraturæ in vap. balneo exhalationem, consimilium marmorumque exemplo tentato,) separari posse evidentius aliquid, quod præter calcis (ut in vinis nonnullibi) vestigia candicantia, à fontana vel maximam saltem partem remansisse dici nequeat; siquidem

(ceu

(ceu plurimas olim alio quidem fine Serenissimi jussu hoc quoque modo tentavimus,) salsum quidpiam subamaricans quasi centrale aut seminitrosum, floccosum fere aut foliatum, plerumque tamen griseum, cum sulphureitatis cujusdam interdum nota (vix ultra 2. grana è libris 16.) similiter relinquunt, si puræ simplicesque nec extraneis nonnunquam complicatæ fuerint, v. g. (præter frequentiorem materiam illam tophaceam aut calciformem,) ochreæ cuidam simulacri & sulphureæ; ut in strumiferis quibusdam superioris Franconiæ prope vineta, citra metallorum (quæ ibi innotuerint,) commercium scaturientibus: aut uliginosæ amaricanti; ut in stygiis quasi nonnullis, gustui in se non adversis, jumentis tamen inde largius potatis exitialibus; ipsive sali communi; ceu non sine jucunditate in Hassiæ hic confiniis fontes salsularum venam sive tractum (cis & postmodum trans Werram fluvium,) comitantes aliterve tangentes, ejus plura grana, alicubi ultra scrupulum in supra notato pondere continere per duorum fere milliarium Germ. ductum deprehendimus, libris utrinque reliquis. Sed hæc incidenter.

De cætero si quid in ea exiguitate ac miscellæ suspicione, ex ipsa etiam calce est salinum, (ut esse potest,) nitrositati cuidam videtur forẹ tum (per diversarum observationum applicationes) propinquius.

Cum autem 2. & per gradus manifestius hic quidpiam quæreremus, & ipse lapis per perfectam ustionem facile dimidio inveniretur levior, (etiam post aliqualem asservationem, dubio procul ab initio quoque exhaustis ac sitibundis poris ex atmosphæra aliquid in augmentum ponderis admittentem:) probe quidem gnari *Helmontiani* illius *l. c.* quod ejus generis saxo idem ac carboni eveniat; nisi ambo aperto igne crementur, in calcem aut cinerem mutentur nunquam, instituimus nihilominus experimentum supradictum vase clauso, seu in retorta igne satis valido, exploraturi num particula saltem ejus quod in calcinatione aufugit, & idem author non sulphureum, sed salinum esse voluit, ascenderet, eaque vel pure talis, vel sulphureitati cuidam permixta, aut simul (quod Illustris *Boyle* in Parisiensi gypso observavit, nostro circa fornacis tantummodo fundum interdum liquescere incipiente, ex parte vaporosa.

At quid & quantum hinc exierit, paulo ante notavimus. Nec adeo evidentius quidpiam è residuo seu cap. mortuo colligere potuimus,

mus, nisi quod (in ulteriorem conjecturam aut collationem, affusa ad exiguam solum extantiam aquâ seu post exiguum stridorem, nullam vero incalescentiam, filtratura (aliquid insuper præ fontana fere sapiens,) instillato tartari oleo, (nam è vitrioli spiritu nil;) sedimenti quid instar nubeculæ ostenderet: dum evidentiori particularum acidularum indicio, supradictum silicum residuum similiter elutriatum, aquam quasi semistipticam, & per oleum tartari pulveris albicantis quidpiam instar magisterii præcipitatum, vitrioli vero spiritu similiter nil, (apparens quidem) reddit.

Atque eadem gypsi usti ac calciformis lapidis, crustuosi dicti, (siquidem laminis lap. scissili crassioribus pavimentisque peraptis constat,) ratione stridoris citra effervescentiam, & præcipitati per alcalinum pulvisculi, cum silicibus est ratio. Ut inter prænotatam è saxo parcitatem *Helmontius* denuo haut incommode dixisse videatur (*tr. tria prima chimicorum.*) lapides calcinabiles salis naturam & calcis acrimoniam induere transmutatione in novam generationem ab igne promotam, non vero contenti extractione vel separatione.

Proin in calce ipsa rite perusta 1. sal manifestarium ostendit (præter laboriosiora alia, ipsiusque lixivii saporem,) coagulum saltem simplicissimum, quod ex hujus evaporatione in vap. balneo, (unde candidissimus *Sala* aperto forsan igne diutiusve reposito lixivio usus induci ad qualemcunq; negativam potuit,) in bullis lamellisq; suis, (nî imber exhalationem per vices cum Eccellentiss. *Willisio* eximantur,) calcariæ materiæ permixtis ad drachmam semis fere è saturatiori libra restat, & aquæ s. q. denuo solutum idem lixivium reddit.

Quod 2. naturam ejus (an simplex vel compositum, fixum an volatile faciliusve præ aliis alcalisatis volatilisandum sit,) una cum origine attinet: uti quoad primum *Helmontius* allegato loco 3. *lithiaf.* & 9. *febb.* duo inibi posuit alcalisata salia, gustu quoque distinguibilia, lixiviale unum, alterum acidum à sulphure concremato residuum, nec separabile à toto &c. quæ porro aspersione aquæ soluta invicem agant, accendantur, &, dum se mutuo sic demoliuntur, simul coagulentur &c. exemplo tartari vitr. thermarum &c. adducto: ita sane in urentissimo simulque quasi stringente calcis vivæ [recentis & integræ,] dum vero concidit pseudosaccharinis aluminis Saturnique aliqualiter accedente, ipsiusque lixivii [ab alcalino per stipticum] ad similem dulcorem

corem tendente) sapore attentior gustus non invenit, quod in sale tartari perfecte vel denuo cum particula calcis vivæ calcinato, in oleo tartari & liquore silicum Gl. aliisque exquisitioribus alcalinis, simplicibus aut materiæ lapideæ, (si simplici hujus solitarioque commercio forsan supra notatus sapor imputari velit,) complicatis sentitur; conceptu autem facilius vel manifestius, licet non sine quadam collationis latitudine existit in alcalinis fixis aut volatilibus per acetosa aliquousque infractis aut fixatis; in ipsa urinâ evaporatæque coagulo, dissolutione hepatis ant. antimonioque diaphoret. non edulcato, in lixivio capitis mort. spiritûs calcis vivæ cum sp. salis parati &c. lapidosæ quoque vel analogæ substantiæ quidpiam adsociatum habentibus.

Ut autem præter gustûs hanc æstimationem distinctius appareat illa salium dualitas, urinosum quidem aut lixiviale haut difficulter forsan demonstraverit (1.) spiritus ac subsequum sal, quæ è lixivii saturatioris cum vitrioli spiritu moderate, (quò amaricans quasi quidpiam percipiatur,) affuso fixati coagulo, lente super fornacem parato proveniunt, si cum ana salis tart. subito misceatur, & quod igne arenæ vaporum specie brevi per phialam aut cucurbitulam conjunctim ad drachmas forte tres utriusque unciis duabus surgit, colligatur: capite mortuo ob prævalens sal ♀ri adhucdum lixiviosissimo, affusa aqua incalescente, prius autem calciforme aliquid intermixtum urentissimum ostendente; an quia denuo hic alcalino perfusum est? cum calx sale suo semel quovis modo exuta postliminio ad pristinum vix redeat.

(2.) Spiritus urinosissimus, quem ex ana calcis ac spiritûs salis per cucurbitam curtam at capaciorem, aptato probe prius cum recipiente alembico, ad uncias quinque pro singulorum libra una colligi posse, etiam non subdito (qui tamen postmodò potest,) igne alibi notavimus: residuo finita destillatione post horas demum aliquot concidente, si elixivietur & filtratura evaporetur, unciam unam semis salis foliati salsi simulque stiptici, (ceu solutiones lapideorum cum spiritu salis solent,) dante; fundamentum sc. liquoris nephritici quondam hic locorum usualis, & ob calcis jam sane inversas exutasque particulas (æque ac lac sulphuris) innoxii.

(3.) Parabilior adhuc calcis spiritus, qui ingestâ aluminis pulverati librâ supra libram unam semis grosse contusæ calcis vivæ, per capacio-

pacioris colli retortam, capaci similiter recipiente, trium vel quatuor, horarum spatio conjunctim, igne arenæ ad uncias sex vel septem provenit; liberioribus ita factis (post terrestriores ab acido aluminis similiter, ceu residuum ostendit, abreptas,) salinis istius particulis; licet equidem ex urinâ, inter hujus excoctionem pro præcipitatione necessariâ quædam pro rata accedant.

(4.) Spiritus vini satis inde alcalisatus, si per se prius probe dephlegmatus calci in cucurbita seu alembico ad aliqualem eminentiam effundatur, & postquam citra notabiliorem extus incalescentiam, (quæ in aperto vase vel patella post horas 3. vel 4. satis, cum haut ingrato spiritus avolantis odore, valida est,) octava præterpropter pars sponte in frigido striatim diei spatio, (sensim concidente calce) prodierit, residuum lento cinerum calore totaliter propellatur, sapore tartarisati vel à cineribus abstracti spiritûs instar, evidenter urinoso.

Forsan etiam (5.) coagulum nitrosum quasi murarium; aut nî copioso calcis lixivio superaddito probe saturetur, saltem mucaginosum; quod moderatâ quantitate (ita ut post exæstuationem sicca adhuc permaneat,) calci affuso nitri spiritu vel aqua forti, post debitam elixiviationem & exhalationem provenit, arreptam in lucta calcis partem, æque ac croci metall. antimoniique diaph. dilutum sub evaporatione deponit, & prompte ignem etiam emporetica imbibitum concipit; sub exæstuatione tamen, æque ac ipsa saxi calcarii cum spiritu nitri instituta solutio, nil rubrum, sed albos tantum, forsan in intimioris coagulationis indicium vapores spargit.

Atque (6.) huc adduci quoque posset similis urinosus odor, qui primo percipitur, antequam ex affusa aqua (oborta exæstuatione) unciæ duæ vel tres è mediocri cucurbita sponte surgant, simplici similes, saltem aliquantillum quasi stipticæ; dum perfusa spiritu vitrioli calce latex, qui per alembicum stillat odore saporeque phlegma vitrioli, è nitri spiritu vel aq. forti terreum quid seminitrosum, è vitrioli philosophico dilutiori (qualis ad usus medicos tamen sufficientissimus, assumptis pro novem butyri unciis ad præcipitationem, & edulcorationem aquæ simpl. libris sex facile habetur,) primo terram quasi sigillatam, hinc urinosum, (quod concentratior statim exhibet,) sapit, cum odore quasi butyri antimonialis.

De spiritu volatili, qui sp. salis perfusa calce cum subitanea, (ceu

in prædictis etiam) exæstuatione surgit, supra diximus; quemadmodum quoque de aceti, dum loco aquæ s. ad elixiviationem assumptum fuerit odore singulari. Hoc autem per horam & amplius moratur, antequam invicem excandescant: & diutius plerumque urina, ac citra quendam tunc tumultum: sponte post dies aliquot absorptis calcis particulis subsidentibus in utroque horum lixivio; quod hic quidem postmodum denuo urinam sapit, uti illud pristinum fere acetum. Sed hæc incidenter.

Suffecerint autem fortassis hactenus recensita pro partis lixivæ alias comprehensu facilioris qualicunque demonstratione: sive de cætero 3. ipsius saxi præ aliis huc dispositi, eque reliquiis *Helmontianæ* salsedinis sub ustione abeuntis fuerit; sive ab igne quasi fuligineum, in spatiolis lapidis (peculiariter præ reliqnis; etiam conchiliis apti) post calcinationem restitans; (quo pondus post repetitam ignitionem aliquantulum auctum ex Illustri *Boyleo* referre quis posset;) sive ab utroque: quod in ulteriora experimenta nunc quidem seponimus.

Interim tamen 4. ni penitus aut maximam partem volatile, saltem præ aliis alcalinis promptius ulteriusve volatilisatu facile haberi similiter vel è prædictis posset, cum è coagulo lixivii cum sp. vitrioli facto per sal tartari tale sensibiliter, & aliorum pariter fixatorum ac postmodo resuscitatorum more in alembicum levetur; & ex affuso calci vivæ salis spiritu urinosissimus quasi sponte surgat: ut alcalisatum hinc vini spiritum & eum, qui cum alumine colligitur, quandoquidem utrumque etiam cum sale tart. fixo procedit, haut adeo hic allegemus: quemadmodum nec tractu temporis, cum cremore chirurgorum, fatiscens tandem inter calcarii coaguli secessionem lixivium. Quod autem volatiliora quoque salia, etiam sola, vehementiorem quandoque ignem sustinere queant, sal supra vini feces sublimatum ostendit; facilius vero retinaculo competenti mixta; salis ammoniaci comm. aut è subtilioribus reproducti exemplo.

Sequuntur nunc 5. acidæ *Helmontii* particulæ, è concremato sulphure superstites, & consequenter hinc vitriolicæ naturæ aut saltem originis: siquidem vel acidorum vegetiorum calci inspersorum, aut C. C. V. coralliorumque vitriolaturum *Salæ* exemplo, forsitan plus tunc (seu ab ipso igne, seu acido lignorum spiritu, propriave in saxum actione ac reactione) patiuntur, quam in simplici postmodum lixivio, haut

haut semper tamen eas solum obnubente; ut in utralibet lucta nihilominus aliquantum fere infringi vel saltem tum, aut ab arrepta materia saxea alterari videantur; ni forsan alterius generis aut quasi compositum quidpiam (ipsis mineralibus aliquando evidentius interspersum, aliquando intimius permixtum) hic quoque complicatum fuerit, quod cujas cujas tandem sit, oblato lixivio copulatum quasi armoniacale aliquid constituat, & sub copula ista lapidosam substantiam absorptam, quasi aluminiformiter, aliquandiu retineat.

Fortassis autem amplius, respectu lixivarum istarum, [non solum in simplici, sed acidis etiam prædicto modo aliquantum imbibitæ calcis lixivio prævalentium, & inde pro sufficienti fixatione acidi vitriolici vel salini copiam haut exiguam exigentium,) pauciores quoque sunt; ceu ipsum saxi sulphur parcius est; & post communis etiam sulphuris teneriores quoque extractiones salis parum deprehenditur. Non tamen proin effœtæ aut desides; uti sanè *Helmontius* ipse eas inter alcalisatas refert, & supra recensitus, (tertius ex utrisque) sapor, ejusque per modicum spiritûs acidi calci instillatum intensio, item (mitioris alcali remissiorisve unitionis,) vitrorum non quidem evidens quasi per salis vitriolive spiritum corrosio, aut tacita ceu per concentratiorem nitri fixi liquorem attenuatio, sed lenta solum quædam vitiatio ostendere videtur.

Verum præter hæc eas inibi apertius comprobare poterit præcipitatoria unionis cum lixivis detentaque calcari materia (vel partialis saltem) dissolutio aut infractio, quotidianis quidem observationibus primo intuitu haut adeo fere consona, sub ulteriori tamen perquisitione satis sibi constans nec irregularis; ut sc. è lixivio tam communi, quam è calce (acido vitriolico, salino, acetosove aliquantum prius imbibita) elutriato, utrobique interim (hîc forsan absorpta in residuo aciditatis parte,) sapore urinoso nihilominus supereminente, per-^-um tamen Ꝋli moderatè priori lixivio instillatum planè nihil, per excessivum autem, tantùm salini coaguli quidpiam (affusa aqua s. statim dissolubile) præcipitari; è posteriori vero non nisi post dies aliquot salsi calcarii cremoris aliquid secedere, (salso plerumque, qui prius satis vitriolicus erat, tunc superstante liquore;) per tartari autem oleum protinus [& quasi indifferenter) è priori lixivio candicantem pulverem, è posteriori vero similiter, sed salinis quibusdam particulis utplurimum (præsertim ex imbibitione vitriolica,) plus minus comitatum,

tum, instar tartari cujusdam vitriolati salinative pessum dari, (alcalino in residuo liquore sapore eminente,) nihil sit insolentius: siquidem oleum hoc tartari in acidum, (urinosas calcis partes una cum lapidosa substantia intra se detinens) pro more irruere, ac per ejus abreptionem coërcitorum sic copulam solvere putaverimus: in dilutiori residuo liquore, restitante (vel pro parte tantum; nam abire vel etiam fortassis immutari qualitercunque aliquid, odor inter instillationem quasi clyssi tartarei surgens, isque per superinstillationem spiritûs vitrioli adhuc manifestior arguit,) calcaria urinositate; secedente vero (vel solitarie vel inter acidarum comitatum) prædicto magisteriali quasi sedimento.

Dum ex adverso vitrioli spiritus (alias pure alcalinorum contenta, uti in liquore silicum &c. satis separans) hic sibi similes, aut congeneres vel eò modificatas, (uti in calce per spiritum salis aut philosophicum aliquantum humectata concipere quis posset) particulas auget aut intendit, pro intimiori lixivi calcarii & quod ei, (ante evaporationem penitius) adhæret retentione, aut suppressione.

Hæc ulterius illustrari forsan quoque possent imitamentis quibusdam solutionum calciformium olim tentatis. Miscuimus enim (gnari interea, quod volatilibus etiam, tam primogeneis, quam resuscitatis sua sit Respublica,) spiritui ammoniaci tantum spiritûs vitrioli, ut post manifestam incalescentiam oborto tertio amaricante sapore ebullitio fere cessaret: (is enim in ejuscemodi mixturis atque fixationibus videtur terminus, & coagula alias nimis acescunt:) injectis cancri oculis tanquam solubilioribus liquor inde sufficienter saturabatur, cum sapore semiurinoso fere stiptico, & instillato post residentiam debitam oleo tartari, pulvis quasi magisterialis (odore pro talium conjunctorum mere confusaneo clyssiformi, at demum urinosissimo subsequo,) præceps ibat; per spiritum vero vitrioli præter ebullitiones nihil: interea tamen de oculis quidpiam tam indissolutum, quam sub ipsa solutione præcipitatum in fundo observabamus; ut enixis quoque nonnullis, (ceu non incommode hodie vel distinctionis gratia vocantur,) idem contingere hinc vel aliquandiu saltem, (siquidem procedente tempore totum è liquore, quasi denuo aliquali calcis vivæ imitatione secedit ac subsidet,) constet, quod spiritui vitrioli f. ejusque affinibus berberum citrique succis, atque liquori, qui post præcipitationem magi-

magisteriorum ex acetoso vel destillato cum dicto spiritu factam superest, & pariter marina ostracoderma &c. injecta partim post dissolutionem retinet, partim iterum dimittit.

Idem vero cum spiritu quoque antepileptico *Hartman.* tanquam eorundem ingredientium penitioris unitionis habito liquore contingebat; sive solutionem oculorum cancr. spectemus; nisi quod remissius eos adoriatur, (& ipse præ dicta mixtura remissior, & inter destillationem amplius forsan alteratus;) sive præcipitationem per oleum tart. sat evidentem, per spiritum vitr. vero nullam; sive demum residuum magisteriale quasi, inter intactas adhuc particulas.

Nec aliter semet exhibebat supradictæ conformis, spiritu salis communis & ammon. eadem proportione parata mixtura, in ista præcipitationum ratione, & post tempus demum aliquod subsequâ urinosi eruptione; nisi quod solutio oculorum cancr. hic foret durabilior, spontanea vero arreptorum præcipitatio forte nulla. Ipsum acetum spiritibus istis longe remissius, extinguendæ calci adhibitum, decantato hinc liquore perquam similiter urinoso, per spiritum tamen vitrioli longe tardius ostendebat quidpiam concrementi salini; dum instillato oleo tart. pulvis statim decideret, residuo acetum in vappam declinans referente.

Atque hæc de præsuppositorum *Helmontii* qualicunque perquisitione, & complicatione acidi; quod alias *l. c.* à toto non separabile constituit; felicioribus vero ac diligentioribus ulterius demonstrandum hic committimus.

Nec enim 6. pro simplicitate salis solum (in calce) alcalinâ adeo facere videtur vis escharotica; cum non tantum in lixivis, v. g. fraxini cinere eoque recenti, (unde quoque forsitan lapis corrosivus semel diffluens nil aut parum postmodum potest,) sed etiam in acidis concentratioribus, (oleo vitrioli, salis, butyro antim. sublimato &c.) solitariis, aut cum urinosis insuper complicatis (salis ammoniaco ejusque in vitrioli nitrive spiritu solutione &c.) imo plane indifferentibus nonnullis v. g. magnete arsen. Salæ pariter (quia ex alio capite) reperiatur: & sinapi, allium &c. non solitaria saltem, sed aceto quoque remixta vesicent. Quemadmodum amplius nec ipsa sulphuris comm. pro lacte ejus, antimoniique pro quadam sulphuris specie, cum calce viva per decoctionem facta solutio. Quippe hic quidem (ut in plerisque aliis) haut pura est

est sulphureitas, sed super antimonium (una solutum) tantum aliqualiter & aliquandiu (citra diuturniorem asservationem) magis extraversa.

Nec impurius solummodo ejus sulphur in dilutis haut pure alcalinis, post detonationem, verum etiam purissimum (post tantum acidi ad præcipitationem insuper instillati) nihilominus inibi durat & subsistit: ut additum nonnullibi lixivio tartari sal commune ustum; & in solitario isto, (si per tumultuarium detonationem cum nitro paretur,) aciditatem hinc incarceratam haut paucam; item affine, quod per aquas regias ammoniacales quoque diversimode provenit, prætereamus.

Quod autem commune sulphur attinet; etiam supradicta spiritûs ammon. cum acido modificata mixtura, quamvis in actione suâ æstuantis hic simul corrosivæ calcis vehementiæ singulariorique inibi lixivio in universum non conferenda, quidpiam tamen de digesto inibi sulphure arripit, quod instillato oleo tartari statim, (ac post momenta demum aliquot subsequa urinositatis ammonicalis eruptione) deponit incenso post exiccationem filtro satis perceptibile.

An spiritus vitrioli per similem instillationem evidenter nil deponens, occulat tantillum illud (uti superius,) inter urinosum hærens, ulteriorum experimentorum defectu nunc vel tædio inpræsentiarum, haut determinaverimus. Si vero urinam ipsam, sub unione sua calcis lixivio quadantenus affinem, etiam per supradictum solutionis modum putaverimus, licet pro salina, per alterius interventum segregata parte sulphuris cum calce factam solutionem præcipitet quidem, at mage flavum & (respectu adhibiti huc acidi) longe parcius lac exhibendo; altera tamen volatili, (vel uti in complicatione utrarumque est,) diuturniori decoctione imbibere sulphuris aliquid similiter instillatione olei tartari, filtrorumque deflagratione deprehenditur; dum per vitrioli spiritum plerumque austerior tantum provenit liquor.

Sed his 7. ita quidem se habentibus quæri nunc amplius, & quidem in ea experimentorum ambiguitate vel defectu facilius, quam explicari posset, num revera præsupposita duo illa salia sub ipso calcinationis actu ac turbulento tot taliumque particularum inter se transitu (subactione vel complicatione quadam) jam mixta fuerint; uti terram foliatam tart, ammoniacum ejusque subtiliora quoque

genrea

genera fortiorem quoque ignem sustinere cernimus: an vero demum, quasi seorsim servata, sub aquæ diluentis accessu & inter luctam suam misceantur? Siquidem & ipsa calx linguæ sed perfunctorie saltem, (ne urens oriatur) admota, supradictum fere saporem exhibere videtur: aut si tantillum eo ipso quasi restingui censeamus, aqua cui sufficiens recensque frustum immersum est, postquam prævio stridore bullulas suas ejecit, eundem circa peripheriam magis magisque induit, antequam intime (quod necessum est,) humectata vel saturata calce per oborientem exæstuationem undiquaque perfectiusque saturetur.

Interea certum est, quod sulphuris vel antimonii solutio cum ipsi in substantia facta longe præcellat digestiones aut decocta cum istius etiam saturatissimo lixivio, (citra quoque participationis calcariæ extensionem; quam alius simplici figentique nimis præcipitationi vel ex parte saltem adscribere posset;) & hinc ex antimonii v. g. ℥iv. per hoc vix duæ tres drachmæ sulphuris ita dicti, (instillato solutioni spiritu vitrioli, ut albentis,) habeantur, dum cum ipsius calcis libra ferè duodecim, minimumque decem proveniant: similiterque se habet cum comm. sulphure, ni lixivium saponario tartareove perquam in proventum quendam fortificetur; dum per calcis libram è fex istius unciis facile quatuor, satisque si prunis injiciantur deflagrantes exeant.

De cætero si 8 prior sub ustione unio sibi quadantenus constiterit, quod tamen nostrum nunc non faciemus; haud parum hinc dubia fieret exæstuatio soli dissolutorum per affusam aquam (aut æquivalens,) & invicem congredientium salium luctæ assignata: ut (quo V. C. D. *Kergerum* etiam inclinare videmus) ipse quoque solutionis actus quasi menstrualis hîc associandus foret: ceu sane residua massa ampliata, instar magisterii cujusdam corrosi & simul præcipitati restat: Interea uti disparata sunt fermentare, incalescere, exæstuare penitusque incendi: ita diversa quoque sunt talium exempla singula suis classibus accensenda; nota passim, ut referre supervacuum esset, præcipue cum phænomeni per caussas explicatio nonnullibi existat adhucdum difficilior.

Incalescit citra probabilioris contrarietatis notam (quæ alibi forte ex acidi cum alcalibus diversorumve inter se spirituum concursu,

cursu,

cursu, aut sulphureorum oleosorum aut urinosorum associatione, vel metallicarum particularum combinatione, lucta, aut solutione vehementiore evidentius deduci in cap. mortuis vitriolicis vel ammoniacalibus, oleo vitrioli, solutionibus ac præcipitationibus nitrosis aut mercurialibus &c. poterit,) simplex tartari extreme destillati cap. mortuum, salis oleum nitrosius concentratiores spiritus, etiam aqua tantum infusa: sique huc (præ C. C. philosophicè calcinato spiritu vitrioli insuccato convenientius) adduci queat ipsa (quod curiosissimus *F. J. Burrhi* superioribus annis annotavit) Martis limatura, sub quadrupla etiam ad assignatum pondus; sive si libræ duæ cum dimidia ℥iv. aquæ f. probè confrictæ in conservali vitro angustiori reponantur. Calor mediocris ab infernis evidenter sursum, cum odore ferrugineo quasi vergens, per octo fere horas durat, friabiliori hinc successu temporis & quasi exeso, nil tamen vitriolici sapiente Marte.

Sed enim calx fere quidpiam his amplius pati videtur; quod tamen ad fermentationem hoc in genere referre forte durius; an verò ignearum particularum hic alibique in liquidis quoque sine notabiliori perceptione conclusarum fuga, (ceu à superiori seculo hucusque permultis Viris eruditissimis placuit,) simpliciorive lucta, aut modificata quadam nutritione, quò Excellentiss. *Conringius* olim *in notis ad D. Billichii*, Chimiatri suo tempore clarissimi, *fermentationis anatomen* inclinavit, aliave elementi primi congregatione, huic aliisque contingat, determinatu profectò æque adhuc dum deprehenditur difficile: nec restitantes hinc inde obscuritates satis determinari posse videntur, donec etiam de penitiori ignis natura plenius atque planius constiterit aut convenerit.

De cætero si tentaminibus vel experimentis hisce caussæ suæ minus appositè applicatæ fuerint, aut lixivum calcis ac salis tartari negligentius in comparatione habitum inveniatur, conjecturaliter saltem & dum *Helmontiana* hic aliquousque persequimur, ceu aliud agendo posita sunto.

OBSERVATIO CCXLV.

D. DANIELIS LUDOVICI, DE *SALE CULINARIO ANOMALUM QUASI AMMONIACALE.*

Ne

NE olea vegetabilium, præsertim è resinosioribus tanquam magis eo propendentibus destillata tractu temporis nimis incrassentur aut resinescant, notum est affundi aquæ f. quidpiam; & quo in gravioribus (cinamoni, caryophyll. rhodino &c.) subsideat, solvi inibi salis comm. particulam.

Reposuimus ita per annos aliquot cinamoni oleum, per vices innovatum, restitutaque interdum, cum nimium consumpta fuisset aqua. Postquam verò id aliquando neglexissemus, lente concrevit sal inter spissiorem muriam, inferius quidem cubica sua, desuper autem striolarum nitrosi quid, sed irregularius præ se ferentium formâ; longitudine transversum digitum alicubi facile æquantes, & ipsæ transversim sitæ.

Exemimus eas & emporetica charta gossypioque sollicite deterso oleo siccavimus, non sine saporis atque deflagrationis nitriformis expectatione. Sed enim sub exploratione coagulum illud dentibus præ sale comm. ac nitro quasi compactius, (fere ut ammoniacum;) sapore tamen minus salsum ac sui generis, (ac si quis magisterium quoddam plumosum penitus non edulcatum gustasset,) offendebatur. Prunis autem ingestum non incendebatur seu nitri more deflagrabat; sed quod nihilominus æque singulare videbatur albo, densoq; fumo, (non tam cinamonum simpliciter, quam bezoini quasi quidpiam simul præ se ferente,) totaliter, at citra omnem strepitum levabatur, maculam saltem nigram in Pruna (subter ibi extincta) relinquens.

Determinatu hic forsan adeo haut planum est, num maturatione quasi quadam aut attenuatione certarum particularum id contigerit; an potius associatione aliqua volatilitatis inter olei dulcorem dispersæ ac pungentissimæ; ut ammoniacale quid ita fere prodierit; præsertim cum sub rhodino sal antiquum obtinere, sub caryophylli autem æque urentissimo ratione saporis, perstante tamen figura cubicâ, eò aliquantum inclinare videatur.



INDEX
MISCELLANEORUM CURIOSORUM MEDICO-PHYSICORUM
ANNI SEXTI ET SEPTIMI.

A

sub

EGEL.

 in

è NA-

Ejus

T.

è Tar-

FINIS.

AP-

APPENDIX
AD
ANNUM SEXTUM ET SEPTIMUM
EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM NATURÆ-CURIOSORUM IN GERMANIA.



SERIES IN APPENDICE CONTENTORUM.

1. D. Martini Bernhardi de Bernitz Faſciculus II. Medicamentorum ſecretiorum Cnœffelianorum.

2. M. S. Catoptricum in Bibliothecâ Dn. D. Jacobi Jani inventum.

D. MARTINI BERNHARDI DE BERNITZ, S. R. M. POLON. PERSONÆ MEDICI ET SECRETARII,

FASCICULUS ALTER

MEDICAMENTORUM SINGULARIUM

IN

VLADISLAO IV.

ET

JOHANNE CASIMIRO POLON. ET SVEC. REGIBUS &c.

olim adhibitorum:

h. e.

Clariss. & Excellentiss. Dn. Doct.

ANDREÆ CNOEFFELII,


laudatissimarum Majestatum Archiatri celeberrimi

ut &

aliorum quorundam clarissimorum Medicorum

ARCANA ET EXPERIMENTA SPECIFICA.

INDEX CONTENTORUM.



Ad Benevolum Lectorem.

POst nuper, in Anno videlicet Quarto & Quinto Ephemeridum Germanicarum ACADEMIÆ NATURÆ-CURIOSORUM emissum vulgatumque FASCICULUM PRIMUM, modò hìc ex promisso exhibetur Fasciculus alter Medicamentorum singularium, quem *multorum Cornu Copiæ* non immeritò dixeris *Arcanorum*, quæ tam communi quam specificæ, si non omnium certè potissimorum morborum medelæ dicata sunt. Horum pleraque ut Magnum illum in Medica republica Virum Clarissimum & Excellentissimum Dn. D. ANDREAM CNOEFFELIUM, p. m. Serenissimorum VLADISLAI IV. & JOHANNIS CASIMIRI Poloniæ & Sueciæ Regg. Archiatrum bene meritissimum pro *Authore* agnoscunt, sic *Eundem* usu & successu felicissimo per universam Europam summopere commendatum fecerunt.

Iisdem medicamentis non paucis ipsemet etiam in praxi meâ utens, plurimis ægrotantibus ex voto, ferè dixerim, semper profui, ideoque

ipsa

ipsa huc usque mihi soli servavi, & servarem in posterum, nisi declinante jam ætate, proximum tam pretioso, quia ad sanitatem summè necessario thesauro privare, summum nefas ducerem, & Christianus ego sic in charitatem illi debitam enormiter impingerem.

Huic meo de proximi mei salute bene merendi studio multorum stimulum addiderunt preces amicorum continuò me admonentium, ut tam hæcce aliundè collecta, quam propria mea arcana communi bono in lucem prodire permitterem.

Itaque more Sacerdotum vel Ægyptiorum, qui (teste *Herodoto*) sua Observata & Experimenta Medica Memphis in Vulcani & Isidis sacrario, aut etiam in viis publicis; vel Græcorum, qui sua Pergami in Templorum Apollinis & Æsculapii adytis affigebant, & ego Collectaneorum meorum partem iterum S. R. Imp. Naturæ-Curiosorum Ephemeridum Anno VIto appendere volui, exhibentem præter laudatissimi illius Dn. D. CNOEFFELII, Amici & Collegæ mei, dum viveret, sincerissimi ac fidelissimi medicamenta hactenus nemini cognita, nonnulla alia aliorum quorundam Medicorum Aulicorum in Poloniâ, candidè mihi communicata & demonstrata, omnia prout ab Authore quæque suo vel in schedulis consignata accepi, vel ex libris ipsorum manuscriptis excerpsi, quicquam enim in iis demendo addendove corrigere, certis de causis me abstinui.

Hunc itaque meum REMEDIORUM FASCICULUM TIBI, B. L. eo minus ingratum fore confido, quanto magis amicè lubenter & fideliter eum in Tuum & reliqui proximi commodum offero, sic tamen, ut integrum Tibi sit eligere, quod placuerit; prætermittere, quod non adeò è re Tua visum fuerit: dummodo plurima Tibi accepta esse videro, TERTIUM adhuc FASCICULUM, & in eo *alia Curiosa*, TE sperare jubeo, VALE!

D. AN-

D. ANDREÆ CNOEFFELII,

Sereniss. Reg. Polon. Archiatri,

CONSILIUM

Sive

PROGNOSIS ET CURATIO

Affectionum Suæ Mai.^ti Vladislao IVto Familiarum,

Pro declinando cum Dominis Collegis novarum subinde disceptationum fastidio.

Semel pro semper sub ingressum sui Servitii scripto exhibita

ANNO MDC XLIX.

C. B. D.

AD consilium de syndrome morbosa S. R. *Maj.* à 15. annis jam quasi habituali factâ & à *Serenissimo* propter continuas peregrinationes neglectâ, & sic derelictâ, deque curâ in præsenti periclitandâ, postliminiò ego, cum Domino Collega, accedens, quasi post vulneratam caussam remedium facturus, ad paucas septimanas, pro fide mea in S. *Maj.* nihil supra naturæ vires spondeo; sed ne propendentia hæc mala, in illa fistularum, spongiosarumque exulcerationum utplurimum incurabilium pericula cum tempore eant, vel matrimonii ratione, robur partium relaxatarum & exsolutarum reparandum intendo, munitus Dictaturâ Hippocratis: *Quæ longô tempore afflicta sunt corpora, sensim & longô tempore reficere oportet;* protestando, ne plus, quàm suffecerint vires, quæ solæ sunt medica-

 trices

trices, à nobis earum ministris medentibus exigatur. Præsens enim virium inventarium & parcum curationis nostræ beneficium exhibet, quos effectus post se reliquerit effusissima & inordinata ani hæmorrhagia, anno 35. ad 36. finem impetuosè ruens, quæ nectaris vivifici syrrhoen (quæ est spiritus, sanguinis & caloris naturalis communio) solutis repagulis, solvendo omnium actionum vitalium & naturalium promptuarium & liberalem arcam, cor, hepar, & compaginem venosam & arteriosam exhausit immodicè. Cum natura certè omnem hujus sui thesauri profusionem, tanto magis, tam impetuosam & deleteriā, horreat, eiq; nihil esse possit δι' ὃ πρὸς σύμφυσιν præter copulam sanguinis & spiritus, quem ducendo vivimus.

Caussam hujus profusionis cruentæ προηγουμένην, nescio, quo Dei vel amanuensis naturæ supplicio, è labe hæreditaria & quasi congeniali acerrimi & terebrantis fermenti, sive salis anastomotici universo sanguini, & officinis sanguificantibus ita congenitam, ut non tamen fixa & in mortem durabilis sit, esse puto, eâ de caussa, quod tres *ad unum omnes Regiæ Familiæ Serenissimos Fratres, quos ego novi, hâc cruentatione laborasse, & tamen tandem cum tempore suæ maturitatis, etiamsi non penitus liberatos, tamen maximè alleviatos fideli observatione cognoverim.* Quam caussam insimul esse puto, cur sanguis per se & quatenus sanguis, nondum sit factus corrosivus; aliàs immutabilis in vitam sic permaneret; sed quod cognata & prona in talis acrimoniæ genituram, viscerum confermentatione, nutricationi destinati, & sanguificandi liquores dulces, & non paucæ illarum partes immutentur in hostilia & exosa delicatissimo sanguini fermenta, & quasi novæ quædam superfætaturæ superaddantur; sanguinem suâ paroxysmi periodô, nempe novâ subinde ebullientis hujus & confusi fermenti occasione, in spumas dilatando, prout in omni fermentatione fieri solet; & suâ sic ebullitione in corpore & venis aliàs exhaustis plethoram mentiente, unà cum suo vehiculo acri ad infima hæc & ignobilia per naturæ impatientis organon deturbato, longâ annorum familiaritate hospitando in his partibus, & furente impetu venarum januas perrumpendo.

Huic virulentiæ suas vires addunt ingesta; siquidem hæ coctionum officinæ, hæreditariâ, annis tamen mitescente labe, pronæ in talem acetosam acrimoniam, more antiquæ illæ acetosæ, cui quicquid infundis, acescit, quæcunque è dulcium vel meracioris vini potu; vel cupediarum, vel aromatum (quæ omnia malè fermentata & digesta in spiri-

spiritus & salia acerrima resolvuntur) voluptuario, aut reliquorum calidiorum & acriorum proportionem caloris nativi excessivè superantium frequentiori usu excipiunt, quia congenialia, degenerare ea magis faciunt in hanc acrimoniam, nutrimenti zizaniam, sanguinis incendium, venarum terebram. Unde tandem secundæ nostræ positionis, & illorum symptomatum ibi recensitorum, effectus; nempe tumoris, doloris, incalescentiæ, pruritus, tenesmi, & ex illo insolentiori, relaxatio & elongatio per continuos hos stimulos protrusi intestini, apertiones venarum hæmorrhoidalium enascuntur, quibus facilè succedit, pro sanguinis, per fermenti insolentioris vel remissioris occasionem, majori vel minori tumultu, insolentior vel benignior hæmorrhagia. Ea verò, quod jam ab aliquot annis, maxima ex parte evanida, parca & ferè nulla sit hucusque, nec per vitam perennet, id caussæ esse puto; quod potestates seminales morbosæ per traducem in liberos translatæ, in parentibus aliquando illum gradum suæ exaltationis & nequitiæ morbosæ non sint assecutæ, ut fixum suæ pertinaciæ & in vitam durabilem characterismum signare queant, potius veluti horarii fructus, maturitatis tempora non expectantes in successoribus filiis per optimum ætatis & naturæ vigorem, quasi excusso jugo devictæ & interemptæ mitescant, & Medico spem curationis haud pœnitendæ faciant: vel sanguinis profusione usque in virium & vasorum deliquium depauperati, quod non defuerit quidem hactenus causa ad hunc tumultum arma & ignem conferens, sed vim natura priscam negaverit hactenus. Absq; hoc si esset, utique sanguine sic & sedato, & composito non perseverarent tertiæ & quartæ positionis nostræ; nempe in hunc usque diem recidivantia levi occasione symptomata: *Aurium pruritus, stillicidium* ex earum & intestini recti venulis; acrimoniæ erodentis & prurientis hucusque sanguini cohabitantis satis fido argumento. Quæ acrimoniæ in aures, & maximè in anum proscriptæ, ejusdem semper importuni incolæ vellicando pruriunt membranas & vicinas musculosas intestini partes, ad frequentem, & vehementiorem, sed frustratum semper dejiciendi conatum, & hâc stimuli frequentiâ, affluentis simul seri actu humectantis, ut & balneorum actu humidorum irrigatione motuque insolenti & indecenti ab Anno 43. non tantum laxatum & sequax intestinum rectum elongari cœpit, sed violentiâ illâ excesivâ, à membrana mesenterii, à qua intestina suspensa tenentur, nonnihil avulsum & extrorsum delatum hucusque propendet, nec suâ sponte amplius facilè

in locum naturalem remeat. Nam etsi musculi, partibus genitalib' communes, intestino appositi sint, anum leniter retrahentes paulatim, tamen soli non sufficiunt, eoque minus, quando per prædictas insolentias jam relaxati procidunt quasi resoluti. Cujus relaxationis & resolutionis commune malum (siquidem communes sibi & subsidiariæ sunt musculosæ genitalium & intestini recti partes ut & sphincteris) compatiuntur genitalia, & unà cum aliis occasionibus ideò quasi resoluta & imbelia, & alia sunt positionis nostræ sextæ indigitata symptomata.

Inter quæ & reliqua omnia, equidem suspicor caussam quandam corrosivam ad intimiora sanguinis penetralia habitualem ferè, uno eodemque sero, sive lixivio acri, similiter graveolente tam per venas hæmorrhoidales, quam aurium terebrante, eoque confidentius, quò minus per tot medentum tentatas curas, ne recrudesceret hoc malum per annos, in hunc usque diem quicquam fuit expeditum. Nam etsi non nesciam aurium illas fœtentes & prurientes stillas sæpenumerò degenerante aurium stercore (habent enim illæ & quælibet partes sua privata & peculiaria stercora è domestica sua digestione) in fœtidum liquamen, digestiva facultate auris errante, excerni; attamen digestione auris stercoraria per conveuientia medicamenta semel & solidè rectificata, postmodum rarò aut nunquam recruduisse in tam fœtidas & acres sordes, observatione certà constat; quæ ideò in contrarium suspicionem bene fundatam facit illius pertinacioris miasmatis è sanguine, quod famosis decoctis & aliis generosioribus medicamentis (sanguine in hunc diem impuro, ut ex fructibus apparet, subsistente) malum hoc per annos alleviatum quidem, sed in hunc diem nunquam totaliter sublatum fuerit; quæ omnia simul & semel hæmorrhoidalis stillicidii unà cum aliis occasionibus caussæ sufficientissimæ, eæque constantes in mortem esse possunt, præsertim sibi invicem indissolubili tot annorum connubio sic nuptæ firmiter.

Unde prognosis mea (faxit Deus sit falsa) enascitur sub fronte consilii mei prolata. Nempe corpus & robur hujus sanitatis esse neutrum, cachecticum, exsolutum, ut meritò huic valetudini à divina misericordia apprecari debeamus, ut hæ, incremento ætatis, decremento virium, partes relaxatæ (quibus sinum aliquem fistulosum etiamsi non amplum, ob stillicidium illud constans, in cannis exilium venarum subesse metuo) in illam soliditatem cogi & muniri possint; ne, quod in

his

his partibus tali occasione fieri non insolens est, majores, latiores, erosiones & cavernæ fistulosæ, unà cum spongiis ex impuro semine & sanguine hæmorrhoidali adnascentibus, in loca hæc impervia, & ideò malè medicabilia, annorum decursu, tandem putrilaginem gangrænosam & lethalia pericula inducant.

Prognosin hanc meam excipit curatio, quæ cum malo ultra 15. annos inveterato debeatur, chronica etiam, & per tempora repetenda & continuanda necessariò erit, nos præservativam pauco harum septimanarum spacio intendimus, eamque ob inveterati mali pertinaciam omnes medicinas deludentem, annuatim bis vel ter, si possibile erit, repetendam.

Et siquidem negari non potest universum horum affectum effluvium è sanguinis vehiculo sive latice (σχήματι τῆς τροφῆς) in salinum lixivium caussis supra dictis confermentato, & quasi habituato, promanare, naturæque metastasi, hujus lixivii partes acriores sequestratas & proscriptas bina hæc & auris & hæmorrhoidalium venarum emunctoria elegisse, & ex antiquo familiaria & ferè quotidiana sibi fecisse, malâ eaque cum δυσφορία potiùs, & periculo ægri conjunctâ crisi, ideoque sui vel minorationem vel omnimodam ablationem significare & indicare. Quapropter quibus modis & mediis harum indicationum cura expedienda sit tuto & jucundè (siquidem in affectu hoc inveterato cito id præstare impossibile est) sincere inquirendum & decernendum est.

Meam mentem salvo cujuscunque judicio, pro conscientia sine affectu hîc explicare debeo scriptotenus. Urget enim *Serenissimi, Regis, Dni nostri Clementissimi* obsequium & necessitas, tot medicinis apud exteros exercitati, antiquum nihilominus obtinente morbo, circa quem nostræ curationis solo hoc fine fit Consultatio.

Indolui certè sæpè mecum, quoties infausta molimina & medicationes factas vidi morbis & caussis morbificis intimius in ipso sanguinis thoro hospitantibus, per illa δραστικὰ præsertim pharmaca, quæ alvum & intestina turbando, naturæ constitutivos & bonos liquores, vitæ furto in fœtidum, variegatum & cadaverosum liquamen æquè in sanis ac ægris indifferenter solvunt, & tale quid in corpore non inveniunt, sed faciunt & abradunt, nullâ ægri, vel saltem perfidâ & momentaneâ alleviatione, quamvis lenitiva illa ἐκκοπρωτικὰ præsertim balsamica, eaque specifica, quibus ipse utor, quotiescunque ignava

est alvus, & specificè purgandum est, è civitate & administratione medicâ, hac meâ cautelâ minimè proscripta esse velim: cum tamen altiores medicaminum potestates, non purgantes, sed mundantes sanguinem desiderent hi penitiores in universo corporis & sanguinis habitu affectus, eô modô, quô maculæ linteo nec lacerato nec destructo, sed mundato & integro illo per saponem eluuntur; vel illo modo, quô lues venerea, mundantibus sanguinem per sua cohobia repetitis, tandem sanguinis suoque vehiculo eluitur, quo nomine cæteris nihil proficientibus, nec attentis, generoso suo specifico mundativo *Dominum Berigardum* plus profecisse constat, quam cæteros omnes cauterisantes, phlebotomantes, purgantes, urentes, secantes, curando eò minori ægri damno & periculo, quo majori, non tantùm generosa acria, stimulantia, aperientia cathartica irritando intestina, venas hæmorrhoidales aperiendo, earum fluxum promovendo, *sed & leviora, laxativa (monente Platero p. 717.) nonnunquam intempestivè adhibita, subdolè talia damna augent, ideò, quod cum saltem alvum laxando movere credantur, cum etiam abstergente vi aliqua & adversa naturam ad excretionem sollicitent, nec tanta in illis sit humiditas, vel aliqua unctuositas, ut sic alvum vehementiùs laxando, solvere possint, superpurgationes, ut in cassiæ & mannæ exhibitione sæpè fieri solet, nonnunquam pariunt.*

Dubium hic mihi moveri video. Ergò, siquidem penitius illa integris viribus non pertingunt brevi quatuor horarum spacio, quibus alvum laxant, & sic se penitus expediunt PURGANTIA, TURBANTIA; Itaque sanguinis vitium & crimen, sanguine piandum est.

Homicidis hæc lex, etiam ante legem Decalogi, statim post diluvium, ob summam sanguinis & vitæ reverentiam scripta est, non Medicis. Dominus DEUS enim creavit non phlebotomiam, sed medicinam; & sapiens non abhorrebit ab eâ; ab illâ verò natura ipsa, ut supra scriptum, horret, in corpore inprimis & aliàs exhausto, exsangui & exsucco.

Innocens quippe semper sanguis (nisi in gangræna & lepra morbis incurabilibus) est, & quatenus sanguis per se nunquam peccat, ideoque sui ablationem non indicat; quin potius necessarius æquè ac humor in oculo crystallinus, constitutivus & primarius integritatis vitalis liquor & vitæ sedes est; sed aliena & peregrina fermenta ipsius vehiculum vivum seu partem coëssentialem, individuam ab ipso,

nisi

nisi per morbum & mortem; laticem nempè sanguinis contaminantia parva quantitate, tales acores & acrimonias de sua indole, & earum postea effectus fabricant, cùm teste scripturâ & experientiâ quotidianâ parum fermenti totam massam fermentare possit, quorum fermentorum vis & potestas in natura & tam generandis, quàm curandis morbis fundata, ad seculum usque fratris Basilii Valentini & Paracelsi stetit neglecta: Olfecisse illam videtur *Hippocrates* suô tempore; qui non calidum, neque frigidum (quæ qotius effectus & producta symptomata non caussæ sunt) sed ACRE, AMARUM, & SALSUM *& alia* INMUMERA (videlicet fermenta incognita) morborum caussas, easque non phlebotomandas aut purgandas, sed COMMODERANDAS & CONCOQUENDAS dicit *sect. 1. de prisca medicina pag. mihi 22.* & *Claudius Theodatus*, insignis Helvetiæ Medicus, *lib. 3. Panthei sui hygiastici cap. 2. pag. 11. Neque demum sanguinis vitium, venæ sectionem indicat. Si enim intemperies sit facta, alteratione in contrarium curabitur*, si putredo, quatenus talis, non curatur venæ sectione, sed suis idoneis remediis, putredinis caussam & generationem tollentibus.

Speciofo, ideoque Græco, verbo plethoras, quod nimietatem sanguinis denotat, prætexunt phlebotomi, sanguinem nimium esse profundendum, ne ipsius moles retenta, spiritum vitalem opprimens, apoplexiam, vel subitaneam vitæ præfocationem, vel alia similia, non sine metu periculi inducat, maximè cùm *Sua Majestas* habeat hepar justo majus, & ideò copiosiorem justo sanguinem generans. Insuper siquidem hæreditariâ familiaritate natura erraret nimis, & sanguinem hospitio suo per incompetentes scalas nempe ignobilia hæmorrhoidum loca præcipitaret, per phlebotomiam revulsoriam eundem amicè revocandum & postliminiò invitandum esse in pristinum hospitium.

Bona hæc essent, si, prout satis speciosa sunt, æque satis fida essent. Quam speciosè mentiatur nimietatem sangvinis sive plethoram dictam & medicis sic imponat illius ebullitio, è diversis fermentis exterius sanguini advenientibus, pluribus caussis occasionalibus externis (etiamsi per aliquot interstitium sedata quiescat) denuò in spumam & rarefactionem majus quærentem spatium irritata, non tantùm ex supra dictis patebit, sed & è scripto meo nuper publicæ censuræ, & securitati valetudinis Regiæ dato, à nemine quidem refutato, sed oppresso. Ne longus sim, consultationem hanc non commentarium scribens, peto me dextrè

intel-

intelligi exemplo ollæ non plethoricæ, sed ad dimidium cum cerevisia nondum fermentata repletæ. Injice particulam fermenti, quæ antea semivacua erat, plethorica jam facta supereminet; Venam ipsi seca, laterem lavabis; aufer vel non da fermentum, non erit plethorica amplius, & parum illud, quod habet cerevisiæ nondum fermentatæ suis terminis facile detinebit.

Et quomodo *Sua Maj.* potest esse plethorica, quæ à juvene ferè continuo stillicidio hæmorrhoidali in tantum laboravit, ut tot annis inopiam illius sanguinis tandem etiam uxoratæ Suæ Majestati, per sedulam prophylaxin, DEI extraordinariâ benedictione, intra servitiorum nostrorum sexennium, cohibendo illius diluvium, hucusque vix reparare potuerimus? Cui accedit fluxus denuo modernus excessivus ab octo his mensibus præteritis, ferè 16. septimanis indies continuans, non sine notabili & præsentissima virum vitæque depauperatione. Certius itaque est, hanc depauperationem realem magis esse cum vitæ furto conjunctam, quàm illam imaginariam plenitudinem oppressuram tandem spiritum vitalem superius prætextam.

Venæ sectionibus itaque semper prætexta illa plethora sive nimietas sanguinis cum nimis magno *Suæ Maj.* hepate petit principium, id est, in quæstione adhuc est, *An sit?* Ridiculus forem, qui retinendi illius nectaris vivifici SANGUINIS ergò, & in favorem meum, qui ab ejus perditione semper sum alienissimus, mihi prætexerem Serenissimum habere è contrario hepar nimis parvum. Pari enim fiduciâ id asserere possem hoc argumento: Quis nostrum hepar *Suæ Maj.* vidit, an nimis magnum pro phlebotomis, an verò nimis parvum pro me, sanguinis abstemio, sit. Blasphemus forem in DEUM æquissimum conditorem, & ejus amanuensem naturam, quæ, nisi ideis erroneis, sub plasmate deviaverit in monstrum, nihil facit nimis, nihil minus, nec in quanto aut quali abundat, nec deficit, nisi, ut dictum, errans in monstrosis.

Revulsionem speciosè prætensam quidem, sed è nugis Galeni loquaciter delirantis natam, non tantum irritam, sed & damnosam, & frequentius repetitam periculosam, æstimo. Certè curiosè & officiosissimè prætexta cautela venesectionis revulsoriæ his annis non neglecta; sed ad minimum annuatim quater celebrata, & à Sua Majestate, me toties contradicente, fideliter fuit admissa. At certè non satis bene in hunc diem liberat suam fidem, quam de commoderando tandem &

con-

continendo sanguine luxuriante & exorbitante toties magnis promissis fecit. Ex postfacto irritam se esse, satis in contrarium docet.

Et quomodo sanguini ad peremptoriam medicæ revulsionis citationem, dicam & locum scribere possumus, qui privilegio speciali vitalitatis in circulum & seipsum rediens, cum spiritu suo hospite nullius loci temporis leges respicit, neque locum standi ullum in universo corporis foro agnoscit?

Revulsio insuper quam damnosa sit in viris æquè ac mulieribus, gravidis præsertim, unâ eademque ratione constabit sequenti: Non est negandum ex hac aliquando momentaneam fieri allevationem symptomaticam, dum scilicet natura studiosa sui thesauri conservatrix, hanc meram sanguinis & virium extractionem exhorrescens, & hanc ruinam sibi procuratam præsentiens atque formidans, non rarò præfatorum symptomatum mitigationem tremula molitur; sed pacatio ista momentanea vires è causa radicali permanente resumens, persolvenda est crudelioribus subsequentibus symptomatibus. Nam etsi vena cubiti tota posset evacuari (quod impossibile) tamen mox iterum totus cruor, in se & circulum rediens, æquaretur per totum venarum contextum. Unde vanitas revulsionis & derivationis famosæ cuivis liquido apparebit.

Quam damnosa sit in fluxu verè hæmorrhoidali excrementitio, citra necessitatem facta, inde liquet Quò natura vergit, eò ducere convenit sequacem medicum. At natura sub fluxu solito hæmorrhoidali excrementitio, studio sanguinem hæmorrhoidalem excrementi loco, è consortio venarum vitali proscripsit & damnavit, rectè agens, & cum tolerantia ægri. Depletæ ergò per phlebotomum superiores venæ, vacui impatientes; in momento, undecunque, qualemcunque etiam excrementitium jam, & mortuum cruorem ad se revocant, & proscriptum semel cadaver in totum retrahunt, bonoque & vitali denuò confundunt. Prout & menstruum suo tempore & ordine digesto in exitum dicatum, & sic cadaveratum eodem modo in venas inanitas, fugâ vacui allicitur. Quæ communio sit vivis cum mortuis, vel in rejectamentum semel & plenè à natura provida destinatis, ille referet, qui excrementa denuò delibando, ventriculo refectionem & gratiam se facturum ineptè sibi pollicebitur. E tam frequenti ergò confusione heterogeneorum cum homogeneis, excrementorum cum vitalibus suis, quid boni sperandum tandem, illi norunt, qui tales sordes purum putum sanguinem inquinare, eundem turbatum & conta-

minatum, in viris pro indole deturpati nutrimenti nil nisi malum corporis habitum; in mulieribus præsertim gravidis & lactantibus, nutriendæ soboli infectum & deleterium nutrimentum ministrari, & sic vivacitati præjudicare sat fido ratiocinantur argumento.

Quæ omnia æquis rationibus deducta, cum futilitatem, damna & pericula futura ex insolentiori abusu talium magnorum & generosorum subsidiorum nobis non tantum minitentur in futurum; sed & imprælentiarum, pro sperata melioratione deteriorationem, nec minimæ reparationis incommoda & remoras faciant; talium usus liberalior, extra urgentem necessitatem, restringendus esse videtur ad mitiora; & sanguini mundando, non simul & semel cum fermento morbifico ejiciendo, specificaque dote per naturam destinata; nec ideò ad quasvis animo obrepentes indicationes virium vitæque exsolutiones, per electiva illa purgantia & phlebotomias, sæpius ac par est repetitas, sensim sensimque cum tempore cumulentur; suspecto & inviso epilogismo Hippocratis ad Democritum: *Omne solutivum deprædari de viribus & substantia corporis nostri.* *Sitque* eodem Hippocrate Dictatore, (*in fragm. d. purgat. remed.*) *fœda calamitas à pharmaco purgatorio hominem interiisse.* Ne, quod Deus avertat, in eosdem nostros errores, eadem tandem, sed infelix plangat nænia, quam in memoriam facti, & prærnaturum obitum SERENISSIMI PRINCIPIS FERDINANDI, HISPANIARUM REGIS FRATRIS in Belgio versu sacravit Janus Walhornius D. Regis Hispaniarum Consiliarius:

Quid multis fidis Medicis, Dux optime? multum est,
Si fidas uni: cætera turba nocet.
Nonne vides toto vacuari corpore venas,
Hic secat, hic urit; crescit ab arte malum:
Induperatorem medicorum turba peremit;
An medicos medicam credis habere manum?
Pauca dabo tumulo: Jacet hîc, Dux optimus; in quem
Nil potuit Mars, dum corpore sanguis erat.
Quod Mars non potuit, Medici potuere secando:
Sic Mavors ipso fit minor Hippocrate.

Spero nemo bonus pio huic zelo indignabitur, si, (quod solemniter protestor me dicere de vitiis, parcere personis.) pro scientia & conscientia mea, de sanguine & inquilina huic vita Suæ Maj. liberius & fidelius dixerim, scripserim.

APPEN-

APPENDIX
CONSULTATIONIS GENERALIS
Pro speciali & moderna Affectione MAJESTATIS REGIÆ.

EXplicatis sic affectionibus Suæ Majestati familiaribus, nempe solito hæmorrhoidali eoque sæpe excessivo fluxu, pruritu & stimulo intestini recti, cutis universæ, aurium; siquidem uno ore Dominorum collegarum in confesso est, propter hæreditariam hanc affectionem hæmorrhoidalem totum quasi hominem esse morbosum. Necessarium itaque videtur, totum hominem immutandum & quasi renovandum à spurcitie illa salsa, sanguinem in tales tantasque ebullitiones, & quasi profluvium ruptis venarum aggeribus, in tales pruritus scabiosos universi corporis, aurium, intestini recti, & stimulos ejiciendi & excernendi continuos irritante. Quod per modum insensibilis restaurationis & mundationis per vices pro singula nova ebullitione me clandestinâ & piâ quasi fraude, Serenissimi impatientiam præveniendo, integro quinquennio fecisse nuper in apotheca confessus sum, prout & est res facti. Ita certè ille modus hactenus (DEUS novit cujus impedimento) ab anno cum dimidio posthabitus, morbo & caussæ huic morbificæ licentiam & tandem insolentiam fecit; quam tantopere habituatam, vix eodem temporis spatio in pristinam æqualitatem & continentiam, quàm sic connivendo excessit, lente & cum securitate Suæ Majestatis reducendam, postea verò obtentam DEI gratiâ sanctè in posterum & sic sanitatem custodiendam esse existimo.

Quâ methodô & quibus mediis DEI benedictione inprimis hic finis obtinendus sit, siquidem nostra medicorum consilia (charta ideò consignata, ut certa & immutabilia in uno eodemque hoc casu sint & maneant) singula ab invicem cùm discrepent? Quam sanitatis & valetudinis curandæ securitatem nunc & in posterum è tali tantaque discrepantia Sua Majestas habebit? Dicam pro captu

 meo

meo & fide in Suam Majestatem, salvo meliori cujuscunque judicio, pace & veniâ singulorum.

Cùm, prout in bello, ita in curanda valetudine, verba non spectanda sint (medicina enim est ars, quæ facere, non dicere docet,) necesse est, ut Sua Majestas & omnes benevoli Suæ Majestatis in id summo rigore incumbant, ut ne in posterum sanitas pluribus plurium medicorum, iisque diversis & verbosis consiliis detineatur dubia & anceps negligatur. Sed post consilium cujuscunque singulum, Medico per illud suam promittenti curationem, Sua Majestas seriò demandet, ut viam illam, quam semel elegit in consilio, ambulet. (2) ut tempus, quod sibi medicaturus eliget pro cura, & modum curationis illius interturbari non permittat, ne medicus habeat, quod excuset, sed facienda faciat. Secius si fiet, inter consultationes multas multorum medicorum aliter fieri non potest, quam quod dictum & factum est, multitudo medicorum perdidit Imperatorem. Quo nomine Suæ Majestati fideliter hoc svaderem, ut nec mihi, nec ulli suorum medicorum amplius credat, in quacunque etiam morbi specie peroranti aut discurrenti; sed in posterum medicos suos singulos mutos esse velit, & solùm factores tales, qui, ne verbum mussitantes curatione reali positivâ diversorum morborum reales in aliis prius præstent curationes, de quibus realiter & feliciter præstitis Sua Majestas nunc & in posterum assecurata esse possit (quod tamen DEUS avertat) cui medicorum, & in quibus affectibus tutò & cordatè citra ambitum talium consiliorum & disceptationum vitam & sanitatem concredere possit.

Siquidem autem in hac familiari Suæ Majestatis affectione duabus vicibus fidem meam intra duodecenni decursum, per DEI inprimis singularem benedictionem probasse me eousque, puto, quo, me non audito, illa Suæ Majestati facta est dubia; itaque pro illa reparanda lubens meritoque hanc curationis provinciam ad duos menses, quos suffecturos puto, pro insultu hoc hæmorrhoidali Clarissimo Domino Doctori *Davissonio* trado, & illam, quam communibus votis apprecamur Suæ Majestati felicitatem curationis, fundatam in reali & prædicta demonstratione pro securitate Suæ Majestatis futura, nec modò, nec in posterum invideo, reputando pro honore & felicitate mea; meum Evergeten (per quemcunque etiam fiat) constanter bene

valere

valere & feliciter agere. Qua libertate concessa, siquidem ea, nil nisi sanitatem & securitatem Suæ Majestatis intendit, peto, ut, si res aliter, ac in votis esset, cederet, eandem & ego, & reliqui *Domini Collegæ, quibus injuncta esset curatio, secundum tempus, modum, & media curationis habeamus mutuam & communem, ne in proposito bono, quibuscunque etiam artibus, impediamur in posterum, imò hanc libertatem jure merito pro peculiari mea medendi ratione exigo.*

Quibus præsuppositis cum unica & sufficiens caussa sit, sal illud corrosivum, plumosum, pruriens incola universi sanguinis, ex quo generatur postmodum frequens cutis pruritus, scabies vaga, cum pustulis hinc inde emergentibus, pruritus auris & ani, & in illis extremitatibus venarum hæmorrhoidalium; & inde natus perpetuus excernendi, sed sæpè irritus, stimulus. Ego verò sanguinis & virium, vitæque diminutione curare non didicerim, sed medicamentis, quæ Dominus DEUS creavit, & suis morbis destinavit; illum, qui adhuc superest, & quem in thesaurum vitæ reverenter adhuc custodit natura, ejus observantissimus minister, ego medicus studebo integrum conservare, & solummodò liberare ab importuno illo hospite & hoste suo peregrè adveniente fermento falso corrosivo; patrante effectus modò dictos & Suæ Majestati familiares, è quibus ultimò illa apertio venarum hæmorrhoidalium, & excessiva illa sanguinis, virium, vitæque profusio. Consistet itaque mea curatio in totali sanguinis universi immutatione & renovatione, per unicum internum medicamentum eradicans sangvinis illius fermenta falsa, acria, unô verbô, vitæ æruginem & zizania. Quibus liberatus non amplius ita ferociens, sed pacificus suis cancellis & officio debito se continebit. Illâ tamen lege, prædicta sanguinis depuratio instituenda, ut siquidem ferè biennio neglecta fuit, sub singula exaltatione sanguinis in novam ebullitionem paroxysmantis, quocunque tempore ea contingat, ad paucos dies ea repetatur eo usque, donec ea sanguinis & constans contingat continentia, quæ annuatim in posterum vernali & autumnali renovatione ad dies non multos facienda, contenta esse possit.

Hæc methodus medendi mea correctior ad Galenicorum regulas, minimè quadrans (cum illa non currat neque curet; qua gentiliter itum hactenus, sed qua fideliter eundum fuit) illud meum arcanum est, nunquam & nemini, nisi meliora discere recusantibus, per me absconditum; invisum equidem multis; sed orando, laborando, divinâ gra-

tiâ, vigiliis, laboribus, itineribus, molestiis, persecutionibus tandem impetratum; nullius monarchiæ studio, sed solum juvandi proximum ergò quæsitum, de quo dator hujus luminis DEUS in conscientia solus est testis; maximè cum tot annis praxeos meæ medicæ non tantum abominabilis illa paganorum medendi methodus per tot & tanta martyria, à quibus benigna mater natura abhorret, sed & suspecta tandem fieri cœpit, cùm per illam tot miseros ægros derelictos incurabilitatis subterfugio & excusatione frivolâ à medicis vexatos, tandem proscriptos & ablegatos ad balnea sulphurata, fontes acidos, salubres, vel prognosi vel diætæ tandem mancipatos viderim, & sæpè mecum ingemuerim; satius fuisse & non recepisse curandos ægros tali methodô, quæ tantum catalogum incurabilium morborum suæ incertitudini prætexit, quam tandem miseros & deceptos ægros gementes abdicasse ad talia subterfugia Christianâ charitate indignissima.

Qui itaque hoc arcanum vult, orando, laborando, quærat & inveniet; quærens enim inveniet, & pulsanti aperietur, sed fideliter, & non nisi apud DEUM, illô, quem mandavit, modô: per laborem & sudorem.

Cui Datori soli sit Gratia, & Potestas & Gloria ineffabilis!



FASCI.

FASCICULUS ALTER

MEDICAMENTORUM SINGULARIUM.

TITULUS I.

DIGESTIVA.

Pulvis Puniceus simplex.

Rec. *acidi tartari* ℥ij. ℈ij. *tartari vitriolati* ℈j. *sandali rub.* ℈iß.
spir. ⊕*oli, seu ol.* ♀*ris, per camp. fact.* gt. xv.
Pulverisatis vitreoque vasi inditis, paulatim spir. ⊕li, seu ol. ♀ris affunde, & cum penna anserina continuo miscendo, super cineribus calidis exsicca, & in pulverem tenuissimum, punicei coloris, tere, eumque in vitro puro ad usum necessarium reserva.

VIRES & DOSIS. In omni obstructione, scil. hepatis, lienis, mesenterii, renum aliorumque viscerum, maximè in affectu hypochondriaco, medicina est salutaris ac tuta. Est & hic pulvis digestivum quasi universale, quod catharticis præmitti solet, & insuper excitamentum appetitus excellens. Not. Phthisici, hæmoptoici & catarrhosi, salsis & acribus fluxionibus ad pectus delabentibus, abstineant tamen ab ejus usu.

DOSIS ordinaria, à ℈j. ad ij. Exhibetur utplurimum jejuno stomacho in brodio carnis seu brancæ ursinæ vel alio conveniente liquore, sæpius dosin reiterando.

Pulvis Digestivus ordinarius.
S. R. M. Vladisl. IV.
à Dn. D. Cnöffelio præscriptus.

Rec. *acidi tartari albissimi* ℥ß. ♀*ri* ⊕*ti* ʒij. ⊖*is essentialis, (acetosellæ)* ^ ⊕*li coagulati*, a ʒj. *Ræ sandali rub.* q. s.
Misce in mortario vitreo, postea adde
sacch. citrat. ʒij. *essent. citri ex cort. citri rec. extract.* gr. v.
Misce iterum & divide in 10. partes æquales, ad 10. chartas.
Easdem habet hic pulvis virtutes cum superiore Puniceo simplici in morbis nempe chronicis, arthriticis & tartareis contumacibus & digestione egentibus. Usum hujus pulveris S. R. Maj. aliquando ad 14. dies continuavit.

TIT.

TITULUS II.
CATHARTICA.

Pulvis Puniceus compoſitus.

Rec. *acidi ♀ri* ℥ij. *pulv. griſei* ℥ß. ℈ij. gr. viij.
ſandali rubr. pulv. ʒiij. gr. xij. *🜿li. ♀ris* ℈iv.

Miſceantur diligenter in mortario lapideo ſeu vitreo. Pulvis gratiſſimi coloris & ſaporis, ad uſum ſervetur in vaſculo vitreo benè munito. Purgat leniter per inferiora. Uſus ejus eſt poſt adhibitum pulv. Puniceum ſimplicem in febribus intermittentibus & diuturnis, aliisque morbis tartareis & chronicis. DOSIS in junioribus ℈j. mediæ verò ætatis & conſtitutionis ʒß. robuſtioris naturæ à ℈ij. ad ʒj. In brodio carnium, decocto hordei, paſſulato, vel alio (pro cujuscunque beneplacito) liquore, quatuor vel quinque horis ante prandium, & jejuno ſtomacho.

Not. Aliquando admiſcetur una vel altera guttula *balſami Peruviani*, ſeu olei *aniſi* vel *carui*; ſic ſuam absque ullis torminibus tutiſſimè abſolvit operationem.

Pulv. Hellebori Styriaci D. D. Cn.

Rec. *florum hellebori nigri veri & Styr. in felici aſpectu (ſcil. ☽næ cum ♃ exiſtente ac creſcente) ante ortum ☉is collectorum,*
ſacch. albiſſimi pulv. āa. ℥j. *⊖is eſſentialis acetoſellæ* gr. xxiv.
eſſent. citri ex cort. rec. extract. gr. xij.

Miſceantur. Fiat Pulvis ſubtiliſſimus, cujus doſis eſt ℈j. ad ℈ij. Solvit leniter omnes humores melancholicos, ideò in epilepſia, apoplexia, vertigine, aliisque morbis capitis, item in hypochondriacâ & hyſtericâ paſſione, quartanâ, ſcabie &c. medicina eſt gratiſſima.

Pulvis Solutivus de tribus, Officinæ Regiæ.

Rec. *rad. gialap. pulv.* ℥j. *reſinæ ſcammon.* ℈iv. *♀ri 🜿ti* gr. vj.
eſſent. cinanomi ſaccharatæ ℈ij. gr. vj.

Fiat omnium pulvis, cujus ℈iß. mane exhibeatur in juſculo.

Ad omnes ferè humores excrementitios evacuandos, catharticum præſtans, quod recenter paratum, multò efficacius in operatione, quàm ſi diutius aſſervetur. Quod ſi itaque unicam quis tantum deſideraret doſin, ſequens eſſe poſſet:

Rec. *rad.*

℞. *rap. gialap.* ℈j. *resinæ scammon.* g̃. iij.
♀ri ⊕lati g̃. iiij. *essent. cinam. sacch.* g̃. ij.
Cui *D. D. Cnœffelius* aliquando adjiciebat
acidi ♀ri ℈ß. M. F. Pulvis.

Pro potiuncula hanc observabat formulam.

℞. *pulveris præcedent. de tribus* ℈j. *acidi* ♀ri g̃. xv.
sir. violar. seu flor. Persicor. ʒvj.
aq. fumariæ ℥iiß. *cinam. cord.* s. v. ʒj.
Misce, F. Potio pro unâ vice.

Sirupus helleboratus D. D. C.

Rec. *rad. polypodii, cichor.* ã ℥j. ♀ri *albissimi* ℥j.
Coquantur in *aq. fumar.* ℔vj. ad remanentiam ℔iß.
Dum adhuc calet, adde *fol. senæ s. s.* ℥iv.
rad. helleb. nigr. præparat. ℥ij. *Olei* ♀ri *per deliqu.* ʒij.
Stent per 24. horas, postea peractâ unicâ lenissimâ ebullitione, in colatura post expressionem factam, adde
succi liquiritiæ (in aq. fumar. dissol.) ℥j.
sacchari albissimi ℥xxx. M. Fiat sirupus, ut artis est.
In omnibus morbis, maximè capitis, ubi purgatione opus erat, fructuosè à *Dn. Cnoffelio* sirupus hic adhibebatur, familiaris ipsi erat, & in arthritide & affectione hypochondriaca. DOS. ab unciâ unâ ad unicas tres, in aquis vel vehiculis aliis convenientibus, vel per se sumptus.

Passulæ laxativæ
pro S. R. Maj. Vladislao IVto.
à Cl. D. D. Cnöffelio ordinatæ.

℞. *fol. senæ s. s.* ℥ij. *tamarind. conf. fl. Persic. cichor. borrag.* ã ℥j.
sem. carthami, grossè contusi, ran. polypod. querc. ã ʒv.
acidi ♀ri ʒij. infunde per noctem in *aq. fontanæ s.* q. s.
Manè coquantur ad remanentiam ℔iß. Decoctioni, per albumen ovi prius clarificatæ, adjiciantur
sacch. albissimi ℥ij. Misc.
Redigantur coquendo in sirupi consistentiam, cui, dum adhuc fervet, immergantur
passul. minor. opt. prius purgat. ℔ij.

*D (Vel,

(Vel, si placet zibeb. major. exemptis prius acinis, seu prun. Damasc. vel Hungar.) stent per 24. horas, in loco quieto, factâve unâ vel alterâ ebullitione, passulæ denuò, cum infuso sirupo, ad debitam consistentiam decoquantur. In fine addantur

aq. cinamomi, succi citri rec. expressi ã. ℥j.

Fiantque passulæ laxativæ, usui asservandæ pro S. R. Maj. DOSIS à ʒij. ad ℥ß. & j.

Extractum hellebori solutivum
sive
Solutivum helleboratum Cnöffelianum.

℞ *extract. hellebori veri (per* ✡ *fact.)* ℥iß. *conf. alkermes* ʒij.

(Not. Pro fœminis, loco conf. alkerm. adde

extr. macis, & *caryophyl.* ã. q. s. pro aromatisat.)

phlegmatis ⊖*oli volat. nostri* ℥xxiv.

(Et si major & notabilior debet esse operatio, sufficient *phlegmatis* ℥xij.)

Stent in vitro, collo oblongo & hermeticè clauso, per mensem in digestione; postea filtrentur per chartam; Essentia filtrata ad usum servetur.

Est cephalicum insigne, & in curanda epilepsia medicamentum à *Cl. Dn. Cnöffelio* sæpè expertum.

Hîc quoque annectere placet Ejusdem

Elixir proprietatis purgans solidum.

℞. *aloes opt. pulv.* ℥viij. *myrrhæ, croci (opt. pulv.)* ã. ℥iv. *mixturæ confusæ* (ex Spirit. vini & phlegm. ⊖li, ternis cohibiis ex ∴ unitis) ℥LVj. ♃*ris opt. & generosi* ℥ij. Misc.

Macerentur per tres menses in vase vitreo, optimè clauso, in loco calido, sæpius materiam movendo: absolutis hisce mensibus post sufficientem extractionem & circulationem, instituatur colatura per linteum, & quidem fortissimâ expressione, menstruum tandem ad justam extracti solidi consistentiam, in leni calore abstrahatur, & seorsim asservetur. In fine adde

extr. dauræ ʒj. *essent. macis & cinamomi* ã. q. pl.

F. Massa pro pilulis. DOS. à ℈j. ad ij.

Elixir proprietatis purgans liquidum
Cnöffelianum.

℞. *aloes hepat. opt.* ℥iv. *myrrhæ Alexandr. croci Or. vel Ungar.* ã. ℥ij.

extr.

extr. dauræ (id est, veratri nigri) *è foliis parat.* ℥j.
spirit. vini alcoholisati, phlegm. ⊕li, cum suo ^u. volat. impregnat. ā. ℥xiv (vel in duplo scil. ℥xvj.) ^ *♀ris opi. per campan. fact.* ℥iß.
Aloë & myrrha terantur accuratè, crocus scindatur in minutissima frustula, mixta deinde omnia digerantur & circulentur in vitro hermeticè clauso per sex menses, & F. more consueto *elixir proprietatis balsamicum & purgans*: cujus usus est in febribus intermittentibus malignis, morbis contagiosis & ipsa peste: item in affectionibus hypochondriacis, morbis uterinis, colicâ, passione iliaca, cruditate ventriculi, constipatione alvi, aliisque affectibus medicamentum ab authore sæpius probatum. DOS. à gutt. x. ad gutt. xv. & xx. in vino, cerevisia, jusculo carnis vel alio vehiculo conveniente.

Elixir proprietatis purgans aliud Officinæ Regiæ Warssav.

℞. *aloes succotrinæ* ℥iß. *myrrhæ select. rub.* ℥ß. *croci Or.* ʒiij. *rhabarb. el.* ʒxij. *vini Hispan.* ℔iij. *mixturæ simpl. de tribus* ℥ij.
Pulverisatis & incisis mistisque adfundatur vinum Hispanicum & mixtura simplex. Stent in digestione per sex septimanas, posteà colentur per linteum subtile, tinctus & impraegnatus liquor servetur usui.

In febribus malignis & contagiosis atque in ipsâ peste nihil est tutius: hypochondriacis & uterinis valdè convenit, & in morbis chronicis, maximè in icteritiâ flava, medicamentum est magnarum virium, insuper ventriculi affectibus subvenit, à putredine defendit, & leniendi alvum possidet virtutem.

DOSIS ʒß. plus minusve in vino vel aquâ aliâ adpropriata. Datur & in actu curationis, tempore pestis ad ʒj. & ℈iv.

Pilulæ balsamicæ universales.

℞. *extract. rad. helleb. nigr.* (per *Spiritum vini* facta.) *MP. de trib. Ruff* ā. ℥ß. Cogantur cum *essent. nostræ proprietatis* s. q. *in massam mollioris consistentiæ.*
Admirandæ sunt istarum pilularum virtutes & nunquam satis laudari possunt. Omnes enim humores, maximè crassos & tartareos purgant, caput, stomachum & alia viscera roborant, & commodissimè exhibentur in affectione hypochondriacâ, obstructione lienis, mesenterii &c. & maximæ æstimationis erant apud p. m. *Cl. Dn. D. Cnöffelium*,

DOSIS pilularum est à ℈j. ad ʒß. & ℈ij. pro unâ vice. Sumi possunt manè ac vesperi, post cœnam parciorem & ante cœnam. Si quis actionem earum acuare cupit in robustioribus maximè, ubi pilulæ Cnöffelianæ aliquando tardescunt, addantur cuilibet dosi grana aliquot tartari vitriolati, formula potest esse talis:

℞. MP. *balsam.* ℈j. *jalap. subtil. pulverif.*
♀ri ⊕ti ā. g. vj. cum *ol. cort. aurant. s. citri rec.* q. s.
formentur pilulæ minores deaurandæ.

Aliquando placuit & hæc formula:

℞. *extract. hellebori (è foliis ejusdem herbæ in Styria parat.)*
MP. *de tribus* ā. g. xv. *resinæ jalappæ* g. iij. ♀ri ⊕ti g. vij.
M. Formentur pilulæ minores.

Item.

Pro maniacis & epilepticis.

℞. *extr. helleb. ex radicibus parat.* ʒj. ♀ri ⊕ti g. viij.
F. Pilulæ deargentatæ.

Pro quartanariis, arthriticis, scabiosis, & lue venerea infectis.

℞. MP. *balsam. universal.* ℈j. *cœniotomii n. stri,* g. ij (usque ad v.) M. & cum guttâ unâ vel alterâ sirupi nostri helleborati, benè subigendo, fiat massula, ex qua iterum formentur pil. tres vel quatuor majores, argento obductæ.

(*Not.* Ad occultandam Medicinam, à *Clar. Dn. D. Cnœffelio* ex omni genere medicamentorum specificorum (beneficio mellaginis) concinnabantur pilulæ alterantes.)

Emplastrum purgans admirabile.

℞. *semin. cataput. colocynth. ā.* ℥ij. *rad. & fol. helleb. nigr. esulæ, succ. tithymal. cucumer. asin. agrestæ, rad. sambuc. rec. ebuli ā.* ʒvj.
aloës hepatic. scammon. ā. ʒiß. *terebinthin.* ʒiij.
mell. despumat. q. s. M. F. l. a. emplastrum, s. cataplasma.

Emplastrum hoc miræ virtutis quondam *S. Reg. Majestati* Vladislao IV. à Palatino Pomerelliæ *Illustr. Dn. de Dœhnhof* est communicatum, cujus descriptionem annis superioribus à *Dn. Johanne Heckero* pharmacopœo regio tanquam aliquid singulare & ego accepi.

Primo

Primo solvit potenter alvum umbilico impositum; enecat vermes eosque simul cum excrementis expellit; regioni superiori stomachi applicatum vomitum ciet; renibus & lumbis, urinam promovet; mammis mulierum, menstrua sollicitat; & abdomini partum facilitat, expellit & ipsum fœtum mortuum, si diutius geratur.

TITULUS III.

DIURETICA.

Pulvis diureticus ordinarius.

℞. ⊖lis ♀ri *cryſtall. anodyni mineralis* ā. ʒiij. M. F. pulvis.
Dos. à ʒß. ad ℈ij. & ʒj. in *aq petroſelini*, ter in die repetenda.

vel ℞. ♀ri ⦶*trati, ſeu* ⦶ ♀*ſati* ʒvj. *oculorum* ♋ *præparat.* ʒij.
M. F. pulv. Dosis & usus idem qui supra.

Item ℞. ♀ri *albiſſ. pulv.* ʒiij. ♀ri ⊕*lati* ʒij.
ſpir. ⊕*li cum nitro coagul.* g. xxxv. M. F. *Pulvis.*

Exhibeatur eodem modo

Pulvis diureticus pro S. R. Maj. in ardore urinæ.

℞. ⦶ ♁*niati cryſtall.* ℥j.
ſacch. cant.
ſucci glycyrrh. inspissat. & pulv. ā. ℥ß. M. F. Pulvis subtilissimus.

Poſt ℞. *pulv. diuret. jam præſcripti* ℈ij. *extr. granorum quietis* g. j.
M. F. pulvis, bis in die sumendus.

Item ℞. ♁ii *fix. diaph.* (spiritu salis *aliquoties imbuti & iterum exſiccati*,)
oculor. ♋. (cum *olei* ♀*ri per deliqu.* ā. p. æq.
in lapidis duritiem coagul.) ā. ʒiij.
magiſt. petroſelini rec. facti q. s. pro tinctura. M. F. pulvis.
Dos. ℈j. ad ℈ij. in aqua appropriata, bis vel ter in die.

Arcanum Tartari Cl. Dn. D. Cnöffelii & Helmontii.

℞. ⊖lis ♀ri *albiſſimi* ℔ß.
♀ri *bis per cineres rectific. Spiritus vini opt.* ā. q. s. (*pro infuſione* ⊖ ♀ri, *ad eminentiam ſc. iv. digitorum.*)

Digerantur aliquamdiu in loco calido, post abstrahe spirit. ad siccitatem usque: affunde novum spir. tartari & spir. vini, & iterum destilla. Idque toties repetatur, (scil. sexies vel septies) & ultimo quidem per phiolam altam, donec ⊖ ♀ri in lateribus vitri instar crystalli seu camphoræ appareat, quod in vitro puro & cera vel subere benè clauso, ad usum internum reservetur. Si quis hoc arcanum augmentare velit, is adjiciat arcano ♀ri Spirit. vini opt. rectificatum, & alcoolisatum, ad eminentiam duor. vel trium digitorum, & in vase optimè perlutato misceantur & digerantur, tam diu, donec cuncta benè unita sint, & de materia seu arcano ♀ri nihil amplius appareat.

Hac finita dissolutione, vitrum repone in locum frigidum, & rursus crystallisentur; & sic augebitur arcanum ♀ri in infinitum.

In morbis quibuscunque deploratissimis, & ex obstructione ortis, maximè in febribus intermittentibus, est medicamentum non satis laudandum. *Dosis* gr. v. ad ℈ß. & ℈j. in jusculo carnis coctæ, vino, seu alio vehiculo idoneo.

(Sunt & qui beneficio hujus arcani ex auro & reliquis metallis & mineralibus extrahi volunt animam.

Exemplum in Sole.

Fiat *amalgama* ex *auri* parte una & *mercurii purgati* p. vj. Hinc *cum duplo sulphuris opt. pulv.* ad ignem lentum calcinentur tam diu, donec mercurius cum sulphure sine liquefactione exhalarint, & calx auri, coloris calendulæ, spongiosæ quasi substantiæ, sub tegula remanserit. Ex qua tandem mediante hoc sale, intra mensem Ka extrahitur rubicundissima, corpore remanente albo.

Helmontium alias hujus arcani authorem & inventorem esse, multi affirmant.)

(*Diuretica plura videantur infra in medicamentis antinephriticis.*)

TITULUS IV.

DIAPHORETICA.

Antimonium diaphoreticum solare.

℞. 🜄*tis* ℥j. acuetur cum ⊖*lis* ✱*ci* ʒj.

Menstruo jam parato & prius filtrato injice auri fini & laminati ʒj. stent in leni cinerum calore, donec absorbeatur aurum. In hac solutione

tione ſolis imbuantur & intingantur linteamina pura, ut nihil de eâ remaneat, & poſtquam libero aëre benè exiccata fuerint, comburenda ſunt in crucibulo puro tamdiu, donec in pulverem redigi poſſint; caute tamen hic procedendum, ne crucibulum excandeſcat, & aurum cum ſale ammoniaco avolet. Jam

℞. *calcis hujus auri* e. g. ʒj. ♁*ii ſubtil. pulv.* ℥ij. ⦶ *albiſſ.* & ſimili modo in pulverem ſubtiliſſimum prius redacti ℥viij.

Miſceantur in mortario lapideo quam optimè, poſteà immittitur pulvis, ſenſim & per intervalla, in crucibulum prius candefactum, & ſtatim cum impetu incipiet ardere, haud ſecus, quam pulvis ſclopetarius madidus. Detonatione peractâ calcinatio continuetur adhuc per ſpatium quadrantis horæ, materiam interim filo ferreo continuè agitando; tandem tota maſſa hinc reſidua & adhuc ignita, per partes injicitur in ollam novam vitreatam & aquâ purâ calidâ impletam, ſinitur per ♂ & ℘ quieſcere, & ubi materia ſubſederit, inclinando ollam, removetur aqua nitroſa: qui labor, affusâ tepidâ aquâ, ſæpius repetendus eſt, donec nullus ſalſedinis ſapor amplius percipiatur; pulvis purpureus tandem & elegans, in filtro chartaceo relictus, ſtudioſè exſiccetur & aſſervetur, tanquam ſudoriferum & alexipharmacum inſigne, & in peſte febribusque malignis præſtans. Corruptioni reſiſtit, ſanguinem mundificat, ſcabiem & luem veneream curat, & in quibuscunque cordis infirmitatibus, variisque viſcerum morbis prodeſt; auxiliatur iis ſudorem pellendo. Dos. à ℈ß. ad g.xv. & ℈j. in convenientibus aquis ſeu conſervis, reiteratis vicibus, omnibus, omni tempore & hora, ſecundum neceſſitatem morbi, id poſtulantis.

USUS MECHANICUS. Pulvis aureus ſimplex absque antimonio, & ſuperius in crucibulo calcinatus, curioſum adhuc alium habet uſum, nempè quod omne argentum ſola affrictione deaurare ſolet, quod ſecretum cauſa curioſitatis olim, à Sereniſſima Ludovica Maria p. m. Regina Pol. ſæpè fuit tentatum & probatum.

Ex *pulvere aureo* p. j. & *pulvere ſplit.* p. xx. invicem commixtis fit & ille ſumme purpureus & Regius color, in igne ſemper conſtans & durabilis. (Germ. das Gold-Purpur) quem, in ornando & pingendo auro, aurifabri adhibere ſolent. Secretum in Gallia jam multis notum. Sed melius ſuccedit hoc, ſi loco pulveris hujus aurei, crocus ſolis Cnoffelianus pulveri ſplit admiſceatur, quod & ipſemet vidi.

Bezoar.

Bezoarticum minerale per detonationem.

℞. *butyri ♁ii rec.* q. v. affunde guttatim ▽ *font simplicis & puræ* q. s. infusum præcipitabitur in pulverem album, mercurium vitæ dictum, qui studio exsiccandus est.

Jam ℞. ⦶i *alb. & pur.* q. v. ex. gr. partes iv.
Cui & in ♀lo, super △em liquato, sæpius & reiteratis vicibus injiciatur
☿ii *albi, vitæ dicti & superius reservati* p. j.

Fluant simul per horæ quadrantis spatium, vel diutius. Messam refrigeratam, ex crucibulo separatam, & prius pulverisatam, aquâ simplici affusâ, repetitis vicibus ablue, & ab omni nitrosâ salsedine edulcora, pulvis tandem bezoarticus albus & lactescens, in filtro papyraceo relictus, bene exsiccetur, & in vitro bene clauso, studiosè asservetur, qui nihil aliud est, quam mercurius vitæ correctus, & longe differt à bezoartico minerali, consueto modo parato.

VIRES conveniunt cum cerussa antimoniali, ex Cronolô paratâ.

DOSIS est à gr. v. ad ℈ß. & gr. xv. in bolo parato ex conserva aliqua, vel cum aliis pulveribus, superbibendo, vinum, jusculum, vel aliquid aliud conveniens.

Pulvis diaphoreticus diurnus,

℞. *flor.* ♃*ris,* ♁*ii fix. diaphoret.* ā. ʒxij.
baccar. lauri pulverif. ʒvj. M. F. pulvis, signetur ut supra.

Pulvis diaphoreticus nocturnus,

℞. *pulv. diaphoret. diurn.* ℈iß. *extract. nostr. sedativi* gr. ij.
M. F. pulvis, dividatur in ij. part. æquales ad ij. chartas.
Signetur ut supra.

Diaphoreticum hoc in forma pulveris magnarum est virium, sanguinem enim mundificat, luem veneream & scabiem curat, & in febribus malignis & morbis contagiosis est medicina ad expellendum intro hospitantem hostem per sudores mirificè adjuvans.

TITULUS V.

BEZOARDICA ET ALEXIPHARMACA.

Bezo-

Viperarum confectio Dn. D. Cn.

℞. *viperarum, vel serpent. nostrorum in locis montanis captorum* q. v.
Abscissis capite & caudâ, detractisque exuviis & interaneis exemptis, reliqua cum vino albo myrrhisato, à cruore optimè abluuntur, pinguedo seorsim in vitro asservatur, corda, hepata & lingua etiam seorsim, reliqua, prius sale absinthii, rutæ (& ammoniaco purgato,) adspersa ad solem, vel in alium locum calidum ad arescendum suspenduntur.

Hoc peracto, serpentum seu viperarum truncos scinde in minuta frustula, & ad perfumandum super cribrum ponito, suffimento subtus ita excitato:

℞. *baccarum juniperi* ℔iij. *succini vulgar.* ℥iij.
Perfumata & benè prius exsiccata, simul cum spina dorsi redigantur in pulverem subtilissimum, qui pulvis, in vitro puro inclusus, in loco sicco postea asservandus est. Signetur *pulvis viperarum simplex*.

Corda, hepata ac lingua simili modo in alcool redacta, vel in spir. vin. juniperinum imposita asserventur in futurum usum, pro theriaca nostra Regia.

Vires hujus pulveris. Contra omnia venena, inprimis sui generis. Sunt & qui affirmant, semel sumptum aliquot annos alexiterii officium præstare, fides sit penes authorem. Communiter in pleuritide maligna, tabe, hydrope, psora, scabie & lue venerea commendatur. Maritale officium & in seniculis promovet.

DOSIS à ℈ß. ad ℈j. & ʒj. per se vel cum aliis medicamentis idoneis.

Magisterium viperarum.

℞. *viperarum seu serpent. nostr. & in locis sanis montosis & non putridis degentium* q. v.
Eosque capitibus & caudis detruncatis, exemptisque interaneis, cum cordibus, hepatibus, ac ipsa spina, (cultro prius confracta,) in 🜄 Ⓓ s. q. immerge. Stent ita per tres dies, postea ad perfumandum & exsiccandum, cribro puro imponito, subtus suffimento, in hunc finem excitato, ex

bacc. juniperi p. iij. *laurip.* j.
ubi & circa finem adjicitur

succini ℥j. *assæ dulcis* ℥ß. *storacis* ʒiij.

Serpentes ita perfumatos, in ollâ novâ vitreatâ, adhuc super fornacem, vel & in sole exsiccantur, ut in pulverem redigi possint. Jam

℞. *hujus pulveris* q. v. ⁀ ⊖*is ammoniaci* s. q. ad supereminentiam scil. ij. vel iij. digitorum;

In solutum, decantatum, & prius filtratum, seu colatum, infunditur *olei* ♀*i* *ex* ⊖*o* *fact.* q. s.

præcipitatione peractâ, ablutio & edulcoratio cum aqua simplici, seu scorzoneræ instituitur. Pulvis tandem in chartâ emporeticâ relictus exsiccatur & ad usum reservatur.

VIRES & DOSIS conveniunt, cum viperarum pulvere, superius simplici modo parato.

Pulvis viperinus compositus.

℞. *oss. viperarum in subtiliss. pulv. redact.* ℥vj. ℈j. g. viij. *pulv. viperini simplicis, oculorum* ♋ cum *decocto* seu *essentia viperarum imbutorum* ā. ℥v. ℈j. *essent. n. citri* ʒj. g. viij. *ambræ moschat.* ʒß. g. iv. F. pulvis.

Cujus DOSIS à ℈j. ad ʒß. & urgenti necessitate ad ʒj. in aqua aliqua alexipharmaca.

Ex pulvere viperino præscripto, beneficio *essent. viperinæ* & *tragacanthæ albæ* q. s. fiunt globuli in forma terræ sigillatæ Turcicæ, qui figura serpentis vel proprio suo titulo assignandi sunt.

Bezoarticum viperinum.

℞. *pulv. viperin. ex sola spina* seu *ossibus nostro more per se absque* △ *præp.* *unicornu mineralis*, *terræ sigillatæ Melitensis, oculorum* ♋. ā. partes æqu.

Misce F. pulvis, qui cum essentia viperina seu solo decocto viperarum s. q. sæpius inebriandus, & iterum per se exsiccandus est. Jam

℞. *pulv. hujus viperini composit.* ℥iij. ♁*ii diaphoretici fixi* ʒij. *essent.* *mosch.* *ambarisat.* ℈ß.

Et cum *mucilagine tragac.* (per decoct. viperarum fact.) s. q. fiat massa, ex qua postea formentur globuli in forma terræ sigillatæ, vel pro libitu.

Pulvis viperinus alexipharmacus ex solis cordibus & hepatibus.

℞. *pulv. viperini noss. ex cord. & hepatibus solis parat.* ʒij.

sacchari

sacchari albissimi pulver. ℥vij. *essent. moschi ambarisat.* ℈j. g. iv. Fiat omnium pulvis in vitro custodiendus. Qui cum decocto viperino, seu ejus essentia s. q. in massam cogatur tenacem, ex qua postea formentur trochisci delicatissimi.

Not. Inter formandum inungantur digiti cum *ol. citri* & *angelicæ*.

Diaphoreticum compositum Dn. D. Cn.

Rec. ♁ii *fixi diaphoretici* ʒij. *bezoart. mineralis* ℈iv.
corall. rubr. præparator. ʒj. *pulv. viperin. ex cord. & hepate*
croci nostri solaris ā. ℈j.

Misceantur, fiatque ex his omnibus, in mortario vitreo pulvis subtilissimus, cui adhuc admisceatur

essent. citri ex cort. exter. rec. extr. g. xv.

servetur pro usu in vitro bene clauso.

De alexipharmacis secretioribus Dn. D. Cn.

Pulvis alexiterius.

℞. *bezoart. mineral. pulv. viperini nost. fl.* ♃*ris* ā. ʒj.

Misceantur probè in mortario vitreo & F. pulvis subtilissimus.

Vel ℞. ♁ii *diaphoretici fixi, pulv. viperini nostræ præp.*
rad. contrayervæ ā. p. æquales.

Misceantur probè & F. pulv. subtilissimus. Signetur *pulvis alexiterius de tribus,* ex minerali, animali & vegetabili scil. compositus.

Pulveres hi duo sunt præstantissima remedia, adversus omne venenum, cujuscunque sit generis, etiam ab animalibus immissum.

DOSIS à g. xv. ad ℈j. & ℈iss. in aq. bezoartica nostra.

Pulvis bezoarticus.

℞. ♁ii *diaphoretici fixi* ℥ß. *bezoartici mineralis*
flor. ♃*ris* ā. ʒij. M. F. pulvis.

Est bezoarticum præstantissimum, & in morbis catarrhosis & pectoris atque in ipsa phthisi, remedium exoptatum, DOS. ℈j.

In pleuritide pro Illust. Dn. Dœhnhoff.

℞. *fl.* ♃*ris,* ♁ii *diaphoret. fixi* ā. g. x.
bezoart. mineral. g. v. M. F. pulvis.

Cyperus bezoarticus.

℞. *rad. contrayerv. pulv. corall. rubr. præp.* ā. ℥ß.
M. F. pulvis subtilis.

Lapis bezoar factitius.

℞. *terræ sigillat. bezoart. (nostr. præparat.)* ℥j. ℈viij.
unicornu fossil. C. C. bezoart. s. bezoart. cervini ā. ℥ß. ℈iv.
♁ii diaphoretici fixi, rad. contrayervæ subtil. pulv. ā. ℈viij.
M. F. pulvis subtilissimus & cum *magisterio fol. rutæ rec. parati* q. s. pro tingenda massa & *mucilagine tragacanthæ albæ* in *aq. bezoart.* sol. F. massa, ex qua postea formentur lapides ovalis figuræ, qui, ubi bene exsiccati fuerint causa curiositatis, in tornatili rota poliri possunt. Negotium si recte instituatur, hic lapis arte conflatus, adeo similis erit illi orientali in superficie externa (nempe colore & splendore) ut vix unus ab altero dignosci possit.

VIRTUTES hujus lapidis cum lapidibus bezoar. anim. or. & occ. conveniunt, & vicem illorum præstat.

DOSIS à ℈ß. ad gr. xv. & ℈j. Confer & hic *anim. appendicis Cl. Dn. D. Zwelf. ad dispensat. Aug. p. 65.*

Lapis serpentinus, sive Magnes venenorum.

HIc occasio se offert, aliquid insinuandi de magnete venenorum, & lapide quodam, quem Lusitani *Piedra della Cobra* vocant, cujus & meminit adm. R. Pat. *Athanasius Kircherus*, S. J. in libello suo de *triplici in natura rerum magnete, sect. II. c. V.* in *China sua illustrata pag. 83.* Item R. P. *Michael Boymus* in sua *Flora Sinensi*; & adhuc alii. Qui lapis à natura sibi insitum magnetismum habet, ut à venenoso animali prius inflicto vulneri appositus, protinus tenacissimè sanguisugæ ad instar adhæreat, hæreatque tam diu donec omni veneno, quod serpens, aut quodvis venenosum animal diffuderat, exucto, ac jam veluti satur suapte sponte decidat, saturæ hirudinis instar. Experimentum hujus sumpsit & dictus R. Pat. *Kircherus* in vulnere à vipera venenosa cani inflicto, ubi hic lapis vulneri adeo tenaciter adhæsit, ut vix amplius distrahi potuerit, manebatque tam diu affixus vulneri, donec exucto omni veneno sponte sua decideret, quo peracto canis brevi post pristinæ sanitati restitutus est.

Quo-

Quomodo verò similis lapis, è colubris nostris, (qui vicem præstet alterius, quo nos caremus,) imitandus sit? nobis hic docendum relinquitur. Ideò

℞. *pulv. viper. simpl. (more nostro, & ☉e existente in ♌e parat.)* ℥j.
bufonum, (eodem tempore parat.)
cancrorum (simili modo ☉e exist. in ♋e par.) ã. ʒß.
terræ Lemniæ cum *decoct. rad. scorzon.* &
contrayerv. insuccat. unicornu fossil. ã. ℥j.

Omnibus diligenter mixtis, (in mortario vitreo seu lapideo, adde *mucilaginis* seu *gelatinæ viperarum* ex earum spoliis per *decoct. ligni colubrini* & *rad. contrayervæ* extractæ, tantum quantum pro incorporatione massæ sufficit. Ex qua postea lapides seu trochisci lenticularis figuræ seu formæ, crassitie pennæ anserinæ effingito, magnitudo illorum talis esse potest:



Talis fuit ille lapis serpentinus, ex China à Patribus Soc. J. allatus, quem ad S. Reg. Majestat. per me olim dono misit Rev. Pat. *Athanasius Kircherus*, Soc. Jesu, amicus & patronus meus singularis, vir alias toti orbi notus.

Not. Pulvis bufonum fit, ex animalibus integris, sine transfixione in libero aëre, & ardore solis prius quam citissimè exsiccatus, alias enim fœtent & difficulter teruntur.

Modus pulverisandi cancros, fit ex hoc eodem processu, quem *Clar. Zwelferus*, in præparatione pulveris viperini simplicis docet. Vid. *Animadv. in Pharm. Aug. p. 213.*

Electuarium de ovo Cnöffelianum.

℞. *croci or. sive Ungar. opt. pulv.* ʒiij.
rad. dictamni alb. tormentillæ ã. ℥j.
contrayervæ, angelicæ, pimpinellæ, zedoariæ, gran. juniperi, flor. ♀ris, ♁ii diaphoret. fixi ã. ʒj.
coralliorum præp. myrrh. el. ã. ʒß.

 Omnia

Omnia prius in pulverem subtilissimum redacta, misce in mortario lapideo, bene subigendo, & cum *rob baccar. sambuci* inspissati & rec. facti s. q. Fiat massa, consistentiæ solidæ & crassæ, ex qua tandem efformantur magdaleones, formæ & magnitudinis ovi anserini, quæ & auri foliis tandem obduci & ornari possunt.

Ejus VIRES conveniunt cum elect. de ovo Maximiliani Imperatoris, sed longè efficaciores sunt.

USUS ejus ordinarius est, ad præcautionem & curationem pestis, morborumque pestilentium.

DOSIS præservando est ℈ß. pro curando à ℈ß. ad ℈ij. in adultioribus maximè. UTENDI MODUS per se in forma pil. sive dissolut. in aq. cardui benedict. scordii, aceto bezoartico, vino, vel alio liquore idoneo.

Electuarium præservativum & curativum.

Pro S. Reg. Maj. in castris sub Sborovvia ordinatum, & compositum à Dn. D. Gnöffelio.

Rec. *flor.* ♀*ris*, *corall.* *rub.* *præp.*
☿*ii* *fixi* *diaphoret.* *bezoart.* *mineral.* ã. ℥ß.
rad. scorzoneræ, contrayervæ, torment. (opt. prius pulv.) ã. ʒij.
balf. ♀*ris* *nost.* *descr.* ʒiß.

M. F. cum *melle virgineo* & *rob baccarum sambuci* s. q. & ^ ⊕*li* ℈ij.

Electuarium molle, ad fictile capax [propter fermentationem.)

Adversus venena & morbos contagiosos, est hoc electuar. tutissimum præsidium.

DOS. pro præservando, magnitudine fabæ minoris, pro curando ʒß. in aceto bezoartico, & quidem tempore curationis, ter in die, cum expectato sudore.

Acetum bezoarticum ad præscriptum electuarium.

Rec. *aceti bezoartici ord.* (*ex angel. scil. parat.*) ℥iij.
aceti rutacei, rubi idæi, rosar. ã. ℥ij.
balf. ♀*ris. nostræ descript.* ʒij. M. dentur ad vitrum.

NB. Spongiolæ particula huic aceto immersa, illigatur strophiolo, aliquoties in die pro olfaciendo.

The-

Theriaca Magni Ducis Hetruriæ communicata quondam Sereniſſimo Regi CASIMIRO, & in caſtris Glinianenſibus à ſua Majeſtate anno 1649. menſe Julio nobis commendata.

Rec. *theriacæ Andromachi, mithridat. Damoc.* ā ℥j.
rad. anthoræ pulv. ʒß. *lapis bezoar animal. or.* ℈ß.
conf. alkerm. ℈iv. *conſerv. flor. roſ. cichor. borrag.* ā ʒß.
Miſceantur in mortario lapideo, & cum *ſir. compoſ. è toto citri* q. ſ. F. electuarium.

Contra morbos caſtrenſes & epidemios & in ipſa peſte eſt medicamentum efficax. Quicunque enim in peſte in acceſſu nempe morbi hanc medicinam uſurpaverit eamque retinuerit & ſudaverit, evadet, quod ipſemet Anno 1653. tempore peſtis in multis obſervavi.

Theriaca de tribus Cnœffeliana.

(ſcil.) è triplici regno, animali, minerali & vegetabili,)
Contra morbum epidemicum anno 1649. Warſaviæ graſſantem, cujus curatio indicabat alexipharmaca, ſedativa & digeſtiva.

℞. *bezoartici noſtri animalis* ʒij.
ſulphuris eſſentificati ex *immaturo minerali alcaheſt* ʒß.
ſedativ. digeſtivi noſtr. vegetab. ʒij. ℈j.
Excipiantur melle virgineo in ſolidam theriacæ ſubſtantiam, tot ingredientia aromatum & exoticorum planè repudiantem. Hæc theriaca de tribus, tribus doſibus per 24. horas in quintum diem usque exhibeatur.

Primo mane hora ſeptima (ſuperbibito aceto bezoart. vel vino) exhibita, poſt octavam auditam, vel paulo ſerius, ſtragulis benè coopertus & calefacto hypocauſto æger effuſiſſimè ſudet, usque ad horam nonam, optimè detergitur, mutatis indufiis. Hora audita ſequente decima, reficitur. Audita prandii undecima hora, cibum æger capit. Hora quarta pomeridiana alteram doſin aſſumit æger, & iterum ſudat. Et ſic tertiam doſin inter decimam & undecimam noctis. *Plura vide in exerc. ſuis exercitatione quinta.*

The-

Theriaca Regia D. D. A. Cnöff.

Ser. JOHANNI CASIMIRO Pol. & Svec. Regi ab Authore dicata.

℞. *pulv. viperarum (ex solis cordibus & hepatibus linguisque viperarum collect.)*
bezoartici ☉laris, martialis ā. ʒiß. & ℈j.
sulphuris educti per sublimat.
ex immaturo minerali alcahest ʒiij. ℈ij.

Hæc quidem quatuor in numero, tria verò ingredientia à natura & proprietate pro basi hujus theriacæ, excipe in consistentiam solidam cum elect. de ovo (meæ compositionis)
rob. baccarum sambuc. juniper. mellis alb. virgin. ā. ℥iv.
Omnia benè (absque fixato alcahest) in mortario vitreo seu lapideo subigendo, rediguntur in theriacam nigro puniceam, grati saporis.

Cui si placet (1.) præservationis ergò adjiciuntur aliquot guttulæ balsami ♀ris nostr. (ex oleo papaveris parat.) sub lingua tenendæ. (2) Curationis ergò aliquot grana ad saporem gratum fixati alcahest. (3) vel nocturnæ dosi, sedativum nostrum commune & cum succo citri correctum & extractum, vel generale meum sedativum pro rei exigentia & ægri complacentia & tolerantia, toties quoties hac variatione opus esse videbitur, addi & subigendo bene pro singulâ dosi commisceri poterunt.

Theriaca theriacarum Cnœffeliana.

℞. *diakibur nost.* ℥j. (i. e. flor. ♀ris,)
pulv. fix. è ☿rio, ♁ii fixi, bezoart. animal. (sc. pulv. viper. simp.) ā ℥ß
mellis virginei ℥j. ʒij. ℈ij. *rob. sambuci* ℥ß. ℈ij. gr. viij.
Fiat omnibus sic exactè mixtis *theriaca nondum completa.*
Huic mixturæ D. D. C. aliquando admiscere solebat
♀ri ⊕lati cryståll. & prius in subtil. pulv. redacti ʒiij.
sedativi sui correcti ʒj. ℈ij.
Misceantur exactè fiatque electuarium mediæ consistentiæ. Signetur THERIACA THERIACARUM COMPLETA.
Datur in omnibus affectibus, in quibus malignitas dominatur, maximè contagiosis & pestilentibus; utiliter præbetur in febrium intermittentium rigoribus, ante accessum.

in-

Tinctura bezoartica.

In officina Regia olim à D. Doct. Matth. Littavv. introducta.

℞. *mixturæ simplicis* ℥viij. *spirit. terræ sigill.* ℥j.
rad. *contrayervæ,* *anthoræ* *ã.* ʒiij. ℈ij.
scorzoneræ ℥ß. ʒj. ℈j. *angelicæ Turcic.* ʒvj.

Mixta stent in loco calido, vitro benè obturato, per octiduum, adde
essent. *citri* *è* *cort.* *exter.* *rec.* *extr.* ʒij.
extr. *croci.* ℈ij. *conf.* *alkerm.* ℈ix.

Et post repetitam digestionem, per horas aliquot tinctura bezoartica, absque ulteriore abstractione per chartam emporeticam filtretur & in vitro optimè clauso servetur usui.

VIRES. Febribus malignis, pestiferis & contagiosis potenter resistit, earumque insultus reprimit, & à centro ad circumferentiam externam expellit. DOSIS est à ℈j. ad ʒj. in liquoribus aliis bezoarticis, alexipharmacis & sudoriferis, pro sudore eliciendo. Inde & Cl. D. D. Cnöffelius in febribus epidemicis malignis, sequens adhibuit expulsivum, & semper cum exoptato successu:

℞. *aq scorzoneræ, fumariæ* ã ℥ß. *sir. ex toto citro* ℥j,
tinct. bezoartic. ʒij. *pulv. pannonici rub.* ℈j.
conf. *hyacinthi* ℈ß. M. F. potio sudorifera.

Emplastrum magneticum D. D. C.

℞. *succini* *optimè* *pulverisati* ℥ß.
bufonis *siccati* *&* *in* *alcool* *pulverisati* ℥j.

Misce & in cucurbitam vitream missis tantum spiritus vini affunde, ut supernatet, ad transversum digitum, in balneo leni calore sensim subduc hunc spiritum vini, usque ad consistentiam magmatis, ter affuso semper novo. Cujus quantitas præsens commiscetur & optimè subigitur cum emplastro de meliloto, in consistentiam emplastri benè solidi.

Hoc pari modo, prout *meum Tractivum* in singulo emunctorio sine mora applicatum erit præcipuum, in anginis illis spuriis, circumcirca collum gestatum, prout & è malignitate tumentibus tonsillis & aliis ex ea emergentibus suspectæ notæ signaculis: ita meum emplastrum magneticum hoc habet peculiare, si, quod frequentissime è ferociente sanguinis ebullitione fit, nares hæmorrhagiam pluant immedi-

medicabilem, sub illius lateris, cujus narium foramen sanguine stillat, alâ gestetur: vel sub utraque, si utrumque cruentetur, mirabili & sensibili tractu, hunc fluxum subitò cohibet.

TITULUS VI.
ANODYNA
ET
MITIGATIVA.

Extractum sedativum ordinarium citratum
Dn. D. A. Cn.

℞. *opii Thebaici, in frustula concisi & in patella ferrea, per lenissimam exhalationem prius correcti* ℥iij.
succi citri acidi ℥xxiv. *cinamom. pulv. caryophyll. pulv.* ā. ℥ß.

Stent per mensem in leni digestione, peracta illa, extractio per linteum exprimatur, & ad mellaginis consistentiam lenta evaporatione redigatur. Sign. ut supra. *Inde fit sequens:*

Extractum sedativum pro viris.

℞. *extract. sedativi ordinarii, (praecedentis)* ℥j. ʒij.
magisterii butyracei corallor. perlarum ā. gr. xv.
croci or. subtil. pulv. ʒij. *ambrae* ℈ij. *moschi* gr. v.
ol. caryophyllorum vel *anthos*
cinamomi ā. gr. v. Misceantur invicem.

Massula servetur in vitro benè clauso. Sign. ut supra.

Pro mulieribus.

℞. *extract. nost. ord. citrati* ʒj. ʒij. *croci pulv.* ʒij.
magist. corallorum butyracei ʒß. *castorei opt. pulver.* ʒj.
olei succini ℈ß. Misceantur opt. Sign. *extr. sedativum pro mulieribus.*

Not. Placuit Cl. Dn. D. Cnoeffelio aliquando & *laudanum illud liquidum Helmontianum*, quod pro menstruo (loco succi citri) recipit succum cydoniorum, in fermentationem, per flores cerevisiae promotum. Beneficio istius menstrui ex opio & croco, extrahitur tinctura, saturè atrorubescens, quae colata & cum oleo, seu essent. citri, aromatisata,

tisata, in MB. ad medietatem abstrahitur, residuum usui asservatur, pro laudano opiato liquido, in affectibus hystericis arcanum certum.

DOSIS à gutt. iij. ad v. vij. & plures.

Sunt, qui in conciliando laudano Helmontiano liquido pro menstruo sibi eligunt Kam ⊖is ♀ri. Pro correctione adjiciunt & crocum, castoreum, caryophyllos, cinamomum, lign. aloes, spec. diambræ cum moscho & similia plura adhuc.

Extractum granorum quietis officinæ Regiæ.

℞. *extract. opii Thebaici, nost. m. p.* ℥ij.
hyoscyami, simili modo per succum citri debito tempore parati,
croci or. ā. ℥j. M. diligenter & serva in vasculo puro & vitreo.

Dolores omnes lenit atque tollit, somnum inducit, fluxiones omnes sanguinis sistit, vomitus compescit, febrium paroxysmis frenum injicit, & in delirio, phrenitide, epilepsia, suffocatione uteri, & doloribus arthriticis, remedium est extremum.

Sedativum magnum Archei.

℞. *🜍is ⊕li philos. edulcorati* ℥ß.
extract. croci ʒiß. *angelicæ* ℈j. *rad. contrayervæ*
🜍is nostri ☽ris ā. ℈ß. *essent. ambræ (pro fœm. extr. castorei)*
magist. perlarum butyr. ceruss. ♁ialis fix. per detonat. ex cronolo fact.
vel loco hujus ♁ii fixi diaphor. ā. ʒß. *conf. alkermes* ʒß.
oleum cinam. coriandri ā. gtt. ij. *caryophyl.* gtt. j.
nuc. mosch. express. ℈ß. g. ij.

Misceantur exactè in patella argentea seu porcellanea aut vitreo vase, fiatque mixtura nobilissima.

Confortat, & ab omni veneno assumpto & ab ipsa peste defendit, si statim sumitur, desuperque sudores proliciuntur. Curat & affectiones capitis, febres ardentes, dysenteriam, diarrhœam & omnes fluxus ventris; vomitum compescit, dolores colicos & quoscunque corporis mitigat & lenit. Insuper sudores movet, & somnum inducit.

DOSIS est à g. j. ad iij. vel v. per se in forma pilularum, vel dissolvitur in vino vel aqua aliqua appropriata, aut in sirupo aliquo seu jusculo. Duabus vel tribus horis post cœnam, ubi etiam casus & occasio vel dolor urget, omni tempore dari potest, dummodo patiens desuper se in lecto ad somnum vel sudorem componat.

*F 2 Sulphur

Sulphur vitrioli philosophicum Dn. D. Cn.

℞. ⊕li Hung. phil. ut ſpis calcinati ℔ij. ⊖ ✱ci. ℔j.
Trita ac ſimul bene ſubacta, immittantur in aludelem & ſuppoſito alembico cœco, & juncturis bene lutatis vulgari chimicorum more, in arena inſtituatur ſublimatio :. Quod elevatum erit, tritum prius, remiſcetur capiti mortuo, & iterum ſublimentur; qui labor & ter vel quater repetendus. Flores tandem ab omni acrimonia, cum aquâ purâ edulcorentur. Jam floribus trina ſublimatione ita paratis, & in vitrea concha lento calore prius exſiccatis, affundatur s/ q. ſ. & cum eo extrahatur Ka quoties & quamdiu licebit, extractiones omnes commiſceantur, & ſpirit. vin. per deſtillationem iterum ſeparetur, ♀ tandem ⊕li philoſophicum, in fundo vaſis relictum, aſſervetur pro ſedativo Archei & corculo noſtro benedicto ſuo loco deſcripto.

Spiritus ſedativus ſimplex.

℞. fl. lilior. convallium rec. decerptor. q. ſ.
ſpir. vin. opt. cum *fl. lilior. convall.* ℥t. *phlegmatis* ⊕li ā. ℥xl.
Factâ digeſtione horis 24. deſtillentur per X X cum ex cineribus, quod primò exit, ſeorſim excipiatur. Aquæ egreſſæ & ſpirituoſæ adde iterum *phlegmatis* ⊕li tantumdem, & *flor. recent. lil. convallium* q. ſ. prægreſſa digeſtione & maceratione per dies tres, denuo per XX cum vitreum, igne ∴æ deſtillentur; labor hic & tertia & quarta vice ſemper cum æquali parte *phlegmat.* ⊕li & *flor. lilior. convall.* q. ſ. inſtituatur. Quæ ſic unita, aqua ſpirituoſa, in vitro arctè clauſo aſſervetur.

VIRES anti-epilepticæ ſunt; efficaciter & ſervit melancholicis, hyſtericis & utero præfocatis; externè & in podagra, chiragra, & ſimili articulorum dolore, ſumma cum utilitate adhibetur, inſuper & virtutes ejus anodynæ ſunt, & in omnibus vigiliis diuturnis ac quibuscunque doloribus uſus ejus eſſe poteſt. DOSIS à cochl. ſemis ad cochl. unum, per ſe, vel quod melius, in grato aliquo vehiculo.

Spiritus ſedativus compoſitus.

Rec. *Spûs ſedativi præcedentis ſimplicis* ℔ij. *viſci querc.* ℥ß.
rad. pæon. (certo tempore coll.) ℥j. *ſem. pæon. cort. mandrag.* ā. ʒiij.
Mixta deſtillentur per Ↄ ‿am vitream ex ∴. Signetur ut ſupra.
Medicamentum eſt cephalicum in genere, antapoplecticum & epilepticum in ſpecie. DOS. à ʒj. ad ʒij & iij.

Ex.

Ex lib. manuscripto laborum chimicorum Dn. D. Cn. in peculiari schedula.

Essentia seu tinctura granorum quietis ordinaria, olim in officinam Regiam à D. D. C. introducta.

Rec. *extr. ordin. granorum quietis* g̃. xxiv.
℞ *nost. sedativi simpl.* ℥vj. *conf. alkermes* ʒiij.
Digerantur in vitro bene clauso lenissimo calore, per octiduum, essentiæ per chartam filtratæ, adde
℞ rosar. ℈vj. *olei coriandri veri odor.* gtt. iv. *rosar. stil. ver.* gtt. vj.
essent. mosch. ambrat. ʒj. & post reiteratam digestionem, essentia usui servetur. Dosis à ℈j. ad ℈ij. in vehiculo grato & conveniente. Vicem præstat laudani opiati.

Pomum somniferum pro S. Reg. Maj.

Rec. *opii Theb. resinæ ladani, styracis calamit.* ã. ʒiij.
ligni aloes pulv. rad. ireos pulv. ã. ℥ß. ʒij.
nuc. mosch. croci ã. ʒj. Misceantur exactè, in fine adde
moschi or. ℈ß. *ambræ* ℈j. *oleum rosar. stil. ver.* gtt. vj.
Fiant s. a. duo poma, quæ manibus teneantur & tractentur, ex una in aliam, donec incalescant, & eorum halitus ad nares perveniat, possunt & ipsis naribus ad odorandum admoveri.

Spongia somnifera.

Rec. *opii in spir. sedativo solut.* ℈ij. *essent. nucist. succ. datur. nost. rec. express. & absque igne clarif.* ã. ℥ij.
croci ℈iß. *olei rosar. ver. stil. in s. q. spir. vin.* ♀*sati dissol.* gtt. vj.
F. Mixtura. Cum hac mixtura postea irrorentur, & imbuantur spongiolæ cynosbati & denuò totaliter exsiccentur, qui labor bis vel ter repetendus. Spongiæ ita paratæ, postea in scatula aliqua pura usui reponantur. Cum ea uti volueris, immergatur vel solum irroretur prius spongia cum aq. rosarum & naribus admoveatur.

Spongiola cynosbati est ille fungulus villosus, & muscidus ex flavo rubescens, qui rosis sylvestribus adnascitur. *Germ. Schlaffäpffel.*

Not. Simili processus & spongiolæ cynosbati insuccari & denuò exsiccari possunt, cum spermate ranarum (mense Martio rec. coll.) in quo tamen prius aliquid ex ⊕lo & alumine sit dissolutum. In hæmorrhagia ex quacunque parte corporis, subitò sanguinem sistunt.

TITULUS VII.

CEPHALICA.

CAPUT I.

APOPLECTICA.

Pulvis apoplecticus Regius,
alias
Cephalicum Dn. D. Podchocinski.

℞. *magisterii antepileptici M. Prævotii,*
rad. pæoniæ pulver. corall. rub. præparator. ā. ℥ij.
magist. succini, bezoardici lunaris, cinnab. ā. ℈ij.
ol. in destill. aq. apoplecticæ collecti gt. vj. *sacchari* ad p. ⊕.
M. in mortario vitreo, adde pro conciliandâ gratiâ
fol. auri, argenti ā. n. iv.
Pulvis commixtus reservetur usui, sign. ut supra.

VIRES attribuuntur cephalicæ & analepticæ insignes, inde & in omnibus morbis capitis, dosis ejus est è ℈j. ad ℈ij. in aqu. cephalica apoplectica, seu flor. lavendulæ.

(Magisterium antepilepticum Clariss. Prævotii tali modo componitur.

℞. *rasuræ eboris, cornu cervi, ungulæ alcis,*
cran. humani non sepulti, sed suspensi ā q. v.
Injiciantur cucurbitæ, superaffundatur, pro imbuendo solum, spir. nitri q. s. stent per dies tres, postea adde ✣ q. s. pro dissolutione & denuò digestio instituatur, per dies 14. & ultra, solutionem tandem, prius filtratam, vel colatam, præcipita cum spiritu ⊕li, (melius cum solutione salis, per liquor. tiliæ & salem appropriatum facta) vel solutiones filtratas ad siccitatem exhalare permitte; Magisterium in fundo relictum ablue & edulcora tam diu, donec ab omni acetositate & acrimonia sit liberum, tandem exsiccetur.

VIRES ex titulo comprehenduntur. DOS. à ℈ß. ad iß.)

Essentia cephalica composita.

Rec. *rad. pæoniæ, certo tempore collect.* ℥ij.
summitat. beton, melissæ, lavendulæ,
basiliconis, rutæ, origani ā. m. j.

con-

confect. anacard. theriacæ Androm. ā. ℥j.
visci quercini, ligni aloës ā. ℥ß.

Pulverisata & grosso modo incisa, cum reliquis opt. commixta, infundantur cum

spir. vin. juniperini ℔iß. *sambucini* ℔ß.

Et in vitro benè clauso stent per octiduum in digestione colaturæ per chartam emporeticam institutæ, adde

spir. ⊕li roridi compositi, seu spir. sedativi simplicis ℔ß.
rasuræ cranii humani, magist. cornu alcis n. m. *præparat.* ā. ℥i.
ess. nuc. mosch. ʒiß. *coriandri* ℈ij. *citri* ʒij.

Mixta digerantur denuò in vitro circulatorio, hermeticè clauso, per duos vel tres menses; circulatione peracta, illud quod subtile est, à crasso sedimento per inclinationem separetur, & essentia cephalica ita simpliciter & absque destillatione parata, adservetur ad usum necessarium.

VIRES, cephalicum, epilepticum & apoplecticum medicamentum est insigne. DOS. à cochl. j. ad cochl. ij.

Aq. magnanimitatis, in Officina Regia.

℞. *formicarum, acidum redolentium,* in olla terreâ, melle intùs inunctâ, captarum. M. vj.
spir. vini anthosati ℔iv. *lil. conval. simpl.* ℔j.

Mixta, vase prius benè perlutato, stent per dies octo in acervo magno formicarum, postea destillentur p. MB. Hoc facto

℞. *spiritus hujus destillati & à phlegmate separati* ℔iij.
confect. anacardin. ℔ß. *specier. cephalic.* ℥iij.

Et post peractam & reiteratam digestionem 7. dierum denuò destillentur in MB. prius leni igne, in fine verò fortiori. Aqua spirituosa abstracta, adhuc aromatisetur.

ol. cinamomi, coriandri ā. gr. xv. & *essent. ambræ* q. v. M.

Cerebrum & omnes ejus functiones mirè corroborat, & ab aliis morbis frigidis capitis præservat, insuper in venerem armat, & articulis ex paralysi debilitatis subvenit. DOS. cochl. j. ad ij. Inde paretur &

Arcanum cephalicum.

℞. *spir. formicarum compos. seu aq. magnanimit. præced.* ℥iij.
flor. & bacc. sambuci ā. ℥ß. *⊕li antepileptici compositi* ℥j.

conf. anacardin. alkermes ā. ʒj.
spec. diambræ, diamoschi dulcis ā. g̃. xxv.

Digerantur in phiola, hermeticè sigillata, per 14. dies, postea filtrentur per chartam, & asserventur in vitro benè clauso: sign. ut supra.

In affectibus capitis excellens est remedium, inde datur cum summo commodo in apoplexia, epilepsia, paralysi, lethargo, item in syncope & palpitatione cordis. dos. cochl. ß. ad cochl. j.

Mistura cephalica Dn. D. Cnoeff.

℞. *spir. ♀ri sassafrati, & prius supra ∴ rectificati* ʒiij.
sedativi simpl. ℥j. *formicarum sive aqu. magnanimitatis* ℥ij.
elixir. proprietat. purg. liquid. n. d. ad pl.
sir. antepileptici nostri ℥j.

Mista digerantur adhuc per ♂ & ℘ post serventur ad usum.

VIRES. Medetur apoplexiæ & aliis capitis affectibus, maximè melancholiæ hypochondriacæ. Ejus effectum & in delirio & mania vidi cum stupore.

DOSIS à ℈ß. ad gt. xv. & ℈j. jejuno stomacho & tribus horis ante cibum cum aq. lil. convall. pæoniæ, vino, vel alio vehiculo idoneo; datur & in ipso paroxysmo & reiteratis vicibus, præmissis tamen universalibus & practicantium regulis & methodo observatis.

Tinctura cephalica ambrata.

℞. *specierum diambræ* ℥ß. *ligni aloes subtil. raspat.*
granor. carpobalsami ā. ʒij. *ambræ* ℈j. *mosch.* ʒß.
sacch. canar. ℥j. *elixir. Matthioli, aq. carfunculi* ā. ℥ij.
spir. ardent. rosar. aq. spir. cinamomi comp. ā. ℥j.

Benè mista, & in phiola vitrea hermeticè inclusa, stent in digestione, in MB seu vaporoso tam diu, donec omnia benè sint dissoluta & extracta. Post filtrentur, & tinctura ambrata summè odorifera ad usum servetur.

VIRES. Cephalicum & cordiale est summum, convenit iis, qui temperamenti sunt frigidioris.

DOS. à gt. iij. ad vij. xv. in vino vel alio vehiculo.

Species cephalicæ pro suffitu Serenissimæ R. Cæciliæ Renatæ &c. p. m.

℞. *olibani* ʒiij. *succini albi & citrini* ā. ʒj.

masti-

masticis ℈ij. *storacis calamitæ* ʒß. *gum. benzoi* ℈ß.
caryophyll. ℈j. *flor. rosar. rub. lavendulæ.* ā. p. j.
Misceantur; Fiatque ex omnibus pulvis grossus, cui adhuc admiscebis *ivæ arthetica* ℈j. Sign. Fluß-und Haupt-Rauch/ der Königin Cæciliæ.

Suffitus alius cephalicus S. R. M. VLADISLAI IV[ti].

℞. *asæ dulcis seu benzoes* ℥j. *olibani* ʒvj.
styr. calamitæ, gum. animæ, succini pulv. ā. ʒij.
caryophyllorum ℈ij. *scobis lign. seu rad. juniperi* ℥ß.
xyloaloes ℈ij. *flor. rosar. rub.* p. iij. *lavendulæ* p. ij.
Incidantur & contundantur crassiusculè, & fiat in perforata pulvis grossus. Sign. Königl. Flußrauch.

Pulvis sternutatorius cephalicus in officina Regia.

℞. *pulv. nicotianæ* ℥viij. *flor. lil. convall.*
fol. majoranæ ā. ℥iv. *spec. diambræ* ℥j.
mosch. ʒß. g. iv. *zibeth* ℈ß. *ambræ* ℈j.
oleum ligni rhodii, vel *rosar. ver. stil.* si habere potes ℈ß.
Fiat s. a. pulvis subtilissimus.

Balsamum apoplecticum Collegii Romani R. P. S. J.

Hujus descriptionem, simul cum pyxidula, hoc balsamo impleta, mihi Romæ, jam in procinctu itineris, ex singulari affectione & gratia, offerebat Rev. Pat. *Athanasius Kircherus*. Soc. Jesu, patronus & amicus meus singularis, vir aliàs insignis, & ferè toti orbi notus.

Est autem balsami compositio talis:

℞. *Oleum nuc. mosch express.* ℥j. *balsami Indici veri* ℥ß.
ambræ gryseæ ʒii. *mosch. di Levante* ℈j.
oleum stil. salviæ c. lil. convall. parat. gtt. xxj. *masticis* gtt. xv.
caryophyllorum g. xij. *succini rec.* g. vj. *cinnamomi* ℈jß. g. ij.
gummi tacamahacæ q. s. M. Fiat balsamus.
Schedulam Italica lingua impressam, in qua virtutes hujus balsami describuntur, hic annectere placuit.

C.  R.

VIRTU, ET VSO DEL

BALSAMO APOPLECTICO

cioè della Goccia.

QVesto balsamo con ragione vien detto della goccia, perche à questo male principal mente è destinato; Essendo che hà un' incredibile facoltà di corroborare il cerebro, di eccitare gli spiriti animali sopiti, e di recreare gli spiriti vitali, è ancora atto à giouare all' altre affettioni della testa; perche libera dal parocismo quei, che patiscono mal caduco conferma quei, che patiscano di vertigine, dissipa gl' humori fredi, e consuma tutti i catarri, come anco rimedia a' dolori de' denti; libera dalla sincope, ò suenimento, difende il coure dall' aere maligno, e pestifero essendo applicato alle narici, o in qual siuoglia modo alle tempie, & alla nuca, & in caso di maggior necessità si potrà vngere con esso il palato. Di più applicato all' vmbilico à modo di empiastro sottile, gioua alla colica molestissima. Dalle Donne però non si può così opportunamente adoperare per la suauità dell' odore.

Balsamum apoplecticum Cl. Dn. D. Cn.

℞. *balsi. lavendulæ, ruthæ* ā. ʒß.
succini ℈j. *apoplectici Crollii* ʒj. ℈j.
M. Fiat balsamum in aurata pyxidula asservandum.

VIRES sunt antiapoplecticæ, & antiepilepticæ, aliisque debilitatibus cerebri convenit; naribus, temporibus, item suturæ coronali inungitur, tàm in actu præservationis quam curationis.

Species pro pileolis S. Reg. Maj. Vladislai IV.

℞. *fol. majoran. rorismarin. meliss. citr.* ā. miß.
flor. rosar. odor. m. iij. *lavendul. arantior.* ā. m. j.
stæchad. Ar. nard. celti. ā. p. ij.
sem. coriandr. nigell. gran. carpobals. ā. ʒiij.
cubebar. ℈iv. *rad. cyper. rot.* ʒj.
cinamom. nuc. moschat. ā. ℥ß. *caryophylli* ʒj.
lign. rhod. subtil. rasp. aloes, sassafr. ā. ʒij.
styrac. calam. ʒiß. *gummi benzoë* ʒiij. *succin.* ℥ß. ʒij.

Incidantur & contundantur gr. m. circa finem adhuc adjice crassiusculè incisa:

fl. cyan

fl. cyan. paralys. calend. cheiri, balaust. ā. p. j.
mosch. ambr. ā. ℈j.

M. F. pulvis grossus, odore & colore gratus, & ad roborandum caput & materiam humidam & pituitosam exsiccandam efficacissimus. Pulvis seu species postea includantur serico rubro pro pileolo nocturno. *Ex præscriptione Cl. D. D. Krafft, S. R. Maj. Archiatri.*

CAPUT II.

ANTIPARALYTICA.

Paralysis ἀπόρρητον.

℞. *spirit. vin. camphorati* ℥iij. *formicarum composit. lumbricorum, aqu. apoplecticæ* ā. ℥ij. *essent. trium piper.* ℥j. ʒij.
sem. crucæ ℥ß. *aluminis plumosi, euphorbii* a. ℈j.

Misceantur in vitro bene clauso, & post peractam sufficientem digestionem filtrentur per chartam, quibus adhuc admisceri possunt
essent. cephal. odorif. ℥ß.

Partes affectæ prius pannis calentibus quotidie fricentur, sed leniter, postea illinantur cum præscripta tinctura; Usus saltem ab extra est.

Spiritus formicarum officinæ Regiæ.

℞. *herb. urticæ Rom. rec.* mj. *betonicæ cum florib. chamædryos ver. chamæpyt. salviæ, rorismarini, majoranæ* a. mß.
flor. lavendulæ, sambuci, primulæ veris a. mj.
basil. cum extr. foliolis, stæchad. arab. a. p. ij.
rad. rhodiæ rasp. conf. anacard. a. ℥j.

adde ♀ri *crudi* ℥iß. incidantur & infundantur in spir. vin. *opt.* ℔. viij ad x. postea destillentur, in spiritu elicito & à phlegmate prius separato suffoca *formicarum viventium, cum ovis & ramusculis adhærentibus* m. iij. adde *aluminis crudi* ℥j. stent & macerentur per 24. horas, postea per phialam longi colli elicitur l. a. spiritus, in vitro benè obturato ad usum asservandus.

Cum hac aquâ spirituosa membra affecta illinantur & fricentur: Licet ejusdem etiam cochl. j. cum aqua lavendulæ vel alterius convenientis ℥iii. exhibere.

Paralyticorum membrorum ἀπόθεσιν.

Generoso Dn. Butlero, & Magnifico Dn. Luberto Erbenio, anno 1647. ex præscript. Clar. D. D. A. Cnöff. Arch. Regii notabiliter profuére.

FOMENTATIO, qua Magn. Dominus Erbenius primo fomentatus bis in die, quæ

℞. *flor. chamomill. herb. hypericon. salv.*
serpill. origan. absinth. a. m. ij.
herb. urtic. min. m. vj. *malv. min.* m. iv.
rad. gramin. althææ ā. ℥ii.
sem. eruc. ℥ß. *lini* ℥j. *Oli crudi* ℔. v.

Crassè contusa dentur ad chartam, sign. Kräuter zum beẏen.

INUNCTIO. Postea à scapula ad cubitum usque brachium ejus calide inunctum est linimento, quod

Rec. *pinguedin. vulpis, taxi, ungu. dialth.*
ol. castorei, rutæ, chamomill. ā. ℥j.
juniperi, still. terebinth. st. ā. ʒiij. *spic.*
Gn. plumos. ceræ ā. ʒij. *cantharid. euphorb.* ā. ʒj.
spir. vin. q. s. M. F. linimentum, sign. Sälblein zum schmieren.

Emplastrum pro custodia & loci, & unguenti, circumpositum & constanter per annum gestatum, quod

Rec. *empl. diachyl. oxycroc. melilot.* ā. ℥j.
G. ammoniaci ℥ß. *galban.* (*in* ✢ *dissoluti*) ʒiij.
diatr. piper. euphorb. alumin. plumos. ā. ʒij.
Omnia optime pulverisata M. ad ignem & F. emplastrum.

Spiritus balsamicus pro sartore quodam.

Rec. *bacc. laur. juniper. castorei, euphorb.* ā. ʒij.
caryophyll. macis ā. ʒiij. *mastícis,*
myrrhæ, storac. liquid. ā. ℥ß.
succin. alb. gumm. elem. galban. ā. ʒiij.

Contusa & pulverisata infunde in spiritus vivi ℔. iij. stent in digestione per triduum, deinde destilletur per XX. ex arena.

Indies semel noctu cubitum eundo, postquam calido linteamine juncturam carpi, cubiti & scapulæ optime fricaverit, calefacta loca inun-

inungat, calefacto supra ignem hoc liquore, postea calidè supponat emplastrum antea descriptum.

Not. Septimanatim duobus diebus, nempe ♀ & ♄ni curet circa vesperam sibi parari balneum è decocto urticæ ardentis & formicis, sacco inclusis, postea inunctionem & applicationem emplastri, aliquot mensibus, donec melius habeat, continuet.

Interdum & membrum stupidum & resolutum, urticis viridibus & ardentibus, leniter percuti patiatur.

Topicum ad membra resoluta & demortua.

ex communicatione Cl. Dn. Doctoris Kepleri pro uxore Domini Doct. Cnœffelii, paralysi tacta.

QVamvis Cl. Dn. D. Cn. p. m., ultra centenos hominum, in simili morbo curaverit, nunquam tamen in uxore sua, suam adhibere voluit curam, semper alios medicos suos amicos vocans; ideò in contractura ex paralysi, quâ consors ejus per aliquot septimanas laborabat, Dn. D. Kepleri consilio usus est, cujus arcanum topicum erat hoc:

℞. *marcasitæ ♀eæ pulv.* ℔ß. indatur XXco, superaffundantur *vini optimi* mens. vj. i. e. ℔xij. Stent in digestione per dies 30. tandem vino colato adde *rad. cardopatiæ* ℔. iij. & de novo circulentur; post exprimantur fortiter & destillentur per ◯am, vel quod melius filtrentur per chartam solùm; Hoc peracto, destilla relictam marcasitam cum leontopodio per ◯am; destillatum misce cum superiore filtrata infusione, & denuò ad dimidium usque instituatur destillatio. Ex fœcibus priùs optimè calcinatis extrahe ⊖em cum vino ℞to, hoc conjunge etiam destillato, ubi adhuc tandem admiscebis

sevi cervini seu *medullæ crurum boum* ℥vj.
axungiæ ursi ℥ij. *viperarum* ℥ij.

Misceantur supra ignem. Cum hac mixtura inungantur membra resoluta, ad dies 30. & quidem bis in die calidè. Confert omnibus membris demortuis, obstructis & induratis, ut & nervis resolutis.

Ex manuscriptis Cnœffelianis.

CAPUT III.

EPILEPTICA.

Pulvis epilepticus ordinarius officinæ Regiæ.

℞. *cranii humani strangulati, & cum ▽ epil. f. △ in alcool redact.*
corallior. rub. præparat. visci quercin. cert. t. collect.
C. C. antepileptici ā. p. æq. *facch. albi pulv.* ad pondus omnium,
M. F. pulv. DOSIS à ℈ß. pro infante, ad ℈j. & ʒj.

Pulvis alius epilepticus officinæ Regiæ de secundina mulieris.

℞. *secundinæ mulieris (primiparæ filium enixæ) torrefactæ,*
cranii masculi anterioris, (violenter mortui & non humati)
raspati ā. ℥ß. *unicornu fossilis albissimi,*
C. C. ex apicibus super. rasp. & in alcohol. redacti ā. ℥j.
coralliorum rubrorum c. aq. epilept. præp. ocul. ♋. ā. ℥ß.
granorum & rad. pæoniæ, decrescent. ☽. *collectorum.*
rad. doronici, visci quercini ā. ʒiij.
succini subtiliss. pulv. nuc. moschat. ā. ℥ß.
ambræ ʒj. Fiat omnium pulvis subtilissimus,
Remedium in epilepsia & aliis cerebri affectibus est efficax. DOSIS est ℈j. ad ʒß. & ℈ij. In aq. flor. tiliæ, seu liquore arboris tiliæ mense Martio ex cort. extracto. Secundinæ præparationem, *Hartmannus in praxi chim. Beckerus in microcosm. med. lib. 1. cap. 8.* & alii describunt.

Pulvis antepilepticus S. R. Maj. Vladislai IV.

℞. *magister.* ☽æ ℈iß. g. ij. *cranii humani, succini pulv.* ā. ʒj. g. iv.
corall. rubr. præp. facch. alb. pulv. ā. ʒv. ℈j.
M. F. pulvis. DOSIS à ℈iß. ad ʒj. in aq. pæoniæ.

Magisterium lunæ S. R. Maj.

℞. ☽æ *finiss. in tenues bracteolas extensæ, laminatæ & in orbem conflexæ* ℥j. ▽*tis* ℥iij.
Stent in leni digestione; solutum quod est, filtretur per chartam, & superinfunde ⌒ ⊕ri q. f. Sic in momento præcipitabitur in alcohol, nivis instar candidissimum. Pulvis ad fundum præcipitatus, affusâ aquâ dulci ablui, & ab omni acredine liberari & tandem exsiccari debet. Ingrati quidem saporis est, sed majoris virtutis in epilepsia aliisque morbis capitis. Hujus magisterii beneficio Ser. Rex Vladislaus IVtus in juventute à comitialis morbi insultibus feliciter curatus est.

Pulvis

Pulvis antepilepticus puerorum
D. D. Pauli Podchocinski.

℞. *C. C. raspati, & cum decoct. sem. cinæ & corallinæ sæpissimè insuccati, rhabarbari, sacchari mercurisati* ā. p. æq. q. v.

Fiat omnium pulvis subtilissimus, qui in expellendis vermibus & lumbricis insignis est, si drachma una in lacte adhibeatur. Jam

℞. *pulv. præscript.* ℈ij.
ossis triquetri raspati & in subtilem pulverem redact. ℈j.

Misce, F. pulvis. In epilepsia infantium sympathica ex vermibus orta. De quibus & *Forestus lib.* 10. *obs.* 65. *Martin. Rulandus cent.* 8. *curat.* 13. & plures alii.

Pulvis antepilepticus Dn. D. Cnœffelii.

℞. *cinnab.* ♁ii, *cranii humani* ā. g. v. *magister. corallior.* ℈ß.
ligni aloes, visci quercini ā. g. iv. *pulv. nost.* ☉ris ♁ii g. ij.
sedativi nostri compositi citrati, pro viris g. j. Misce.

F. pulvis, pro una dosi, & tales doses n. iij. dentur in tribus chartis.

Antepilepticum solare.

℞. *cornu alcis absque* △e *præp.* ʒj. *cranii humani absque* △e *pulveris. oss. cordis cervi sine* △e *in pulverem subtilem redacti, corallior. rub. præpar. rasuræ eboris* ā. ʒß.

Mixta inebrientur Ra antepileptica, & per se lentè iterum exsiccentur; istaque operatio bis vel ter repetatur, species ita imbutæ, in pulverem simul terantur subtilissimum, instar alcool, cui tandem adde

pulv. solaris, seu panaceæ Cnöffelianæ ʒij. ℈j. g. xiv. *ambræ* q. pl.

Et cum gelatina cranii humani, seu cornu cervi q. s. F. Massa, quæ & tinct. seu magist. rec. granor. nostr. chermes in gratum & rubicundum colorem adhuc tingi potest.

Ex massa formentur trochisci parvi in forma terræ sigillatæ, ponderantes ℈j. vel ʒß. ad ℈ij. Quod ipsorum dosis est, & facile, tempore necessitatis, talis unus trochiscus, in liquore aliquo idoneo & epileptico dissolvi potest.

Antepilepticum lunare.

℞. *cranii humani sine* △e *pulv.* ʒß. *unicornu fossilis, marini, succini albi, oculorum cancri* ā. ʒiß. *corallior. albor.* ʒj.

Mixta impastentur in mortario lapideo cum *sedativo nostro comp.* q. s. & de-

& denuò lente & per se exficcentur, & in pulverem subtilissimum redigantur.

Addi etiam potest seorsim (quod nos aliquando omittimus propter saporem ingratum & adstringentem,)

magisterii lunæ S.R. Vlad. ℨj. *plus minusve pro ætatis ratione.* Misceantur benè. Pulvis ita concinnatus asservetur in vitro puro, vel cum gelatinâ cranii humani, alcis seu C. C. q. s. formentur orbiculi magni vel parvi, qui proprio signo, titulo, & charactere ponderis, notandi sunt.

Hoc medicamentum singulare est antepilepticum & apoplecticum, datur & in aliis cerebri affectibus, maximè maniacis, & delirantibus, in febribus venenosis & malignis. DOS. à ℈ß. ad ℈j. & ʒß. in liquore entis tiliæ vel alio vehiculo idoneo.

Præparatio cranii humani, cornu alcis, cervi, unicornu, eboris & similium.

HOrum omnium vulgaris præparatio, hucusque (ante *Clarissim. Dn. D. Zwelferum*) commendata, fermè ab omnibus medicis rejicitur, propter sal volatile, quo animales partes gaudent, quod in illa præparatione consumitur & in auras evanescit, relicta terra damnata. Inde *Helmontius lib. de lithiasi cap. 3. th. 29.* scribit: Ossa animalium combusta nullum sal fixum retinent, sed tantum terram insipidam. Notabilis ergò stupiditatis est, ebur, & cornu cervinum calcinari in morborum præsidia, quia mercari jubent pulverem viribus orbatum: adeoque & crumenæ & spei ægrotorum imponunt, occasionem benè agendi prætereunt, ac seipsos ridiculos faciunt.

℞. *cranii humani*, (vel cornu cervi, seu aliud os sive cornu alicujus animalis,) *in minutissimam rasuram, beneficio limæ raspati*, q. v.

Contundatur in mortario lapideo, cum aqua aliqua appropriata & destillata ad pultis formam; quæ pasta chartæ albæ superextensa & inclusa, iterum exficcetur & pulverisetur, & hoc bis, ter, vel pluries repetatur, donec rasura in pulverem subtilissimum redigi queat.

Not. cranium humanum hic expetitur non humati, sed violenta morte interempti hominis, at sani, & si haberi potest suspensi, soli expositum & constellatum, hac etiam cautione, ut potiùs anteriorem, quam posteriorem ejus partem; & masculinum maribus, fœmininum

num fœmellis exhibeantur. Clarisſ. *Dn. D. Cnoffelius*, ſolo officulo triangulari ſeu triquetro fuit contentus, quod in craniis, (ſed non in omnibus) circa principium ſuturæ lambdoidis invenitur.

Magiſterium cinnabaris antimonii.

Rec. *cinnabaris* ℥ii *opt. purificati* & *pulveris.* ℥iv.
 ^ ⊕*li* *opt.* & *dephlegmat.* ℥vj.

Mixta immittantur ◯æ vitreæ, &, poſt peractam digeſtionem unius menſis in leniſſimo calore, affuſus ſpiritus denuò abſtrahatur. Tandem cinnabrium in fundo viri relictum, *aqu. flor. tiliæ* ſæpius lotum, & bene exſiccatum, ad uſum ſervetur.

Not. Hoc negotium, circa abſtractionem ^⊕*li*, ſi ſola evaporatione inſtituatur, & cinnabaris interea, ſpatula lignea, continuò agitetur, magiſterium evadet longè rubicundioris & pulchrioris coloris, ex quo cum menſtruo noſtro ſpecifico, tandem extrahi poteſt tinctura pulcherrima.

Vires nobiles ſunt in epilepſia, apoplexia, vertigine, aliisque morbis capitis; Prodeſt & in lue venereâ, aliis medicamentis ſpecificis adjunctum. DOS. à gr. v. ad vij. & ℈ß. in aquâ appropriatâ, Inde & componitur

Cephalicum Cnöffelianum.

Rec. *magiſt. cinnab.* ℥ii *præcedentis, bezoardici mineralis ſolaris* ā gr. v.
 ambr. grys. gr. iij. *moſch.* gr. j. M. F. pulvis.

VIRES titulus indicat. Medicinam hanc quidam medicus in Germania pro panacea habuit, à quo etiam Author accepit.

Pulvis purpureus Dn. D. Cnöffelii ſecretus ſive Arcanum ALEMETH. in Epilepſia, quartana, hydrope, podagra & lue venerea.

Rec. *pulv. noſtr. fix.* à gr. j. ad ij. *cœniotomii. noſt.* gr. ij. ad iv.
 bezoardici ☿*ial.* ☉*laris* à gr. vj. ad viij.

Miſceantur opt. in mortario lapideo ſeu vitreo in pulverem purpureum, ultimam proportionem obſervando, pro una doſi, & tales doſes n. iv. in quatuor dentur chartis; vel cum

*H Mella-

Mellaginis abstractæ anthosatæ q. s. formentur pilulæ minores, argento obducendæ.

Emulsio antepileptica Dn. D. Cnöffelii.

℞ *granor. pæoniæ excort.* ℥ß.
tiliæ, nucleor. cerasor. nigror. excortic. ā. ʒij.
sem. papaveris albi, & nigri ā. ʒiß.
liquoris tiliæ, vernali tempore coll. ℥iv.
aq. flor. tiliæ, pæoniæ ā. ℥ij. fiat emulsio, adde
gelatinæ cornu alcis, seu *cervi*, &, si haberi potest,
cranii humani ℥ß. *manus Christi perlat.* ʒj.
sedativi citrati pro viris g. j. ad g. ij.
nostri epileptici comp. q. s. *spir. cerasor. nigror.* ʒij.

Omnia optimè mixta, dividantur in duas partes æquales. Una pars exhibeatur sub noctem, vel in ipso paroxysmo, & paulò post, recollectis sensibus; alteram partem post mediam noctem, vel circa diluculum; post exhibitum medicamentum, per tres horas, nihil aliud adhibendum est.

Primum ENS seu liquor tiliæ,
cujus sæpius in manuscriptis Cnöffelianis fit mentio.

Est illa aqua seu succus mercurialis è tilia vulnerata, mense Februarii, ex caudice seu trunco, prope terram collectus. Modus colligendi eandem habet rationem cum succo betulæ, cujus & nos explicationem fecimus sub *cap. de medicamentis antinephriticis secretioribus Dn. D. Cnöffelii.* USUS hujus singularis est ad morbum comitialem. Quod *Cl. Joh. Tilemannus, in libello suo de materia medica*, affirmat, qui solo hoc liquore epilepticum integrè restituit.

DOSIS ℥iij. ad iv. Singulis diebus ter, sc. mane, meridie & vesperi.

Liquor colligitur, ut jam dictum, mense Februario, apud nos & mense Martio, accrescente lunâ, cum radicem tiliæ per transversum secueris; exstillans liquor in vasculo vitreato supposito collectus, in modum succi betulæ, purificetur, & postea per se, vel adjectis floribus tiliæ, fermentetur, aut destilletur, prout medico, qui illius usum desiderat, videbitur.

Beneficio hujus paratur & hydromel; item potus saccharatus, cujus modum (cum aliis liquoribus) extensè docet *Angelus Sala in Saccharologia & Hydrelaeologia.*

Si ta-

Si talibus arboribus (inquit *Clar. Joh. Tilemannus in libello de materia medica p. 307.*) solutio auri vel argenti implantata fuerit, nullis acidulis succus earum cedet, præsertim si quintâ essentiâ ⊕li participent.

Modum implantandi arboribus proprietates medicinales & specificas, docet Rev. Pat. *Athan. Kircherus in arte magnetica lib. 3. part. 3. cap. 1.* & *Phil. Guibertus in suo medico officioso cap. 9. de fruct. laxativis.*

Succorum conservatio fit 1. beneficio olei olivarum, pharmacopœorum communi more, si vas vitreum angustioris colli, cum succo prius depurato, ad orificium usque implebis, cui superaddas oleum de been, vel loco ejus olivarum, idque ad crassitudinem unius digiti supernatet. Vel 2. per modum *Angeli Salæ*, quem tradidit in scripto vel *tractat.* cujus titulus *de variis tum Chimicorum tum Galenistarum erroribus.* Succum, exempli gratia, betulæ, tiliæ vel cujusvis alius plantæ expressum, aliquandiu bullire, probè despumari, ac ad quartam partem humiditatis superfluæ leniter exhalari finito; deinde percolato & in vas vitreum infundito, addens unicuique libræ uncias duas cum dimidiâ spiritus vini, sine phlegmate; vas interim ritè obturato, & ad solem, aut alium in locum calidum per aliquot dies ponito, & succus reddetur purissimus, quem per inclinationem decantabis in aliud vas, quantum fieri poterit sine turbatione, relictis in fundo prioris vitri fecibus ibidem adhærentibus. Sic depuratus succus asservatur in annos citra corruptionis periculum.

Per modum *Helmontii, in tract. dispensat. modern, §. 21.* Succi rerum prælo expressi, solo odore cujusdam ignis sulphurei, manent deinceps absque saccharo vel alio additamento incorrupti, cujus favore acquirunt balsamicum aliquid, haustus æthereos sibi incorruptos transferunt ad magnam entelecheian.

Quinam sit iste processus, ex eo percipe, quomodo ellychnii sulphurati suffitu vinum conservatur. Modum vero, quo vitrum angusti orificii sulphurari possit, *Dn. D. Cnöffelius* annotavit hoc sensu, quem ex ejusdem MSto Germanico huc transfero: Ego lagenâ vitreâ inversâ fili sulphurati ardentis fumum excepi, idque sponte sua extingui passus sum, mox sine morâ succum (tiliæ, betulæ, berberorum vel citri) in illam infudi & orificium ejus arctè deligavi.

Aqua antepileptica.

℞ *liquoris tiliæ* ℔. iv. *phlegmatis* ⊕*li*, *vini*

vini opt. & generosi, Hungar. seu *Hispanici* ā. ℔. ij.
Qvibus successivè immergantur
flor. rec. tiliæ, lil. convall. primulæ veris, pæoniæ,
anthos, cheiri, lavendulæ ā. ℥iij.
salviæ, summitat. basilic.
rad. doronici ā. ℥j. *pæoniæ rec. cinnamomi* ā. ℥ij.
nuc. moschatæ, macis, cardamom. carpobalsami ā. ℥j.
cubebar. sem. coriandri ā. ℥ß.

Omnia debitô tempore collecta & infusa destillentur tandem in baln. vapor. so, ad siccitatem ferè specierum; aqua prolecta servetur usui, in vitro arctè clauso, cui &, si ita placuerit, *sirupi sequentis epileptici* q. s. pro conciliandâ gratiâ saporis addi potest.

Efficaciter valet in epilepticis, apoplecticis, vertiginosis, aliisque debilitatibus capitis. Epilepticos paroxysmos absumit & abrumpit, ac morbo isto percussos suscitat. In præservatione detur ejus dimidii cochlearis mensura, maximè circa mutationes lunæ. In curatione verò & in ipso insultu cochlearis integri mensura, quo tempore & in faciem ex alicujus ore vel ex manu inspergitur.

Sirupus epilepticus puerorum.

Rec. *flor. tiliæ odor. rec. collect.* ℔iij.
liquoris tiliæ in cellâ reservati & prius optimè calefacti ℔vj.

Stent in vase vitreo seu terreo vitreato atq; bene clauso per viginti quatuor horas; expressione factâ, infusio rursus calefiat, absque tamen ebullitione, ac reassumtis totidem novis floribus, infusio reiteretur, & post sufficientem macerationem iterum exprimatur; idq; tertia vice fiat. Jam

Rec. *hujus infusionis prius colat.* ℔iß. *sacchari albissimi* ℔ij.

ac sola dissolutione ejusdem, fiat sirupus clarus, qui in epilepsia, vertigine, hemicrania, cephalæa aliisque morbis capitis efficax est; ab ℥ß. ad ℥j. per se vel in vehiculis convenientibus propinandus, maximè verò in liquore arboris tiliæ, tali processu:

Cura epilepsiæ per acidulas vegetabiles.

Rec. *liquoris arboris tiliæ purificati* ℔. ij.
sirupi epileptici puerorum ℥iv.
🜄 *Vitrioli volatilis,* seu *viridis æris* q. s. ad gratum saporem.

Misceantur optimè. Julapium tali modo concinnatum, vitris clausis, ne quid

ne quid exspiret, in cellâ vel alio loco frigido asservatur: & ubi imbecillitas capitis illius usum exegerit, quotidiè duodecim unciæ propinentur, ita ut manè jejuno stomacho, & tribus horis ante prandium, calicu-lum unum, quatuor unciarum continentem ebibet; tribus post prandium horis itidem tot uncias; jejunando usq; ad cœnam; & tribus elapsis horis post cœnam, reliquas quatuor uncias, tamdiu continuando donec juverit. Interim æger, circa solstitia & æquinoctia uno vel altero medicamento solutivo specifico, (ex consilio docti medici) purgetur, quod facilè fieri potest cum sirupo nostro helleborato, suo loco descripto.

Spiritus antepilepticus compositus.

℞. ^ ⊕li *volatilis, virid. æris* ā. p. æquales. Misce.

VIRES cephalicæ sunt & antepilepticæ insignes.

DOSIS à ℈ß. ad ℈j. in aquâ appropriatâ.

Spiritus vitrioli compositus, antepilepticus.

℞. *phlegmatis* ⊕*li*, seu ^ ⊕*li roridi* q. v. scil. ℥xviij.
capitis mortui ⊕*li rubri* ℥j. *cranii humani* ʒiij.
visci quercin. ℥ß. *rad. pæoniæ* ʒj.
cinnab. ☿*ti* ʒiij. *sem. pæoniæ* tantundem.

Mixta destillentur per retortulam. DOS. à ℈ß. ad ℈j.

Spiritus vitrioli antepilepticus comp. Dn. D. Cn.

Dn. Mart. Metzkero M. Doct. communicatus.

℞ ⊕*li opt. dephlegmat. & calc.* q. v. adde
Spirit. Vini tantum, quantum phlegmatis ⊕*lum in calcinatione perdidit*, denuò ad quamvis ℔. prædicti spiritus adde
cranii humani, visci quercini, sem. pæoniæ, ungulæ alcis ā. ℥j.

Species prius contusæ & cum spiritu opt. agitatæ, post sufficientem digestionem, destillentur per ☊am, donec oleum prodeat. Jam
℞. *hujus destillati oleosi* ʒvj. *sp. alcoolisati salviati* ℥iij. Misce.
Vel ℞. *olei destillati* ℥ß. *Spirit. vini* ℥iij. Misce. DOS. in adultis gutt. x. ad xv. & ad ℈j. pro infante, gutt. v.

Spiritus vitrioli volatilis Dn. D. Cn.

℞. *phlegmatis* ⊕*li* q. v. in hoc solve
⊕*li purificat.* tantum, quantum in se suscipere vult.

Destillentur per phialam longi colli, capitello huic negotio apto, instru-

instructam, primo quidem lento cinerum igne, & ascendit ⊕li volatilis virescens, in epilepsia, vertigine & capitis affectibus præstans, insuper ad arcendam apoplexiam & paralysin medicamentum est desideratissimum. Datur cum vino vel aquis destillatis appropriatis, à ℈ß, ad ℈j. plus minusve pro dispositione ægroti & morbi conditione.

Spiritus viridis æris comp. D. D. C.

℞. *viridis æris* ℔iij. ♀*is vivi* ℔j. *arenæ puræ* ℔iv.

Mixta & prius pulverisata (excepta arena) indantur ⊙ æ vitreæ, & destillentur ex ∴, primo quidem lento & justè observato ignis regimine, postea fortiori. Et prodibit spiritus acidulo dulcis, gustui gratissimus.

VIRES. Cephalicus & pectoralis est, appetitum & excitat, & in asthmate est remedium sæpè probatum. DOS. à ℈ß. ad ℈j. cum aquis destillatis, sirupis, conservis, jusculis vel aliis vehiculis idoneis.

Corallia, margaritæ, & oculi ♋ phlegmate ⊕li soluta, præcipitat in magisteria butyracea, Elixir proprietatis cum s/ paratum eôdem ritè acidulatur. Ope etiam hujus fit curiosum spectaculum;

℞. *corall. rubr. gr. mod. contusorum vel C. C. raspati* q. v.
spiritus virid. æris comp. q. s.

Stent in digestione in cucurbitâ vitreâ & amplâ, quod solutum est, effundatur, & aliud menstruum affundatur. Solutiones conjunge & ad siccitatem lento calore totaliter exhalare permitte; sic in fundo relinquitur coagulum, in alio vitro mundo & spatioso affusâ aquâ destillatâ dissolvendum, & in locum tepidum reponendum; ibi, postquam humiditas absumta fuerit, assurget in speciem arbusculi coralloidis sive C. C. (quoad solutio ex hoc vel illo facta est) & quasi crescere videtur, intuentibus delectabile spectaculum.

Ros vitrioli sive spiritus vitrioli humidus.

QUandoquidem hujus phlegmatis ⊕li sæpè & multoties hic fit mentio, plurimis etiam compositionibus & præparationibus medicamentorum *Clar. Dn. D. A. Cnöffelii, p. m.* admiscetur, ac ab eodem in præcipuis curationibus panaceæ instar, adhibitum est, opus erit copiosiorem ejus facere mentionem, jungendo illam laudem & virtutem, quâ hoc medicamentum est dotatum, & quæ ab aliis medicis illi adscribitur.

Antiquis ut & plerisque nostræ ætatis Chimicis, prima ista ⊕li substantia incognita (*inquit Angel. Sala in tract. 1. de vitriolo c. 1.*) ideoque ab

ab iis inutilis ad instar phlegmatis, rejecta fuit. Quasi verò DEUS & natura [quæ se in omnibus Divinæ providentiæ partibus efficaciter exerit] frustra aliquid facerent. Hermetici dicunt, esse quandam quasi huj9 mundi margaritam; quam si agnovisset Galenus, procul dubio dimidiam suorum medicamentorum partem, quæ magno studio, multo labore, longis ac indefessis peregrinationibus, in Ægyptum, Palæstinam, Alexandriam, Romam, Cyprum, Lemnumque susceptis, deseruisset, & soli huic medicamento fidem ac fiduciam collocasset. Et sanè [scribit *Claudius Deodat. in Pantheo Hygiastico l.* 1. *c.*10.) si tota medicina non aliud ex toto ⊕lo haberet remedium, quam solum hoc phlegma, tamen id (licet solo nomine omnibus vilescat) inter cætera medicamenta ut gemma fulgeret, è cujus radiis plurima medicamenta scintillare possent. Atq; hic est ros ille benedictus, quem Dominus *DEUS*, tot virtutibus & dotibus locupletatum, humano generi pro sui Sanctissimi Nominis gloria est liberaliter elargitus. Experientia constat, (ex eodem *Authore*) hoc vitrioli phlegmate lichenas, impetigines, nomas, & erysipelata tolli, ulcera maligna repurgari, putrida mundificari, carcinomata eo colluta, ut & ulcera cacoethea ejus usu purgari, ac faciliorem medelam suscipere; Insuper ejus usu cutim poliri, & à quacunque scabie repurgari, ut in cuprifabris, fabrisve ærariis, nulla unquam scabie laborantibus videre est. Aphthis item eximiè prodest, & oris ex putredine natis exulcerationibus, quales post longas febres emergunt, vel scorbutum illum insolentem comitantur: unde utiliter eo os colluitur aqua aliqua conveniente, plantaginis, prunellæ, aut centumnodii remixto; sic partes stringit, putredinem & serpentia oris ulcera coercet ac persanat; laxis gingivis firmitudinem præstat, mucum & tartarum circa eorum radices hærentem abstergit, eademq; loca purificat gratum ori saporem inducit, linguæ fastidia tollit, quæ in ardentem pennam excurrere potuissent. Datur & hic liquor commodissime febrientibus aquâ cichorii, endiviæ, acetosæ, nymphææ, lactucæ, fragariæ, aut aliâ convenienti mixtum, lautâ sanè ac largâ dosi. Est enim remedium securissimum, quod purgato prius corpore, utpotè alterando febres fugat, quascunque viscerum obstructiones aperit, ac penetrat, oris amaritudinem tollit, & aufert, cibi fastidium adimit, appetentiam instaurat, prasinam bilem, ejusque ferociam domat, & quosvis fellis insolentes motus molestos, periculisque subinde plenos compescit, ac exustis internis calore partibus solamina præbet.

In

In epilepsia morbove comitiali cum aqua vel spiritu cerasorum nigrorum, aut cum stillatitio pæoniæ, aut florum tiliæ, lilii convallii, aut rorismarini vel dentariæ liquore saluberrimè porrigitur, præsertim si ex consensu ventriculi & nervorum sexti paris ei implantatorum conspiratione morbus originem traxerit, aut exinde dependeat.

In dyspepsia & bradypepsia ventriculi vino permixtum, utiliter exhibetur; In renum ac vesicæ obstructionibus, & urinæ suppressione, cum aq. saxifragiæ, ononidis & linariæ: at in hydrope cum aqua lumbricorum terrestrium & modico sirupi cinamomi, salubriter porrigitur: ut & in affectibus uterinis, cum aq. panacis Heraclei, Artemisiæ, melissæ &c.

Præter alias quamplurimas, quas in se hoc phlegma continet utilitates, longævitati maximè idoneas, vim quoque habet mundificandi, aperiendi, obstructiones referandi, ac viscera purificandi, & ab infarctibus liberandi. Humidum præterea radicale conservat, firmatque omnes ac singulas partes, nutricationi dicatas, sanguinis adustionibus, jecorisque exæstuationibus medetur, phlogoses reprimit, cerebri meatus aperit, internas putredines arcet, sudores movet, præsertim si cum aqu. cardui benedicti aut pimpinellæ porrigatur. Febrium pestiferarum malignitatem pessundat, ac in ipsa peste sudaturo cum aq. Stapediana porrectum, veneni vires frangit, eaque tàm in chimia quam medicina præstat opificia; Phlegma hoc etsi infirmius sit spiritu, at continuato usu, & idipsum præstat, quod spiritus, licet paulò tardius; Phlegma enim aquositate sua spiritus acrimoniam nonnihil retundit, ac ejus subtilitatem suo quodam pondere deprimit; ita ut agilitatis perfectio in phlegmate multo sit remissior, at verò etiam scrupulosis (tametsi nullus hic sit metus, nec ullius emergentis mali inexpectati formido) securior visa. Hæ sunt virtutes hujus nobilissimi medicamenti, pro quorum thesauro Domino Deo nostro Jesu Christo sit immortalis laus, honor, gloria, & gratiarum actio sempiterna.

Modus destillandi hoc phlegma sive rorem ⊕li facilis est, & omnibus pharmacopoliis notus, & describitur ab *Angelo Sala*, *Schrödero*, *Rolfincio*, aliisque quamplurimis medicis, præcipuè verò à *Paracelso* (qui summum dicit arcanum pro caduco in Vitriolo esse & non in oleo, sed volatilitate) ideò hic ejus processum recensere supersedeo. Id tamen sciat B. L. quod ex una specie vitrioli, major copia roris seu phlegmatis, cum suo spiritu volatili elicitur, quam ex alia; cui

Tabula hæc paginæ 57. Appendicis Anni VI. Ephem. est inserenda.

TABULA LABORUM RORIS VITRIOLI DIVERSIS TEMPORIBUS ET MODIS, VARIISQUE INSTRUMENTIS DESTILLATI.

Destillationis Añus	Destillationis Dies	Species vitrioli crudi.	Pondus ⊖li.	Vasa destillatoria.	Fornaces & gradus ignis.	Spatium temporis destillationis.	Quantitas phlegmatis extracti
1638	15. Febr.	Ex vitriolo Bohemico	libr. 5.	in retortâ terreâ	igne aperto in fornace probatoriâ	sex horis	℔iß.
1638	15. Mart.	Ex vitriolo Bohemico	libr. 6.	per alembic lapideum.	in fornace acediæ dictâ	sex horis	℔iß.
1654	13. Julii	Ex vitriolo Silesiaco	libr. 12. libr. 12.	per ollas terreas duplicatas.	in fornace calcinatoriâ tectâ	hor. 12. hor. 10.	unc. 38. unc. 30.
1654	21. Sept.	Ex vitriolo Hungarico in Poloniâ	libr. 12.	per ollas duplicatas Casimirianas.	in fornace dissolutoriâ tectâ,	hor. 24.	unc. 41.
1654	6. Nov.	Ex vitriolo Hungarico	libr. 11. libr. 12. libr. 12. libr. 12. libr. 12. libr. 12.	in sex cucurbitis ferreis.	in fornace ventosâ longâ.	hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24.	unc. 30. unc. 30. unc. 30. unc. 30. unc. 30. unc. 30.
1655	16. Mart.	Ex vitriolo Hungarico à Judæo Cr. empto.	libr. 12. libr. 12. libr. 12. libr. 12. libr. 12.	in quinque cucurbitis ferreis.	in fornace ventosâ longâ.	hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24.	unc. 44. unc. 34. unc. 44. unc. 34. unc. 34.

Destillationis Añus	Destillationis Dies	Species vitrioli crudi.	Pondus ⊖li.	Vasa destillatoria.	Fornaces & gradus ignis.	Spatium temporis destillationis.	Quantitas phlegmatis extracti
1655	18. Mart.	Ex vitriolo Svetico Dantisci empto	libr. 12. libr. 12. libr. 12. libr. 12.	1. in ollâ terr. 2. in ollâ terr. 3. in cucurbi- 4. tis ferreis	1. in fornace 2. calcinator. 3. ex arenâ 4. ex arenâ	hor. 24. hor. 24. hor. 24. hor. 24.	unc. 40. unc 40. unc. 50. unc. 50.
1655	12. April	Ex vitriolo Goslariensi	libr. 12.	in cucurbitâ ferreâ	fornace, ventolâ	hor. 18½.	unc 60.
1655	10. Maji	Ex vitriolo Goslariensi	libr. 12. libr. 12.	ex ollâ ferr. ex ollâ ferr.	in furno ventoso.	hor. 18½. hor. 18½.	unc. 63. unc. 63.
1655	25. Maji	Ex vitriolo Goslariensi	libr. 12.	ex cucurbitâ vitreâ.	in arenâ	hor. 24.	unc. 46.
1655	7. Junii	Ex vitriolo Goslariensi	libr. 12. libr. 12. libr. 12. libr. 12. libr. 12. libr. 12.	in sex cucurbitis ferreis.	in fornace ventosâ novâ & nondum exsiccatâ	hor. 28.	unc. 68. unc. 60. unc. 60. unc. 54. unc. 52. unc. 54.
1657	16. Julii	Ex vitriolo Hungarico	libr. 12. libr. 12. libr. 12.	Ex vitreâ. ex ferreâ ex ferreâ, cucurbitâ.	in fornace ventosâ.	hor. 26.	unc. 52. unc. 60. unc. 53.

cui & multum ad hoc negotium adjuvare solent vasa destillatoria, in quibus ratione materiæ maxima est diversitas, & multo major quantitas extrahitur ex ollis seu matraciis ferreis, si vitriolum inde destilletur, quam ex vasis terreis, lapideis, vitreis, seu vitreatis; quod ipse sæpius observavi, & *Cl. Dn. D. And. Cnöffelius*, in manuscripto suo laborum chimicorum sibi curiosè & diligenter annotavit; placuit ergò hîc annectere tabulam, ex quâ uno intuitu quasi oculis opponuntur labores circa hoc phlegma, quo diversis temporibus, ex diversæ speciei vitriolo, variisque vasis, à sæpè citato authore elaboratum fuit; & semper plus ex uno, quam ex alio extractum est.

(*Hic inseratur Tabula.*)

Crediderim vero, quod *Autor noster* tempore praxis suæ hujus phlegmatis vitrioli plus consumserit, quam fortasse omnes reliqui medici in Polonia spatio integri seculi; quod *ipsius observationes & curationes* contestari possent, si aliquando à consanguineis proderentur, & typis excuderentur. Id vero ut fiat, sicut cordicitus opto, sic inprimis laudati toties *magni nostri Andreæ Cnöffelii* Germano ex fratre filium, *D. Andream Cnöffelium Reg. Maj. Polon. Secretarium, medicum aulicum, & consulem Mariæburgensem, amicum meum singularem*, hisce peramanter invitatum volo, rogans ut hæc & alia patruelis sui MSSta, hactenus quasi sepulta, posteritati, pro hoc beneficio sine dubio perpetim gratæ, communicare velit.

Spiritus vitrioli roridus per cohobia.

PAracelsus in solo vitrioli phlegmate destillatione ad siccitatem usque peractâ non contentus ulterius progrediebatur colcothari nempe rubeo reddendo suum phlegma, idque toties cohobando, h. e. novies aut decies reaffundendo ac destillando, dum spiritus omnes humidi & sicci evocarentur ab ipso colcothare, unde longè potentius & efficacius reddebatur remedium. Qui ergò spiritum istum desiderat, is procedat in hunc modum.

℞. *vitriol. opt. Hungar.* ℔. v. destill. ex phialâ vitreâ s. terreâ per XX. Liquor s. phlegma colligatur & cohobetur super caput mortuum, destillando usque ad nonum alembicum: quæ phrasis Theophrasti in sensu disjuncto ita accipienda est, ut prior destillatio super caput mortuum per octo cohobia repetatur, atque sic per nonum alembicum labor absolvatur.

Not. Hoc phlegma, quod post quartam cohobationem colligitur, est ille spiritus vitrioli roridus communis à Cl. Dn. D. *Rolfincio in chimiâ in artis form. red. l. 3. c. 7.* descriptus, cephalicum & antepilepticum insigne, cujus dos. à ℈j. ad ℈ij. in aqua liliorum convall. s. qu. & ab ipso tingitur ligno paranambuci vel torna solis in colorem rubicundissimum.

Colcothar vero post nonam cohobationem cum suo phlegmate & spiritu prorsus imbuto indatur retortæ Waldenburgicæ & recipiente admoto atque gradibus ignis observatis in furno reverberii destillentur spiritus omnes humidi & sicci, qui tanquam thesaurus in vitro asservandi sunt.

Paracelsus imbibito hoc modo colcothari, (*per nonum sc. alembic.*) spir. vin. rectificati admiscebat tantum, quantum pro imbibitione sufficiebat, ut instar pastæ fieret; commixta post peractam digestionem per unum atque alterum diem, omnia dicto modo in recipiens nudo & simplici igne gradatim adaucto destillabat; tandem theriacalis aquæ camphoratæ quartâ parte adjunctâ denuo destillabat. Medicamentum inde in epilepsia admirandæ virtutis, & longè potentius ac efficacius quam phlegma antecedens, tam ad excitandum durante paroxysmo, quam ad præcavendum ac curandum morbum. ɒos. ℈ß. in liquore aliquo congruo. Hic spiritus ⊕li compositus, si rectè paratus est, solvit folia auri injecta, à chimicis *spiritus vitrioli aurificatus Paracelsi dictus.*

Spiritus vitrioli roridus per cohobia, à Dn. D. Andrea Cnöffelio, anno 1638. d. 15. Febr. & seqq. elaboratus.

HAc ipsa die Dn. D. *Bertramus* de suo vitriolo depurato ℔. v. in meo laboratorio destillationi destinavit. Phlegmatis leni igne inde prolecti ℔iß. quaterno cohobio abstracta est.

Die 16. 17. 18. 19. dicti mensis, qua ultima celebrabatur cohobatio proliciebantur tres octavæ ℔ræ, hæ die 22. capiti mortuo affusæ, ℥iß. destillatione reddiderunt.

Die 15. Martii, ⊕li ℔. vj. in cucurbita terreâ cum alembico vitreo in anemium missæ circiter ℔iß. phlegmatis reddebant.

D. 16. cap. mortuum suo phlegmate iterum nutritum, reddebat in destillatione ℔ij. ℥iv.

Die 17. in secundo cohobio accepi ℔j.

D. 18. in tertio cohobio accepi ℔ß. cum ℥ij. (f. ℥x.)
D. 19. in quarto cohobio accepi ℥vj.
D. 20. in quinto cohobio accepi ℥iiiß.
D. 21. in sexto cohobio accepi ℥iiß.
D. 30. in septimo cohobio accepi ℥ij.
D. 31. in octavo cohobio accepi ℥iß. quem liquorem iterum capiti mortuo affudi.

NB. *Paracelsus* voluit novem destillationes, quibus peractis omne phlegma à capite mortuo absorbetur, ut sic decimâ destillatione meri spiritus prodeant, & hoc ipse vult per nonum alembicum.

In isto labore hoc peculiare adverti, quod in quavis destillatione ⊖ ⊕*li volatile* in XXco sublimatur; & idem cum phlegmate elutum colcothari cum manifestâ semper ebullitione redditur.

D. 8. Aprilis, sex illas vitrioli libras, quas 15. Martii destillaveram, & postmodum septies cohobando, suo phlegmate nutriveram, mane destillare cœpi, per totam noctem urgendo opus, atque sic porro die 9. & 10. usque ad meridiem undecimæ, (toto eo tempore vapores commissuram vasorum penetrantes moschum gratissimè redolebant,) quando ignem extingui passus sum, & postmodum duodecimâ receptaculum removi; in eo spiritus densioris ac fortis ex brunno flavescentis uncias sex cum semisse reperi. Puto me plus potuisse acquirere, nisi animadvertissem vas seu urceum in fundo rupisse, adeoque non parum materiæ per rimas penitus rubras excidisse.

Notandum ergo in posterum, ut diligentius caveatur, ne in cohobationibus urceus in vehementi illa ebullitione rumpatur, (pedetentim itaque phlegma affundendum est, haut largiter aut confertim,) quin &, ut pro destillando cohobato colcothare recens urceus adhibeatur, eique tegula latior, pro defensione vasis ab ignis nimis vehementer feriente flammâ, substernatur. Colcothar residuum ex supra dictis sex libris materiæ destillationi destinatæ, pendebat jam libram unam cum unâ qvartâ.

Mixtura antepileptica in forma solida.

℞. *extract. opii inspiss. granor. pæoniæ inspiss. radic. mandragor.* ā. ʒß. *pæon. visc querc.* ā. ℥ij. *semin. papav. alb. & nigr.* ā. ʒvj. *mag. cran. hum. resol.* vel loco hujus *gelatinæ, corall. rubr. butyr.* ā. ℥j.

 Misc.

Misc. probè in mortario vitreo, sign. ut supra. DOSIS ℈ß. ad ℥. xv. & ℈j.

Mixtura antepileptica in formâ liquidâ.

℞. *spiritus sedativ. nostr. simpl.* ℥iv.
aq. flor. tiliæ c. propr. liquore destl. pæon. ex toto, sc. c. rad. & flor. cerasor. nigr. papav. errat. ā. ℥ij. *rad. pæon. pulverif.* ʒvj.
visc. quercin. subtil. pulv. semin. papav. alb. & nigr. ā. ℥ß.
cortic. mandragor. cran. hum. raspat. ā. ʒiij. *cinnab.* ♁ *ii* ʒj. ℈j.
camphor. (quæ aliquando omittebatur) ʒij. Pulverif. & cum liquoribus optimè prius commixta & agitata stent per quadraginta dies in leni digestione, postea colentur per linteum rarum.

Antepilepticum est excellentissimum. DOSIS est à ℈j. ad ʒj. & aliquando ʒij. & maximè circa paroxysmum. Sumitur etiam vel quotidiè, sed inprimis circa novilunium & reliquas lunæ quadraturas, præmissa purgatione cum pilulis nostris antepilepticis helleboratis.

Species pro extr. sedativo generali,
alias
Specificum antepilepticum Cnöffelianum.

℞. *scandal. rub. opt. pulv. apii nostri citrati* ā. ʒiij.
rad. solani, cort. mandragoræ,
gran. pæon. excort. ā. (prius pulv.) ℥ß.
sem. papav. albi & nigri ā. ʒvj. *cranii humani pulv.*
coralliior. rub. opt. præparat. seu *magist. butyr. visci quercini,*
rad. pæoniæ constell. ā. ℥ij.

Misceantur & fiat pulvis subtilissimus, cui adhuc adde
panaceæ ☉*aris* g. xx. *fixati* ʒj. (pro unica dosi & aliquando g. iij.) denuo misceantur in mortario lapideo. Est singulare remedium in omnibus affectibus capitis, præsertim in epilepsia, apoplexia, paraphrenitide, mania, vertigine, & memoria deperdita, aliisque morbis quamplurimis. DOSIS à ℈ß. ad ℈j. in aq. appropriata. *Inde fit*

Mixtura antepileptica ordinaria.

℞. *specificum antepilepticum tali modo concinnatum*, cui admiscebis *sedativi, (lil. convall. scil. cum phlegmate vitrioli superius descripti)* ℥xi.

Factâ circulatione per spatium unius mensis, subtile à spisso decantatum

tatum, aſſervetur in vitro benè clauſo, tandem & ultima bina ingredientia: ſcil. *panacea* ☉*aris* cum *fixato* jungi poſſunt.

Non ſolum in epilepſia & apoplexia, ſed & in omni inquietudine, perturbatione mentis, vigiliis & doloribus, atque turbationibus capitis, maximè in febribus calidis & malignis, cum deliriis, hanc medicinam cum exoptato ſucceſſu Clariſſ. Author adhibere ſolebat.

DOSIS ℈j. ad ℈ij. in emulſionibus conſuetis.

Mixtura topica ſive localis interna, & Extractum ſedativum generale Cl. Dn. D. Cnöffelii,

prout anno 1654. d. 3. Mart. ☽. fuit concinnatum.

Ex diar. MS. laborum chimicor. authoris.

1. Anno 1654. d. 3. Martii, ☽. infudi localem mixturam, prò futuro uſu, & proceſſu nuperrime DEI gratia invento, totam abſque defectu, (exceptis cran. human. & corall. alio, ut in ſequentibus patebit, modo tractandis) cum

℞ bis deſtillato, ſed tamen propter certas cauſas per deſtillationem in alcool non rectificato; hujus ſpirit. vin. pro una mixtura ſpecierum omnium prædictarum, pro prima extractione erant ℥xl.

2. Pro ſecunda & ulteriore infuſione extrahendarum ſpecierum prædictarum, iterum affudi ejusdem ſpirit. vin. ℥xl. ſtetit ab octava hujus usque in 13. diem Martii in infuſione, & ſic quinque diebus; filtravi extractam Ram, & cum præcedenti commiſcui.

3. Pro tertia & ulteriore infuſione harum ſpecierum, denuo affudi ſpirit. vin. non adeò rectificati (die 13. Martii) ℥xl. ſtetit usq; ad extractionem Ræ ad diem 19. Martii ♃.

4. Pro quarta & ulteriore infuſione ſpecierum, die 20. Martii, ♀. iterum affudi ſpirit. vin. non adeò rectificati, ℥xl. & iterum ſtetit ad extractionem Ræ, usque ad diem 27. ♀.

5. Pro quinta infuſione ſpecierum, die 27. ♀ denuo affudi ſpirit. vin. non adeò rectificati ℥xxx. ſtetit usque ad extractionem ad diem 6.

6. Pro ſexta infuſione ſpecierum, die 4. Aprilis denuo affudi ſpirit. vin. non adeò rectificati ℥xxx. ſtetit usque ad ſufficientem extractionem, diem nempe 14. Aprilis.

7. Pro ſeptima infuſione ſpecierum, die 15. Aprilis denuò affud.

ſpir. vin. non adeò rectificati ℥xxx. Stetit usque ad ſufficientem extractionem, diem nempe 5. Junii.

Spiritus omnes tincti, per cucurbitam in MB. abſtraxi, & in patella mea argentea tandem evaporando, ad conſiſtentiam & ſpiſſitudinem mellis redegi.

Not. ſpir. vin. iterum abſtractus, ad alios uſus, & pro ſpiritu ſedativo ſimplici aſſervandus eſt.

Extracto ſedativo ita parato, admiſceantur adhuc

magiſt. corall. butyrac. gelatinæ cranii humani ſeu *magiſterii* ā, ℥j.

Fiatque maſſa optimæ conſiſtentiæ. Sign. Extr. ſedativum generale.

Remedium excellens & ſingulare eſt, non ſolum in epilepſia, ſed & in mania, delirio, & aliis adhuc infirmitatibus cerebri, in quibus cum emolumento exhibetur.

DOSIS, ℈ß. ad ℈j. per ſe in forma pilularum, vel cum liquore quodam ſolutum, in, ante, & poſt inſultum.

Mixtura alia topica ſive localis interna,

alias

Sedativum generale per extracta dictum.

℞. *extract. ſandali rub. inſpiſſati, opii citrati inſpiſſ. granor. pæoniæ inſpiſſ. rad. mandragoræ* ā. ℨß. *papaveris alb. & nigr. (per expreſſ. & digeſt.)* ℨvj. *viſc. querc. inſpiſſ. rad. pæoniæ inſpiſſ.*
magiſt. cranii humani butyrac. (vel ejus loco *gelatinæ*) *coralliorum butyrac.* ā. ℥ij. *aq. cinamomi* ā. ℨvj.
phlegm. ⊕*li* ſeu 🜂 *ſedativi ſimpl.* ℥xx.
ſir. entis tiliæ, ſeu *pæoniæ* ℥vj.

M. F. Mixtura in duabus lagenis, una cum camphora, oleoſo ſive 🜂 camphorato, abſque ſirupo, altera ſine camphora.

Pomum epilepticum.

℞. *rad. pæoniæ conſtellat. viſci quercini ſuo tempore coll. granorum pæoniæ certo temp. coll. ungulæ alcis veræ, cranii humani raſpati, (triquetri) coralliorum rubr.* ā. ℥ij. *lap. ſmaragd.* ℨvj. ⊕*l. cypr. ſuccini pulveriſ.* ā. ℥j.

Omnia prius ſeparatim pulveriſata commiſceantur in mortario terreo vitreato, & cum gummi ceraſorum nigrorum in aq. pæoniæ ſeu liquore ar-

ce arboris tiliæ dissoluti q. s. fiat massa tenax, ex qua postea formentur duo poma manibus tenenda, ante accessum paroxysmi.

Ex hac massa fiunt & amuleta, in forma cordis, item globuli seu corallia variis formis, quæ collo appensa & circa manus alligata, præsidium sunt optimum ad præservationem ab epilepsia.

Nota 1. Pro fœminis adjiciatur & castoreum.

2. Cum speciebus & possunt repleri sacculi ex sindone rubrâ, qui & collo suspendendi ad regionem cordis.

3. Radix pæoniæ colligenda est mense Aprili, sole existente in ♈ & ☽a in ♉ mane ante exortum solis, quam & per se collo suspensam epilepsiam arcere ipsemet *Galenus* autumat *lib. 6. simpl.* in puerulo ab epilepsia infestato, qui gestata hac radice, inculpatè agebat, ipsâ verò decidente, protinus convulsionibus novis corripiebatur, ac demum ejusdem beneficio rursus sanitati fuit restitutus.

4. Viscum quercinum, ut & coryli nec non pyri arboris, item tiliæ & sambuci, (quæ omnia hanc mirificam virtutem habent repellendi epilepsiam, collo solum subnexa) colligitur ☽â decrescente inter duo Mariæ festa, hoc est à die 15. Aug. usque ad 8. Sept. Volunt autem illud, quod terram non attigerit, nobiliorque habetur illa pars, quæ quercui propior resecta est. Testes sunt: *Matthiol. Commentar. in lib. 3. Dioscor. Levin. Lemnius lib. 2. occult. Philosoph. 3. Lonicerus in herb. cap. de visco.* Unde & *Jodocus Harchius* de eo sic canit:

Quod legis è quercu, morbum curare caducum
viribus occultis, creditur esse potens.

5. Grana pæoniæ colligenda quoque sunt in plenilunio, suspenduntur & à nostris mulierculis, de collo & circa manus, pro arcenda epilepsia; (Sunt qui & loco illorum sibi *pisum Americanum coccineum*, alias abrus, eligunt;) quæ & teste *Camerario* cum aliis authorib⁹ perhibent utiliter adhiberi, in dentitionibus, febribus & spasmis puerorum; Perelegantia sunt, rotunda & nigra macula insignita, quæ corallia planè æmulantur, non modò corallinos globulos, nativi coloris elegantiâ provocant, sed etiam vincunt. Inde & propter elegantiam & duritiem è collo & brachiis gestantur. Quod nonnullas virgines nobiles interjectis parvis unionibus facere, observatur. Hispani pharmacopolæ iis loco granorum hordei ad pondera utuntur.

6. Ungula alcis & apud multos in magna est existimatione, insigni enim pollet adversus epilepsiam facultate, hystericæ item passioni

ſioni & cordis affectibus opitulatur; ſed non omnes ungulas hanc virtutem poſſidere ſcribunt, ſed pro ætate, ſexu, tempore, & ipſius jam unguis ratione, plurimum variare. Fœminæ ungulam hac facultate nequaquam pollere, verùm maris ſolùm, nec pulli, ſed adulti, idque eo tempore, quo in venerem ferri incipit hoc animal, nempe inter feſtum Aſſumtionis Mariæ & Nativitatis ejusdem, majorem virtutem & ungulis poſterioribus quam anterioribus adſcribunt, & horum quidam pedi dextro, alii ſiniſtro: alii omnes hac vi pollere, non ſine ratione aſſerunt: ſunt & qui velint, has ungulas ab animali adhuc vivente dicto tempore præſcindendas eſſe. Ut quis ab his morbis hujus unguis beneficio præſervetur, annulum ex eo confectum in annulari ſiniſtræ manus aut particulam collo ſuſpenſam geſtet, ut cordis regionem tangat. Teſtes ſunt *Andr. Baccius de alce, Schenckius Obſ. med. l. 1. Joh. Agricola lib. 2. med. herbar. Geſner. lib. de quadruped. cap. de Alce. Apollonius Menabenus. Aldrovandus de quadruped. Pedemont. in lib. de ſecret. Severinus Gœbelius de Alce. Petrus Monavius,* & *Joh. Daniel Mylius lib. antid. c. 6. Unzerus de epilepſia lib. 2. & plurimi alii.*

7. Cranium humanum. Cranium hîc eligitur hominis ſuſpenſi, ſolis & lunæ radiis expoſiti, & non humati: *Crollius* vult, ut pars anterior & non poſterior, & fœminæ fœmineum, ac mari maſculum accommodetur, inprimis oſſiculum illud triangulare & triquetrum, quod in nonnullis (alii in epilepticis, alii in ſtrangulatis) tantùm reperiri aſſerunt.

8. Corallium rubrum. Quod corallium rubrum, ad collum portatum, ex occulta quadam proprietate multis abundet virtutibus, quod & præſidium ſit, ad præſervationem ab epilepſiâ, teſtatur *Hugo Senenſis in tract. de epilepſia. Sylvius in ſua Practica. Nicol. Piſo de med. morb. Anton. Mizaldus in cent. ex Arnoldo Villanov.* & *Claudius Deodatus, Panth. Hygiaſt. lib. 1. p. 116.* qui ita ſcribit: Corallium à ſano geſtatum homine elegantiùs multò rubet, & ſi jam à morituro, aut periculosè laboranti geſtetur, palleſcit, liveſcit, variisque maculis fœdatur. Corallium eſt celebre amuletum, contra manes, dæmoniacas illuſiones, inſomnia falſa, terriculamenta, faſcinationes, incubos, incantationes, venena, epilepſiam, fulgura, fulmina, marinasque tempeſtates, & quævis pericula. Piſis in Italiâ, frutex elegans corallii cranio humano innatum, conſpicitur, qui præ aliis epilepſiæ remedium eſſe poteſt, modo tales frequentius invenirentur.

8. Vi-

9. Vitriolum, ad poma epileptica componenda, eligitur hic sapphirinum, quod ☉e in ♌ existente, tempore non pluvioso, sed sereno, frustulatim, radiis solis, horis 360. exponitur, donec albescat. Vitriolum ita concinnatum, est ille pulvis sympatheticus, de quo *Papinius in dissert. Digbæus*, & alii. Cum hoc ⊕lo Cyprio sapphirino adhuc crudo, experiri aliqui volunt, an æger ex morbo aliquo periculoso evasurus sit, si nempe guttula una atque altera sanguinis infirmi, ex basilica priùs extracti, (sive è naribus per se stillantis) super hunc lapidem instilletur, mutatio illius coloris, salutarem sive lethalem monstrabit eventum. Ex relatione Illustr. & Excell. Principis & Domini, *Dn. Lubomirsky*, Mareschalli Curiæ.

10. Smaragdum, vel è collo pendulum vel annulo gestatum, amuletum esse generosum, prodesse & comitiali morbo, omnes, qui ejus mentionem fecerunt, affirmant. *Cl. Ol. Wormius in museo c.* 18. ejus vires extendit. Contra epilepsiam puerorum collo suspensus, aut digito gestatus, eam impedit, ita ut aut morbum tollat, aut frangatur. Coxæ mulieris alligatus partum accelerat, ventri appositus eum retinet, ori inditus hæmorrhagiam sistit, & plures aliæ adhuc vires smaragdo à dicto Authore attribuuntur. Pro nostra compositione pomorum epileptic. loco illius Orientalis, substituitur & Europæus, qui in Cypro, Britanniâ, aliisque locis invenitur.

11. Succinum, ultimum hic ingrediens, ad conficienda poma epileptica est succinnum seu chrysolectrum, cujus genera, etsi plurima numerantur, attamen non nisi duo officinis in usum veniunt, album scil. & flavum seu citrinum. Ex succino albo in Borussia conficiuntur pentacula, cordis formam habentia, item sphærulæ & monilia circa collum & brachia, contra capitis frigidos affectus, & catarrhos, ubi præpediunt, ne destillationes in guttur ferantur; inprimis verò defendit ab epilepsia & peste collo ejus frustum periapti vice appensum, prius tamen septem planetariis pulsibus confrictum, de quibus *Helmontius de magn. vuln. curat. mihi fol.* 48. Globuli ex succino, & ad oculorum defluxiones, miro successu auxiliari dicuntur, annexi occipitio. Pila (inquit *Sennertus in med. pract. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 2.) è succino, si manibus gestetur & versetur, & incalescat, ac subinde naribus admoveatur, sine offensione excrementitios humores in capite absumit, idque roborat. Ex succino albo crassiusculè pulverisato, sacculus interpassatus, & essentia piperis longi, cum *spir. vin.* extractâ, madefactus calidè

lidè applicatus suturæ coronali, est specificum in doloribus capitis frigidis, quales sæpè vexare solent mulierculas. Authores sunt *Hartman. in pract. chym. de dolore capitis, & Clar. Joh. Ferd. Hertod. à T.* in suo aureo libello, tartaromastix Moraviæ intitulato, *part.1. p.37.*

Corallia rubra factitia contra epilepsiam.

QUoniam amuletorum hîc fit mentio, non abs re erit inserere unam & alteram coralliorum fictorum descriptionem, diversisque coloribus, quorum usus non solum ornandi causa est sed & in eundem finem, nempe contra morbum comitialem, aliosq; morbos capitis, instituitur. Ideo

℞. *rasuræ cranii humani, violenta morte interempti etiam per reiteratam impastationem, cum* ♁ *⊕li volat. q. s. in pulverem subtilissimum redactæ,*

fragmentor. coralliorum rub. cum succo arboris tiliæ seu pæoniæ subtil. præparatorum ã. ℔j.

rad. pæoniæ constellatæ, visci quern. pulveris. ã. ℥iij.

succini utriusque pulv. ℥iß. *lap. carpion. semilunar. supra eorum oculos reperibilium, quando haberi possunt*

cinnabrii antimonii & nativi ã. q. s. ad inducendum colorem nativum.

Omnia ac singula prius separatim pulverisata, & postea probè commixta cum albumine ovorum, vel mucilagine tragacanthæ (per succ. tiliæ facta) q. s. redigantur in massam rubicundissimam, ex qua postea, coralliorum formâ, globuli, vel tabulæ perforatæ formentur, qui tandem benè exsiccati & politi, filo (ex nervis pedis sinistri alcis) connectuntur, & collo appenduntur: possunt & in servire pro brachialibus, aut coronis precariis, vel pro pomis lusoriis, manibus ante paroxysmum tractandis.

Ex eâdem massâ & amuleta fingi possunt, cordis formâ. Sunt &, qui solum ex puris coralliorum fragmentis (prius in subtilissimum alcool redactis) cum albumine ovorum, & cinnabrio ♁ii seu nativô, q. s. ad naturæ æmulationem, globulos efformant.

Coralliorum imitationis modum docent *Joh. Bapt. Porta. Anshelm. Boëtius de Boot. lib. 2. de lap. & gemm. c.* 115. Item *R. P. Athan. Kircher. in mundo subterraneo lib. 12. part. 3.* & præ aliis satis curiosè *Cl. Joh. Ludov. Gans, Med. Franc. in histor. Coralliorum, c.* 10.

Et

Et nobis adhuc restant modi varii ad imitanda illa arbuscula coralli rubri, nempe ad externam formam & colorem, & ita accurati, ut à veris & naturalibus vix discerni possint, quorum descriptio in alio loco suo tempore communicabitur.

Corallia contra epilepsiam nigri coloris.

℞. *ungularum alcis in subtiliss. scobem redact.* ℔. ij.
lixivii cinerum fraxini, per aquam tiliæ seu *pæoniæ fact.* q. s.

Mixta stent in digestione per 14. dies, postea coquantur tam diu, donec materiæ liquescant & *in* pultis crassioris formam abeant. Separato pulmento adde

cranii alcis & *cornu alcis in olla nova & clausa ad nigredinem, vel tam diu, donec pulverisari possint, tostorum* ā. ℔j.

vel, quod melius erit, cranium & cornu alcis, limâ in subtilissimam scobem redacta, in mortario lapideo, cum *aq. pæoniæ* seu *tiliæ* q. s. in massam satis crassam impastata, super chartam deinceps claudendam extensa, iterum exsiccentur, & pulverisentur; labore eo bis vel ter repetito, donec in subtilissimum pulverem redigi queant; quibus adhuc adjicitur

gum. ladani, *benzoin.* ā. ℥iß *animæ,* *storacis* ā. ℥ß. *mosch.* & *ambr.* ad pl.	Pro fœminis loco horum admisceantur	*gum. animæ,* *galbani,* *myrrh. rub.* *succini* ā. ℥j. *castorei* & *camph.* ad pl.

& cum *mucilagine tragacantha*, per *aquam pæoniæ* vel *tiliæ* factâ fiat massa tenax, ex qua figurentur corallia, quæ benè exsiccata adhuc torno adhibito, poliri possunt. Globuli tandem perforati, filo trajecto, (ex nervis alcis, sinistri pedis scil.) collo & brachiis, loco coralliorum & margaritarum naturalium, inservire possunt. Ex massa formentur & in typo argenteo amuleta cordis formâ, collo appendenda; vel poma magna, circa paroxysmum manibus tenenda, prout curiosis placebit. Tempus efformandi globulos instituitur ☉e existente in ♌e, ☽â verò decrescente. Non solum epilepticis, sed & lunaticis inserviunt.

Amuletum cœlestinum,

contra vertiginem, melancholiam & ipsam epilepsiam.

℞. *cornu alcis raspat. & in subtil. pulv. redacti,*
cranii humani raspat. & in pulv. subtil. præp. (per reiteratam impastat. scil. cum aqua n. epileptica) ā. ℔ß.

stercoris

stercoris pavonis, succini albi subtil. pulverif. lapidis lazuli, armeni, ā. subtil. præp. q. s. *ad inducendum colorem cœlestinum.*

F. cum *gum. tragacanthæ* (per aquam pæoniæ prius dissoluto) q.s. pasta, unde formentur placentulæ rotundæ, vel cordis formæ, vel corallia perforata, quæ in umbra prius bene exsiccata à tornario poliri possunt, ac monilium & armillarum loco gestari debent. Vel ipsa pasta includatur capsulæ argenteæ perforatæ vel zendalo rubro, & suspendatur, ut jam dictum, de collo ad regionem cordis, ut stomachum tamen contingat. Virtutes horum titulus indicat.

CORCULUM BENEDICTUM CNOEFFELIANUM.

SÆpè à nobis præmemoratus p.m. Dn. D. *Andreas Cnœffelius*, Archiater quondam SS. RR. MMaj. Joannis Casimiri & Uladislai IV. Regum Polon. & Svec. aliam adhuc extraordinariam possidebat medicinam, lapidem nempe factitium, in forma cordis efformatum, hunc pro corculo suo benedicto habebat, (sic ei indiderat nomen) illud in capsula aurea perforata, formaque cordis elaborata, semper collo appensum secum portabat, rem pro magno & glorioso arcano, & thesauro singulari habens.

Usus hujus corculi benedicti erat in epilepsia, mania, delirio aliisque morbis capitis; item pectoris aliarumque partium; maximè in morbis acutis, malignis inquietudinibus, & in illis morbis, ubi aliquando tot symptomata, ac symptomata symptomatum fuerunt, ut vix morbus ipse dignosci potuerit.

Modum verò sequentem, *Cl. Dn. D. Cnœffelius* in administratione illius servavit. Hoc corculum perforatum, seu capsulam auream, multis foraminulis elaboratam, cum incluso lapide, immisit in liquorem aliquem, scil. destillatam aquam, decoctum hordei, vel aliquando etiam in simplicem aquam fontanam, ordinariè verò eligebat sibi emulsionem aliquam ex seminibus idoneis, vel amygdalis seu aliis nucleis, & similibus rebus extractam, quando eam habere potuit: Ibidem reliquit spatium, quo oratio Dominica recitari posset præter propter, pro constitutione morbi, & symptomatum, nonnunquam iteratis vicibus ter vel quater; liquorem itaque sic medicinâ infectum, infirmis suis postea (ut ego ipse sæpiùs observavi,) maximè delirantibus,

in

in febribus acutis, etiam fœminis hystericis, pro compescendo utero propinavit, vidi & hoc, quod sumto isto potu, paulo post infirmi quiescere & ad somnum inclinare soliti sint, expergefacti, se melius habuerint, & *Dominus Cnöffelius* sic medicamenta sua specifica, sibique familiaria & morbo resistentia adhibendi opportunitatem obtinuerit.



Capsulam verò auream seu corculum benedictum, cui hic lapis inclusus occultabatur, post dictam infusionem strophiolo abstergebat, id interdum propria lingua lingens, antequam è collo regioni cordis, iterum appenderet. Observavi etiam ipsum illam infusionem seu potum non facile administrasse, nisi in summa necessitate.

Tandem ex quibus *corculum hoc benedictum Cnöffelianum* fuerit compositum, ne videar invidus, libenter exponam. Dico itaque compositionem hujus lapidis in nullo recedere a *lapide Butleriano*, seu *Drief Helmontii*, & illum eandem cum hoc medicinam fuisse, cujus explicationem & descriptionem *Dn. D. Cnœffelius* (in reditu suo ex Gallia

lia per Belgium) ab ipsomet *Dn. Helmontio* accepit, ex libro manu scripto ejus, per me excerpto, quæ talis erat:

℞. ⊖is *philosophici* ℥iiiß. *sulphuris philosophici* ℥j. *usneæ cranii humani* ℥. iij.

Misc. ad mentem Helmontii tali pacto: Sali marino fuso, à fece extracto, ante omnimodam condensationem commisceatur subtriplum *entis veneris*; sigillum cooperiatur; dum autem refrixerint, contundatur in pulverem, cui adjungenda usnea; pulverem commixtum tandem, cum ichthyocollâ in trochiscos super lapidem compingi oportet, sic compos eris tui desiderii.

Hîc vero notandum, pulverem prius cum grano uno atque altero medullæ panis siliginei recentis & mollioris impastandum, postea cum ichthyocolla imbuendum & miscendum, sic tandem desideratum lapidem efformandum, quem exsiccare tandem oportet inclusum charta, in loco umbroso & temperato.

Alioquin absque pane negotium non bene succedit, quod compendium *Helmontius* silendo transivit.

Paratur & *Drief Helmontii* modò in Germania à multis curiosis doctisque viris, an verò promissis hoc remedium respondeat viribus, mihi adhuc experiri non licuit.

Quæritur & hîc, *ens veneris Helmontii* quid sit? & quomodo ita dicatur? quomodo præparetur? quo fine? quos usus præstet? quid habeat? Hîc solum aliquid de ejus usu & virtute; qui plura desiderat, inspiciat *Helmontii tract de lithiasi*, & quidem integrum caput octavum, ubi fusius materiam hanc tractat. Hujus fixati, quod *Helmontius pag.* 347. [*in quarto edit. noviss.*) commendat, fit & mentio *à Joh. Pharam. Rhumelio, in Antidotario suo chym. p.* 151. sed non satis sequestrati. *Clariss. Dominus D. Andr. Cnœffelius* in præparatione atque sublimatione illius seqentem hanc observabat proportionem & modum:

℞. *vitrioli scil. phil prius calcinati*, p. ij. ⊖ *✱ci* part. j.

Terantur primò singula, post misceantur exactè & chimico more sublimentur; labor iterum iterumque repetendus, scil. quater vel quinquies, semper admixto proprio capite mortuo, ubi in singula elevatione copia florum minuitur. Vide plura superius in præparatione medicamentorum sedativorum, ubi explanatius & dilucidius sulphuris philosophici fit mentio.

Sal-

Sal marinum philosophicum est sal illud, ex capite mortuo salis marini, post destillationem spir. extract.

De usnea cranii hominis videatur citatus *Helmontius de vulnerum curatione* §. 41 *usque ad* §. 62.

TITULUS VIII.

OPHTHALMICA.

Vinum medicatum polychrestum,

primario quidem & principaliter directum ad vitia oculorum, sive ad visus obscuritatem ex humoribus frigidis causatam: secundariò autem ad oppilationes venarum & omnis generis venena,

S. R. Maj. SIGISMUNDI III. Pol. & Suec. Regis.

℞ *herb. & flor. euphrasiæ* m. x. *rorismarini* m. v.
betonicæ m. iv. *botryos*, *salviæ* ā. m. iij.
chelidonii, *verbenæ maris* m. iß. *cardui benedicti* m. ij.
flor. calendulæ m. j. *stœchad. Arab. sem. fœnic. sileris montan.* ā m. ij.
cort. citri m. iv. *ligni sassafras concisi* ℥x.
rad. zedoariæ ℥j. *diptami albi*, *ireos flor.* ā. ℥ij. *cardamomi* ℥j.

Conscindantur herbæ paululum exsiccatæ, demptis stipitibus, & cum reliquis ingredientibus crassiusculè contusis misceantur, & in tres partes æquales divisæ, sacculisque oblongis immissæ, ac in vini Rhenani recentis, seu musti vasculo, quod Amam vocant, immergantur, macerenturque per tres vel quatuor septimanas, ut hoc pacto vinum illud cum herbis effervescat, & vis illarum extrahatur, cumque vini substantiâ uniatur. Postea sacculi extrahantur è vase, ut feces ad fundum residéant, & vinum clarescat, atque ad usum accommodari possit.

DOTES & VIRES. VINUM hoc MEDICATUM licet propter sua ingredientia præstantissima variis polleat viribus, tum ob herbas ophthalmicas, præcipuè euphrasiam, quæ basis hujus compositionis est, valet mirificè ad omnes affectiones oculorum, & frigidâ & humidâ causâ ortas: utpote ad incipientes cataractas seu suffusiones, lippitudines, aliasque visus debilitates, tàm avertendas, quam profligandas, eò quod cerebrum debile roborat, & defluxiones ejus frigidas exsiccat; imagines, culices, muscas, aliaque corpuscula oculis obversan-

tia

tia dispellit, oculosque caligantes emendat, spiritus visivos reficit, roborat & auget.

Secundariò autem propter alia ingredientia cephalica, stomachica, hepatica, cordialia & alexiterica compositioni huic inserta, hepatis oppilationes aperit, ictéritiam sanat pectoris & pulmonum vitiis succurrit, asthmati & orthopnœæ medetur; paralysin, epilepsiam, vertiginem, colicam, & alios morbos ex frigida causa exortos extirpat: uteri superfluitates ac intemperiem frigidam & humidam tollit. Venenis ac præcipuè lui pestiferæ præstantissimum est remedium, tam præservativum, quam curativum.

Quod si autem vinum illud medicatum ad solam visivam potentiam roborandam, & organa ejus conservanda, dirigi debeat, tunc sequens compositio seu recepta accipiatur, quæ ut simplicior, ita etiam gratior erit palato:

℞. *fol. & flor. euphrasiæ. betonicæ, chelidonii* ā. m. ij.
rorismarini, salviæ ā m. iij. *sem. fœniculi* ℥iv. *siler. mont.* ℥j.
ligni sassafras concisi ℥iij.

Incidantur herbæ remotis stipitibus, & misceantur, sacculoque oblongo, ex tela munda, aut sindone alba immittantur, & sic musto seu vino recenti Rhenano immersæ, macerentur per tres aut quatuor septimanas, ut vis herbarum eo melius extrahatur, & cum substantia vini uniatur.

Hanc descriptionem, S. R. Maj. VLADISLAUS IV. ad examinandum, Collegio suo Medico obtulit, quam adhuc à Parente suo p. m. Ser. Pol. & Suec. Rege, SIGISMUNDO III. recommendatam habuit.

Aqua ophthalmica D. D. C.

℞. *aq. still. spermatis ranarum* ℥xvj. *phlegmatis* ⊕*li* ℥viij. *spermatis ceti* ℈ij. *essent. rosarum* gutt. aliquot.
Ex cosmet. myrrhisat. pro pauca lactescentia q. s. misceantur.

Hanc compositionem in duplo Cl. Dn. D. Cnöffelius Anno 1656. d. 29. Julii sibi præparavit, pro futurâ ægrorum & sufficiente provisione.

VIRES sunt in amblyopia, amaurosi & suffusione.

Aqua ophthalmica alia D. D. C.

qua curatus fuit Dn. Præcopius, Theol. in xenodochio ap. S. Elisabetam Dantisci, & Thomas Sarabanda, obcœcatus è cataracta.

℞. *mucag.*

℞. *mucag. aquat.* ℞ *l.* per XX. ℔iij. *crudæ*, *translat.*
phlegmatis ⊕*li* ā. ℔j. *aq. nivis seu glaciei mens. Mart. collectæ* ℔iß.
quibus adde, ad singulam liquoris ℔ß. *spermatis ceti* ℈j.
Misceantur probè, stent in loco temperato per aliquot dies, postea filtrentur per linteum purum. Patiens de hac mixtura instillet decies, seu vigesies, pluribus & paucioribus pro commoditate vicibus, in dorso decumbens, usque ad meliorationem & totalem recuperationem visûs.

Collyrium Cl. Dn. D. Joan. Felveri.

Rec. *phlegmatis* ⊕*li* & *aluminis* ā. p. æqual. scil. ℥iß.
croci metallorum, *sacchari* ♄*ni* ā. ℈iß.
tutiæ præparatæ quàm subtilissimè ℈j.
Stent per mensem in digestione, postea filtrentur; cum extremitate subtilis penicilli, hâc mixturâ imbuti, oculus subtiliter abstergatur, vel ad canthum una & altera guttula instilletur.

Aqua ocularis externa.

℞. *succi ex amput. palmitibus vitis*, *spermatis ranar. reservati* ā. ℔ij.
phlegmatis ⊕*li* ℔j. Quibus immergantur suo tempore
flor. calendulæ, *cyani*, *cichor.* *rosar.*
herb. chelidoniæ, *euphrasiæ*, *fœniculi* ā. q. s. Stent per dies aliquot in digestione, post adhuc adde *cancrorum contusor.* n. vij.
hepata mustelæ piscis, prius in clibano in liquorem reducta n. xxx.
Mixta destillentur in B. vaporoso ad siccitatem fermè totalem florum & herbarum. Liquor stillatus servetur in vitro benè clauso.

Magnarum virtutum est, ad omnem visus infirmitatem, inflammationes & oculorum ruborem nempe aufert, sordes detergit, lachrymas exsiccat, ulcera sanat, suffusionem & cataractam curat & impedit, insuper ad claritatem oculis augendam & robur tunicis conciliandum, est aqua efficacissima.

Errhinum Cnöffelianum, in suffusione oculorum.

℞. *flor. lilior. convall. in alcool redact.* ʒij. *rad. ireos flor.* ʒj.
cœnotomii nostr. pro conditione morbi q. s.
essent. ros. seu ol. Rhod. gtt. iij.
Misceatur in mortario lapideo & F. pulv. subtilissimus, in scatula munda seu pyxidula asservandus.

TITULUS IX.

O T I C A.

In surditate symptomatica.

I.

Clarissimus Dominus D. *Gablowitzki*, Ser. piè defuncti Episcopi, Caroli Ferdinandi, Princ. Pol. & Suec. Medicus ordinarius, in symptomatica surditate, cum dolore Sac. Reg. Maj. Anno 1648. mense Januario, auri sinistræ superveniente, commendabat *colocynthidis pomum, cum calefacto oleo amygdalarum amararum bene impregnatum, post fortissimè expressum.* De expresso hoc oleo colocynthinato cum bombace excepto, ponatur in aurem bis vel ter indies.

2. Ex consilio autem D. D. *Cnöffelii* observavi, auditum S. Reg. Maj. brevi post restitutum fuisse, ♀ri sassafrato, leviter tepefacto, & bombace excepto atque in aurem posito, suppositis statim linteaminibus probè calefactis ad extra per dimidiam horam.

3. Anno 1649. rediit dolor, cum surditate, strepitu & fluxu excrementoso, ubi *Cl. Cnöffelius* denuò præscriptum remedium repetiit, sed absque levamine, inde & *balsamum* hoc adhibuit, quod

℞. ♎us ♀ri rectificatissi. & sassafrati,
elixir. propriet. sine ♀ris ā. ℥ß. ol. hypericonis, succini ā. ℈ß.
simili dicto modo fuit adhibitum, & S. R. Majestas ex reiterato usu per tres dies iterum convaluit.

4. Juvenis studiosus à septennio aure dextra difficulter, & aliquando vix audivit. Cura ejus sic fuit instituta. Primo purgatus fuit pilulis anethinis, pòst scacrificationes factæ sunt circa scapulas & cucurbitula admota. Postea usus est hoc topico, quod

℞. *formicarum*, ♀ri *rectif.* *sassafratii* ā. ℥ß.
extr. castorei ℈j. *ol. succini, seu spiritus* gtt. x. M.
Mixturam cum bombace exceptam intrudat in aurem, & illibi per diem & noctem servet, applicato semper pressius linteamine intensè calefacto, pro imposita medicina in actum transspirationis intimioris promovenda.

Arcanum in surditate

Clarissimo Dn. D. Luberto Erbenio à quodam mercatore Gedanensi communicatum, huc annectere etiam placuit.

℞. raphan

℞. *raphanum unum vel plures* pro pl. Præſcinde capitulum vel taleolum, excavato infunde *aq. majoran.* quantum capiet, taleoloque præciſo, iterum tege foramen ſuperius ipſius raphani, defodendo illum intra terram, per dies tres vel plures, exempto raphano, *aq. majoran.* tot diebus detenta, effundatur & ſervetur pro uſu. Hujus nempe liquoris cochlear. indies bis, mane ſcil. & veſperi, vel ſæpius immittatur in aures.

TITULUS X.

ODONTALGICA.

Pulvis ad dentifricia moſchatus Sereniſſ. CÆCILIÆ RENATÆ, p. m. Reginæ Polon.

℞. *orizæ finiſſ.* ℥iij. *pumicis calc. & aliquoties in lacte extincti, coralliorum rub. tritorum, lapid. ſilicum calcinat.*
& in. m. in pulv. redact. ā ℥j.
rad. ireos pulv. ℥j. ʒij. *aluminis uſti, ſalis comm.* ā ʒj.
moſch. ambr. ā, g. vj. *ol. roſar. ver. ſtil.* gutt. iij. *fol. auri* n. 4.

Fiat omnium pulvis, non admodum ſubtilis. Mucoſos dentes à ſordibus purgat, & omnem tartarum corroſivum abſtergit, dentes quoque dealbat, & vacillantes firmos reddit.

Pulv. ad dentifricia alius Ser. Reginæ. Ex ord. Dn. D. Teuberi, Medici Ord. Ser. Reginæ.

℞. *lap. pumicis pulv.* ℥ß. *corall. rub. & alb.* ā. ʒiiß.
aluminis ʒiß. *rad. ireos flor.* ℥j.

Fiat pulvis non admodum ſubtilis. Cui adde
ambræ & moſchi or. ā. g. v. *ol. roſar. ſtil. ver. ex floribus* gutt. iij.

Miſceantur probè pulvis in ſcatula munda ſervetur ad uſum. Ad dentes purgandos & dealbandos remedium excellens eſt. Cujus quotidianus uſus adhuc in Polonia apud multas matronas obſervatur.

Not. Ex pulvere præſcripto, cum mucilagine tragacanthæ (per aq. ſalv. facta) fit maſſa tenaciſſimæ conſiſtentiæ, ex qua formantur ſtyli dentifricii in umbra lente exſiccandi. Omnem nigredinem & colorem vitioſum abſtergunt, & dentes de novo albos & politos reddunt, ſi quotidiè his fricentur.

Tinctura perbella Ser. Reginæ CÆCILIÆ ad gingivas tumentes & sanguinolentas.

Rec. *aq. fol. salviæ, quercin.* ā. ℥vj. *phlegmat.* ⊕*li,* ○*nis* ā. ℥iij.
gummi lacc. (in bacillis) *pulver.* ʒvj. *aluminis* ʒiß.

Mixta stent in digestione per diem & noctem, posteà filtrentur per chartam. Tinctura rubini instar servetur usui. VIRES titulus indicat.

Tinctura odontalgica D. D. C.

Rec. *rad. pyrethri, lign. sassafras* a. ʒij.
sem. hyoscyami, caryophyll. massæ pil. de tribus a. ʒj.

Incisa & contusa infundantur, in *sp. n. sedativo simpl.* ℥vj.
Stent per dies tres in digestione vel diutius, filtratæ ℞æ adde
extracti sedativi liquidi citrati, seu *tinct. granorum quietis* ad plac.

Dentibus dolentibus summopere medetur, si dimidium cochlear hujus ℞æ in ore per dimidium quadrantem horæ contineatur, postea iterum exspuatur, & , si opus est, secunda & tertia vice usus reiteretur. Idem præstat & seq.

Balsamum odontalgicum.

Rec. *ol. stil. caryophyllor. camphor. buxi* a. ℈j.
nuc. mosch. express. q. s. pro consistentia balsami,
adde *extr. opii* ℈iß. *fuliginis splendentis q. s. pro tingendo in nigredinem.*

Fiat balsamum. Omnem dolorem dentium (gossypio exceptum & cavernis impositum) ex quacunque causa ortum, tollit.

Balsamum aliud odontalgicum.

Rec. *ol. caryophyllor.* ʒij. in quo dissolve *camphor.* g. xxiv.
adde *ol. nucis moschat. express.* q. s. pro consistentia, tandem admiscentur *extr. granor. quietis* g. xv. *fuliginis splendentis* q. s. pro tingendo M. F. Balsamum. Odontalgiam subitò aufert, quod ipse sæpiùs expertus.

Balsamum puerorum dentientium.

Rec. *butyri majalis non saliti* ℥iv. *pinguedinis gallin. anatis* a. ℥ß.
succi expressi cancrorum fluviatil. sedi majoris a. ℥iij.

Coquantur in diplomate ad consumptionem humiditatis, in fine adde
sanguinis extracti ex cristis galli ℈v. & post unam & alteram reiteratam ebullitionem exprimantur, ubi adhuc admiscere poteris

sacchar

sacchari canti q. s. pro dulcedine. M. F. linimentum pro gingivis infantium.

Massularum aliquot genera in odontalgia.

I.

℞. *opii correcti, fuliginis splendentis* ā. ℈j.
sem. hyoscyami, camphor. ā. ℈ß.
cum *ol. nuc. moschat. expressi* q. s. Fiat massa pro dentibus dolentibus.

2.

Vel ℞. *gum. tacamahacæ, laudani opiati* ā. g. iij.
camphor. g. ij. cum *ol. caryophyllor.* q. s. Fiat massula.

3.

Item ℞. ⊕*li usti* ʒj. *opii correct.* ℈ij. *cort. mandrag. oleum philosophor.* ā. ℈ß. *mass. pil. Ruffi* q. s. pro consistentia. Fiat massa.

4.

℞. *extr. granor. quietis* ℈j. ♆ ⊕*li anod.* ℈ß.
camphor. g. vj. (in ol. caryophyll. q. s. dissol.)
oleum nuc. mosch. ʒß. *pulv. caryophyll.* q. s. M.
F. Massa duriuscula, cavernis dentium imponenda.

Granum piperis in spir. vin. maceratum & accensum, subitò dolores dentium sistit, si cavernis imponitur.

Linimentum ad gingivas tumentes & putridas

Cl. Dn. D. And. Cnöffelii.

℞. *sang. draconis myrrh. masticis* ā. ℈iß.
croci ♂*is, aluminis* ā. ℈j. *mellis rosati* q. s.
M. F. linimentum pro dentibus vacillantibus. Adde *ol. jasmini* guttas aliquot.

TITULUS XI.
PECTORALIA.

Medicamentum antihecticum

Clariss. Dn. D. Andr. Cnœffelii Archiatri Regii.

Rec. *sulphuris citrini opt. pulv. ol. lini recent.* ā. ℔iij.
Mixta coquantur in vase magno & amplo cupreo, super ignem quidem lenissimum, spatula lignea, subinde agitando donec inspissescere incipiant, tunc removeatur ahenum ab igne, & impone vasi grandiusculo,

diusculo, aqua frigida impleto, tum materia ascendet, & condensabitur instar hepatis, tota spongiosa, quam prius refrigeratam, & exemptam in tabula lignea, conscinde in frustula minima; & indatur retortæ Waldenburgicæ fortissimæ, lutoque bene munitæ. Post imponatur illa furno reverberii & adaptato recipiente, justoque observato ignis regimine, instituatur destillatio. Primo exibit, per 5. horas Phlegma, postea liquor lacteus, qui etiam ad 6. vel 7. horas continuabit; Quo tempore per 15. horas, caute procedendum erit, & igne quidem discretissimo, (si recipientem conservare nec in cassum laborare velis, quod amice te moneo) donec nubeculæ albæ progredi incipiant, ubi ignem jam, adjectis aliquibus carbonibus, gradatim augere potes, & exibit oleum rubicundissimum, in quo gradu ignis tunc temporis calor continuo conservandus est, usque ad totalem humiditatis radicalis expulsionem, & quousque nebulæ egredientes non amplius conspiciuntur, ubi extrema tandem ignis violentia continuetur, ut retorta candeat, sic adhuc prodibit oleum crassum, instar butyri, in minima tamen quantitate.

In hac ultima destillatione videbis (maxime noctu) fornacem totam, cærulei coloris, tanquam tota sulphure accenso arderet, totaque domus implebitur odore sulphureo, & omnia ferme vasa metallica, maxime argentea & cuprea, & omnia ferramenta inde in tota domo inficientur, diversisque coloribus atque ærugine imbuentur, adeo subtilis est iste spiritus, ut omnia vasa & parietes fornacum, etiam munitissima penetrare soleat. Quo viso, ignis amoveatur, ut omnia refrigescant.

Absoluta destillatione, liquor lacteus separetur ab oleo, quod in durissimam & spissam materiam sese coagulare solet, quæ tamen facile super ignem iterum liquescit; Hujus

ol. coagulati accipiatur p. ij. *colcotharis* ⊕*li* p. j.

& supra ignem in patella magna, spatula lignea probe misceantur; Quæ materia copulata, & refrigerata atque in frustula parva prius confracta denuo ex arena, per retortam vitream, destillanda est, ac iterum, spatio 24 horarum exibit phlegma cum oleo, tandem & igne adaucto & compresso, cum spiritibus oleum simul crassum, instar gelatinæ, quod totum expellendum & a phlegmate iterum separandum est.

Tandem accipe

olei hujus a phlegmate separati (e. g.) ℥iv. *anisi* ℥ij.

Mixta in phiala, hermetice clausa stent per mensem, in lenissima & philosophica digestione, & tamdiu, donec optime uniantur. Sic habebis

-bebis Ram veram hecticam rubini instar, quæ ad curandam phthisin, & ad omnes morbos pulmonum & pectoris, summum est arcanum, quale melius in mundo inveniri vix potest, pro quo

Nomen DOMINI in æternum sit benedictum.

Not. In peste tam præservationis, quàm curationis causa est medicamentum Divinum. Simul antepilepticum & antilunaticum, & quod jecori & pulmonibus prodesse possit, ipsa signatura hujus balsami ostendit. Dosis à gr. iij. ad vij. & ℈ß. in vehiculis adpropriatis.

NB. Melius succedit labor, si aliquid salis ♀ri sulphuri crudo permisceatur, & post, dicto modo, cum oleo lini coquatur.

Meminit & hujus medicamenti oleosi *Cl. D. Joh. Agricola in suo de sulphure tract. p. 397. & Joh. Poppius in Hodegetico.* Qui tincturam sulphuris in salutem corporis humani efficacem vocat, quæ totum corpus, ut antimonium aurum, mundare, splendores gemmarum (ex sua experientia turcoidem) flaccescentes erigere, & exaltare scribit. Et *Paracelsus* similia recitat; sed quomodo languentibus pretiosis gemmis medicinam adhibere, emortuumque vigorem & splendorem restituere valeat (*inquit Cl. Rolfincius dissertatione chim. de sulphure c. 17.*) non liquet. *Clariss. Agricola* se multa effecisse ait cum oleo rubro in colica, calculo, paralysi & contractura membrorum, item in expellendis lumbricis, & ulceribus antiquis fœtidis. Hoc quidem certum est, quod liquor lacteus, in prima destillatione superius ab oleo separatus, & interim asservatus, (qui alias interne nullum usum habet) singulare est remedium externum, in scabie, psora, lepra & alopecia leprosa. Convenit & virginibus in facie pustulosis, & illis qui morphea, gutta rosacea & hydrophobia laborant, per se, vel cum aliis admixtis liquoribus adhibitus.

Pilulæ ad defluxiones nocturnas.

Rec. *succi glycyrrh. inspiss. storacis calamitæ, benzoes in granis, thuris albi* ā. ℈j.
extr. granorum quietis ℥. iv. *enulæ campan.* ℥. viij.
M. *cum elixir. proprietat. balf.* q. s. formentur pilulæ, magnit. ad pil. Dos. ʒj. exhib. ituro cubitum.

Sirupus pectoralis solutivus Cl. Dn. D. Cablovvitskii

Rec. *rad. glycyrrh.* ʒß. *polypod.* ʒj. *farfar. helen. petroselin. tussilagin. fœnicul.* ā. ʒß.

Herb.

herb. capill. ♀ m. j. *botryos, scabiof. salv. cochlear. veron.* ā. m. ß.
flor. malv. arbor. heder. terr. violar. mart. genist. a. p. ij.
sem. anis. fœnic. ā. ℥j. *urtic. nasturt. aquat.* ā. ʒij
squill. præp. ʒvi. *passular. major. exacinatar.* ℥ij.
dactylor. pingu. à cuticula interna purgatorum n. xx.
caricar. n. xxv. *jujubar. sebest.* ā. n. x.

Incisa & crassiusculè contusa coquantur in *aq. hordei* ℔. x. ad consumptionem tertiæ partis; In expressione adhuc calida infund. per hor. 24. *fabarum antiquarum & grosso modo contusar.* & *furfuris tritici à farina benè excussi* (melius *pulv. grossi rad. ireos*) ā. ℥j. F. lenta una atque altera ebullitio & colatura sine expressione; in qua infund.

fol. senn. el. ℥v. *agar. alb. sem. carth. excort.* ā. ℥j.
fol. hyssop. ℥ß. *cinam.* ʒvj. *mac.* ʒij. *zingib.* ⊖ ♀ri ā. ʒj.

Macerentur per 2. dies continuos, in balneo tepido, deinde F. omnium levis ebullitio, colatura & expressio. Cui adde

sacch. albi ℔iv. Clarificentur albumine ovorum, (melius ante infusionem purgantium) & coquantur igne lento ad sirupi consistentiam.

Sirupus violarum compositus S. R. Maj. JOHANNIS CASIMIRI ex præscriptione Cl. Dn. D. Cnöffelii.

℞. *aqv. pectoralis asthmat. officinæ regiæ,*
tussilaginis, veronicæ ā. ℥iv. *papaveris albi* ℥iij.

Quibus aquis, ferventissimis prius factis, immergantur

flor. violar. mart. rec. à petiolis viridib. excerpt. ℔j.

Facta maceratione per noctem, in vase stanneo cooperculato, ne quid exspiret, fiat expressio, colatæ infusioni denuo immergantur

flor. viol. mart. rec. ℥iv. ad vj. & post repetitam macerationem aliquot horarum spatio, uti antea exprimatur, tandem adde

sacchari albi canarii pulv. ℔ij. Ac sola dissolutione sacchari, in stannea seu argentea patina, supra aquam ferventem fiat sirupus, per linteum adhuc colandus, seu solum per purum setaceum. Sign. sir. violarum S. R. Maj. Tum iterum accipe

sirup. violar. jam parati ℥ij. *papaver. comp. D. D. Langii,*
phlegmat. ⊕*l. per infusionem radic. ireos correcti* ā. ℥ß.
ess. anisi ℈iv. F. Lambitivum pro S. R. M.

In

In catarrho cum tussi, dolore & inflammatione gutturis, & difficultate anhelitus, de quo Regia Majestas lambendo aliquoties in die sumpsit, sub noctem vero iturus cubitum cochlear unum, profuit & in aliis personis.

Curatio φθίσεως.

QUamvis phthisis morbus sit periculosus, & à multis incurabilis habeatur, tamen plures sanitati restitutos, per medicamenta nempe Cnöffeliana, sæpius vidi, & simili processu ipse curavi.

Primo in morbo nondum confirmato, & absque excretione sanguinolenta, adhibuit *Cl. Cnöffelius, pilulas suas balsamicas*, ex aloe, myrrha & croco, cum balsamo ♀ris anisato, seu elix. propriet. helleborino efformatas; DOSIS erat ℈ß. ante somnum. Post per octiduum, & quidem ter in die, scil. mane, à meridie & vesperi has rotulas sulphuratas: quæ

℞. *specierum diaireos, diatrag. frig.* ā. ℈ij. ♁ii *fix. diaph.* ℨvj.
flor. ♀ris ℥ß. *facch. albi in aq. tussilag.* q. s. dissolut. ℥vj.
oleum anisi gtt. xij. F. tabulæ ad scatulam mundam.
DOS. n 6, 7, & 8.

Vel ℞. ♁ii *fix. diaphor.* ℈iß. *flor.* ♀ris ℨß.
specier. diatrag. frig. diaireos, succini albi præparat. ā. ℨj.
extr. helenii ℨß. *bals.* ♀ris *anisat.* ℈ß.
facch. in aq. fœniculi s. anisi q. s. dissol. ℥iv. F. l. a. rotulæ.

Sequenti septimana, loco rotularum præscripsit

Pulverem diakibrik chybor,

qui talis est:

℞. *rad. farfar. ireos* ā. ℥j. *glycyrrh.* ℨj. *enul. campan.* ℨij.
fol. hyssopi, capill. ♀ris ā. ℨj. *sem. anisi, fœniculi* ā. ℨij.
flor. ♀ris ℥j. *sacchari canarii albi* ℔j.
M. Fiat Pulvis subtilissimus. DOS. ℨj. ad ij.

USUS hujus pulveris sit mane & vesperi, tribus vel quatuor horis ante cibum, superbibendo bonum haustum ptisanæ. Pro nocte autem & ante somnum adhibuit

Emulsionem sequentem.

℞. *sem. melon. cucumer.* ā. ℨij. *papaveris albi* ℥ß.
nucl. Persicor. excort. n. vj. ▽ *veronicæ s. tussilaginis, fragor.* ā. ℥iij.
*M F. Emul.

F. Emulsio. Adde *sacch. cant. alb.* ℨvj. & aliquando *magist. perlar. butyr.* ℈ij. *essent. rosar. ver. seu spir. fragor.* ℈j.
Dimidium hujus emulsionis frigidissimè exhibuit, eundo cubitum, alterum dimidium sequenti nocte, tertia & quarta die interdixit.

Postea loco emulsionis seqvens ordinavit:

Decoctum antiphthisicum.

℞. *rad. farfar. polypodii, glycyrrh. levistici* ā. ℥j.
herb. pulmonariæ, salviæ, verbenæ, scabiosæ,
flor. hepaticæ nobil. ā. m. j. *sebest. jujubar.* ā. ℨij.
sem. anisi ℈viij. *caricarum* n. x. *V fontanæ puræ* ℔iv.
Incisa & contusa crassiusculè coquantur in præscripta mensura aqu. simpl. usque ad ⅓. partis consumptionem. Decoctum colatum & purificatum dulcoretur cum melle clarificato, q. s.

Dosis ℥iv. ad ℥vj. & ℥viij. mane & circa noctem, per octiduum; finito tempore, omnia de novo, in modum præscriptum iterum incipienda sunt, usque ad meliorationem.

Post absolutam curationem, patiens adhuc per unum atque alterum mensem cerevisiam bibit medicatam per species sequentes:

℞. *rad. tussilaginis, polypodii, irid.* ā. ℥iij. *enulæ, caryophyllat.* ā. ℥iv.
herb. pulmonariæ, veronicæ, scabiosæ,
hepat. nobil. ā. m. iij. *hyssopi* m. iv.
flor. hepat. nobil. m. iij. *rasur. ligni juniperi* ℥xvj.
Incidantur & contundantur grosso modo, indanturque sacco oblongo. Sign. species pro dolio cerevisiæ.

Pulvis pleuriticus Dn. D. Cn.

℞. *rasur. dent. verris aprugni, mandibul. lucii præp.* ā. ℈ß.
florum ♀*ris* g. v. ♁*ii fix. nostr. diaphor.*
rad. bardanæ pulv. ā g. xv. M. Fiat pulvis.
Curat pleuritidem & illico omnes lateris dolores, non sine adstantium stupore.

Sumitur in haustu aqu. bardanæ, cardui Mariæ, seu cardui benedicti. Dosis præscripta, & bis in die reiteranda.

Pulvis alius in pleuritide Dn. D. Cn.

Rec. *rad. Bardan. maj. pulv.* ℈j. *florum* ♀*ris, papav. errat. pulv.* ā. ℈ß.
♁*ii fixi diaphoret.* g. xv. Fiat Pulvis.

Ejusdem

Ejusdem ferè efficaciæ cum superiore. Modus utendi est in aceto bezoardico, seu aq. appropriata, bis in die sumendus.

Not. Pleuriticum internum, & singulare arcanum, Cl. Dn. Doct. Cnöffelio à Rev. Patre Manbreck, Soc. Jesu, anno 1655. mense Julio communicatum, est *radix bardanæ* sive *lappæ majoris*, vere, crescente luna collecta; in autumno verò, decrescente luna, quæ in umbra (non ad ☉em, nec ad ignem) exsiccata, & pulverisata detur ad cochlear j. vel ℥ij. in vitro vini generosi: melius in propria plantæ aqua.

In plurimis aliis feliciter successit antea hæc curatio, uti postea maxime in meo auriga Petro anno 1654. d. 14. Maji, & postmodum in me ipso, eâdem pleurâ furente & acutissimè pungente in utroque latere excruciatis, cum screatu sanguinis grumosi, per biduum, viriumque insigni debilitate; exterius verò linteamina duplicata mucagine aquaticâ [non destillatâ, sed n. m. per se servatâ] imbuta, locis dolentibus & spinæ dorsi applicavi, singulis binis aut trinis horis renovando imbuitionem linteorum, & continuo biduo ea applicando. *Huc usque Dn. D. Cnöffelius.*

Pulvis pleuriticus à Dn. D. Cnœffelio anno 1654.

Excell. Dn. Subcamerario præscriptus.

℞. *sanguinis hirci secundùm Helmont. præpar.* ℥ß.
mandibularum lucii piscis absque igne in subtil. pulv. redacti ℥ij.
♁*ii diaphor.* ʒß. *rad. papav. errat.* ʒj. *bardanæ* ʒß. g. xv.

Fiat ex omnibus pulvis subtilissimus.

In pleuritide tam verâ & legitimâ, quam spuriâ & nothâ ab authore præscribebatur.

DOSIS à ℈j. ad ℈ij. & ʒj. in aqua idonea destill.

Hoc pulvere in simili morbo curatus est olim *Excell. Dn. Dietericus de Döhnhoff &c. &c.* absque omni sectione venarum.

Licet autem hujus exempli observatio, & in aliis multis simili morbo afflictis, Cl. D. nostro authori successerit, tamen non semper fidendum est, sed consentientibus omnibus, in isto morbo sanguineo, & maximè ubi extravasatio sanguinis id indicat, statim & ab initio venæ sectio è basilica ejusdem lateris (præmisso tamen clystere) instituenda est: repeti etiam debet sanguinis missio singulis diebus, donec dolor & febris multò mitiores evaserint, imò & aliquando in pleuritide peracuta bis in die, etiam si in principio fuit neglecta, post septi-

mum & nonum diem; cum vero morbus mitior fit, tunc temporis à phlebotomia abstinendum, quia anacatharsis supprimitur, & æger in vitæ discrimen conjicitur. Adeoque alias necessaria est venæ sectio, (*inquit River. prax. l.2.c.2.*) ut senibus, pueris, gravidis mulieribus, puerperis,& menstruas purgationes patientibus, in hoc affectu ad illam accedere liceat. Caute tamen, & cum consilio medici prudentis.

TITULUS XII.
CORDIALIA.

Balsamum radicale margaritarum.

℞. *margaritas orientales, splendidasque*, has cum *aceto terebinthinæ* solves, solutas, separato per evaporationem menstruo, aquâ fontis destillatâ dulcorabis, donec sapor ablatus fuerit. Abeant deinde in cella vinaria in oleum vel liquorem, super vitrum vel marmor collocatæ. Tum accipe spir. vin. *opt.* q.s. qui guttatim in liquorem hujus magisterii instillatus, ipsum in talcum quasi mirabiliter convertit; id vero coagulum per ☉am pelles & in oleum vertetur.

Hoc ex margaritis quidem elaboratum, in virtute verò est verum talci oleum, quod à chimicis celebratur; hôc nitor margaritis restituitur, hôc mulierum facies albescunt, splendescuntque.

Cordiale est nobilissimum aurum potabile in operatione quam proximè accedens. Nam epilepsiam depellit, cardiacas passiones vincit, sanguinem rectificat, in confortatione cerebri, memoriæ & cordis, conducit.

Fœtum in utero, humorem vitæ, & naturam internam in omnibus membris fortificat, putredines arcet, senectutis incommoda retardat, optimum arcanum, tutissimumque cuivis familiariter utenti. Dos. à ℈ß. ad ℈j. & ℈ij. in aq. cordiali.

Crocus solis & panacea solaris Dn. D. A. C.

HÆc medicina, sive pulvis aureus & panacea ☉aris dicta, olim inter secretissima arcanorum scrinia ab authore more solito reservabatur, paucis tamen amicis, & non nisi duabus vel tribus personis, tandem concessit, in quorum catalogo & ego hujus arcani particeps eram: quod & adhuc certis de causis, pro me asservarem, nisi jam res in aliorum scriptis ex parte esset annotata; & quidem

quidem à *Clariss. Dno Joanne Ferdinando Hertodio à Todtenfeld, Phil. & Med. D. &c.* in aureo & curioso suo *tract. tartaro-mastige Moraviæ part. 2. pag. 252.* Ideò & hic genuinam & veram ejus præparationem, hucusque mihi reservatam diutius non reticebo, sed tandem & fasciculo huic includere non gravabor, tali processu, prout ab ipso *Domino Cnöffelio* p. m. fuit elaboratus & à me etiam postea repetitus.

Primò paratur secundum *Zwelfferum,* vel ad mentem nostri authoris, tali proportione,

Crocus sive sulphur solis.

℞. ⊕*i purissimi* ℥iiß. *aluminis albi* ℥ij. *salis gemmæ* ℥j. ʒij. *auri finissimi, per* ♁*um purgati & subtilissimè prius foliati* ʒi. (i. e. liber unus.)

Pulverisata salia misceantur prius exactè, in porphyrite, adjiciendo sensim & per vices auri folia, & assurget odor urinosus. Postea immittantur ollæ vitreatæ & novæ, satis magnæ ac capaci, quibus super affundatur aq. simplex ad supereminentiam quatuor vel sex digitorum: Coquantur igne prius moderato, post fortiori, ad spissitudinem pulmenti crassioris, sic aurum totaliter solvetur, & antequam materia in instituta coctione totaliter siccescere incipiat, denuò affundatur aqua simplex, quantum pro dissolutione salium sufficiens erit, & post unam atque alteram repetitam ebullitionem, solutio solis, dum adhuc calet, filtretur, & beneficio olei ♀ri (per deliq. facti) statim præcipitetur: ad quod opus perficiendum, copia satis magna olei ♀ri requiritur. Hoc peracto pulvis aureus præcipitatus, cinerei coloris, ab aqua salsa, per chartam emporeticam & filtrum iterum separandus, & affusâ aquâ sæpiùs ab omni acrimoniâ & salino sapore edulcorandus est: Pulvis relictus tandem supra fornacem lenissimo calore, vel sponte sua exsiccetur, & adhuc per spatium semiquadrantis, vel unius & alterius orationis Dominicæ, in crucibulo puro calcinetur: Et erit crocus solis pulcherrimus, purpureo-violacei coloris, qui postea medicamentis aliis maximè cordialibus, & sudoriferis admisceri, vel ita per se in vino vel aq. cinamomi adhiberi potest.

Not. Cave ne diutius in igne permaneat, quam superius annui, aliàs color desideratus amittitur, quod mihi ipsimet contigit, experto crede Ruperto.

Crocum solis & ad alios labores & extractiones applicare poteris: si

 ris: si

ris: si nempe oleum aromaticum aliquod, scil. cinamomi, caryophyllorum, citri, zinziberis, angelicæ, juniperi, ligni sassafras, vel quodcunque horum dictorum placuerit croco Solari, ad supereminentiam duorum digitorum superaffundatur, & in leni calore, & vase vitreo benè clauso digestio instituatur, apparebit Ra auri, medicamentum balsamicum, adversus multifarias infirmitates, præstantissimum.

DOSIS à gutt. iij. ad vij. cum aliis medicamentis & vehiculis cordialibus & morbo appropriatis.

Si etiam super solutionem auri, superius edoctam, & ad pultis formam redactam, affundatur spir. vin. opt. & rectificatiss. cinamomisatus s. q. atq; in arena, lento calore fiat digestio, Ra auri elicitur elegans, & citrini coloris, salibus in fundo remanentibus, quæ destillatione à spiritu superfluo ultra medietatem iterum separanda est. In fundo vitri Ra auri potabilis manebit, miscibilis cum aquis cordialibus. Cavendum tamen, ne ad siccitatem destilletur.

DOSIS hujus medicamenti pretiosissimi à ℈. vij. ad x. in vino, aq. cinamomi, seu alia aq. cordiali. In morbis omnibus desperatis.

Jam componitur

Pulvis solaris, seu panacea solaris Cnœffeliana.

℞. *croci solaris nostri, superius elaborati, & ab omni acrimonia salsa prius liberati atque benè edulcorati q. v.*

Huic croco nondum calcinato, & dulci adjungebat Cl. Author

Sulphur antimonii fixatum,

seu

Cinabrium ℥ii, *(per reiteratam* ♎*tionem opt. purgatum)* ana.

& in vitro Hermetice clauso, seu ovo philosophico, observatoque ignis regimine, more Philosophorum, mixturam per mensem, & diutius stare permisit, donec sensim per omnium, quos videre licebit, colorum graduum, ignis examine in pulverem transierit rubicundum, in igne fixum, & in arcanum, (ad multos morbos debellandum, & ad sanitatem conservandam, atque vitam in multos annos prolongandam) efficacissimum. Medicinam dico (*verba sunt ex ipsius Clariss. Authoris manuscripto excerpta*) quæ corporis nostri sordes & vitæ zizaniam eradicabit, tempore digesto, & non purgando sed mundificando, salvis manentibus vitæ nostræ liquoribus substantialibus, eo

modo,

modo, quo metallurgos, confusum aurum heterogeneis scoriis, non projicere foras videmus, sed mundantis ♁ii potestate, vi coctionis, ceu externo medio, seorsim regulum auri, seorsim verò scorias tam solares quam martiales colligere. Quid, si sanitas nostra purissimi & sequestrati Reguli solaris, morbus verò earundem scoriarum, cum sua causa morbifica, icon sit? an non par curandi ratio obtinebit? *Huc usque Dn. D. Cnœffelius.*

Pulverem hunc compositum, seu panaceam solarem Author in parvulo eburneo ovulo, seu pyxide continuo secum portans, omnibus suis medicamentis aliquando adjecit, & quidem in minima dosi, scil. à g. j. ad g. iij. & v.

Astrum duplicatum Dn. D. P. P.

℞. *Ræ* ♁*ii*, *coralliorum* ā. p. æqu. (℥iß)
Mixta stent in digestione per 24. horas, quibus adhuc adde
essent. ambræ moschat. ʒiß. Misc. Dosis à gtt. v. ad vij. & xv. in aquâ appropriatâ.

Tinctura antimonii.

℞. ⦶*i purif.* part. ij. ♀*ri crudi pulv.* part. j.
Mixta detonentur in mortario, chimico more.
Jam ℞. ♁*ii pulv.* & *mixturæ præscriptæ* ā. part. æqual.
Misce, & iterum in crucibulo igne fortissimo liquefiant, instar aquæ. Materiam fluidam funde in conum fusorium, sebo prius illitum, idque movendo & percutiendo ad terram, ut Regulus fundum petat, quem posteà à scoriis separabis & interim seorsim asservabis. Jam accipe
scoriarum hujus Reguli ♁*ii*, ⊖ ✱*ci* ā. part. æqu. q. v.
Misceantur exactè, & sublimentur per cucurbitam ex ∴â, materiam elevatam optimè edulcora cum ▽â simplici calidâ; & iterum exsicca, quos flores ♁ii, si per se adhibere desideras, adhuc secunda & tertia vice cum admixto capite mortuo sublimare potes. Purgant blandè, aliquando & vomitum movent, sed raro & absque molestia, DOSIS à g. iij. ad 5. & 7. Porro sume
florum ♀*ris*, ♁*ii, jam paratorum*, ℥iij. vel iv. vel q. v.
🜅 ⦶*li* ♀*ris*, ad trium digitorum supereminentiam, q. s.
& post sufficientem digestionem, in ∴a, extrahatur Ra repetitis vicibus, 🜅um nempè affundendo, & post sufficientem extractionem iterum separando, donec omnis Ra extracta sit.

Ex-

Extractiones omnes conjunge, & spiritus superfluos iterum leni destillatione abstrahe ad remanentiam scil. liquoris crassioris, sanguinis rubicundi instar.

Ex hoc liquore crasso, seu massa in fundo vitri relictâ, tandem beneficio spir. vin. summè rectificati, reiteratâ affusione, Ram extrahe elegantissimam, quæ postea à superfluitate spir. vin. iterum abstrahenda est.

Est medicina magnarum virium in multis quam gravissimis morbis, maximè chronicis & diuturnis. DOSIS gutt. v. vij. viij. ad x. & plures, in liquore idoneo.

Panacea solaris duplicata Dn. D. Cn.

℞. *croci nostri ☉aris* ℥ß. cui superfunde *astri duplicati* ℥j.

Mixta in phiala bene clausa stent tamdiu in digestione, donec materia exsiccetur, cui denuò tantundem astri admisceatur, & iterum exsiccentur. Tandem panacea in fundo vitri relicta, in mortario vitreo pulverisanda, & in pyxide eburnea asservanda est; in omnibus ferè morbis chronicis est medicina nobilissima, habet nimirum in se vim diaphoreticam, ac aperiendi, sanguinem mundificandi & viscera corroborandi, ac proinde in quartana, ac febribus aliis intermittentibus atque malignis, item in affectione hypochondriaca, scabie, lue venerea, multisq; infirmitatibus habetur tanquam panacea & nobilissima & pretiosa. DOSIS à g̃. iij. ad v. & vij. cum coralliis, seu ocul. ♋. præparatis, ordinariè verò, cum mellagine anthosata, vel confectione alkermes in forma pilularum.

Panacea alia, ex cinnabrio antimonii.

℞. *cinnabaris* ♁*ii, per reiterat.* ♂*at. rectificati,*
butyri ♁*ii, semel à sua propria cinnabari rectificati* ā. ℥iiß.
auri finissimi soluti ʒiiß. *spir. vin. rectificatissimi* ℔iß.

Misceantur exactè per horam, donec abeant in coagulum rubicundissimum; digerantur calore leni, in vitro opt. clauso, per mensem, donec perfectè uniantur, interim singulis tamen diebus materia bis vel ter agitanda est. Hoc facto spiritus & omnis humiditas, lenissimo calore abstrahatur; materia relicta, & ex vitro fracto collecta, atque in mortario vitreo prius pulverisata, denuo imponitur cucurbitæ vitreæ & humili. Huic pulveri porro affundatur

♂ ⊖*li rectificati* q. s. ad supereminentiam 2. vel 3. digitorum. Et post reiteratam lenissimam digestionem, unius vel alterius scil. septimanæ,

manæ,in arena, ſpiritus affuſi ad ſiccitatem usque iterum abſtrahantur.

Tandem materia in fundo vitri reſtans pulveriſetur, & in phiala vitrea, hermeticè clauſa,igni philoſophico admoveatur, tamdiu donec per gradns ignis ultimò abierit in maſſam lapideam, rubicundiſſimam, & habebis medicinam in multis morbis magnarum virium, ideoque in quibuslibet affectibus, maximè chronicis, dari poteſt, mundificat namque corpus hominis, & in apoplexia, epilepſia, mania aliisque morbis capitis, item in paralyſi, febribus intermittentibus, etiam contagioſis & peſtiferis, lepra, ſcabie, lue venerea, &c. medicina eſt non ſatis laudanda, adeoque ipſi auro potabili æquiparanda.

DOSIS ℥. iij. ad v. & vij. cum mellagine, conf. Alkerm., ſeu extracto aliquo, idoneo, in forma pilul. vel cum admixtis aliis, pulveribus ſpecificis ſeu convenientibus.

Arcanum tartari ſolare.

Vid. ſupra inter medicamenta diuretica, arcanum ♀i Cnöffelii & Helmontii.

Pulvis cordialis aureus.

℞. *magiſterii butyracei corallior. perlarum* ā. ʒij.
oſſis cordis cervi [*per aqu. cordial.n. m. facti*) ʒiv.
auri ʒij. *granor. chermes* ℈v.
ſacchari canarii, *cum eſſent. cord.noſt.bis vel ter inebriat.*

Et in mortario vitreo, fiat pulvis aureus, cui adhuc adde
elæoſacchari roſati veri ℈v. Miſce, ut exactè uniantur.

VIRES indicat titulus; DOSIS à ℈j. ad ℈ij. in vitro aquæ cinamomi, vel alia aqua cordiali.

Pulvis pretioſus alexipharmac⁹ & cordialisS.R.Maj a Cl.Dn.D. Paulo Podchozinski anno 1648. præſcriptus & compoſitus.

℞. *C. C. philoſoph. calcin. foſſil. alb.* ā. ʒij.
terræ ☉*aris Sileſ.* (axungiæ ſolis *Schwenckfeldt*) ʒij.℈ij.
His omnibus probè mixtis admiſce
eſſent. cort. ext. citri recenter factæ q. ſ. ut fiat paſta, quæ denuò per ſe exſiccetur, & in pulverem tenuiſſimum redigatur. Adde
lap. bezoardici or. (ſeu *lachrymæ cervi*) ʒj.
croci Auſtriaci ℈ij. *magiſter. auri* ℈j.
eſſent. ambr. moſchat. (vel loco hujus) *ambr. & moſch. ā* ℈ß.

Fiatque in mortario vitreo pulvis omnium subtilissimus. DOSIS à ℈ß. ad ℈j. in vino vel aqua cordiali.

Magisterium auri, sive aurum alcoolisatum.

℞. *mellis seu sirupi rosacei, crassi ac densi*, vel, quod adhuc melius, *gummi Arabici, in aq. simplici dissoluti magnitudinis fabæ minoris*, *auri purgat. finissimi & foliati*, fol. n. vj.

Et in scutella aliqua Hollandica, seu porcellana ab omni unctuositate prius benè purgata, digito tamdiu misceto, & conterito, donec folia auri abeant in pulverem subtilissimum, hoc facto denuò vj. vel x. folia admisceantur, & rursus probè cum digito conterantur & in pulverem delicatum reducantur, qui labor terendo cum novis foliis tamdiu reiterandus, donec totus liber auri, vel ad centum folia auri, & plura, ita in pulverem inpalpabilem redacta sint, qui labor facilè perficitur, & aliquando intra unam vel alteram horam. Interim tamen inter molendum, una atque altera guttula aquæ simplicis semper inspergenda & immiscenda est, alias substantia gummosa (quæ semper debet esse liquida) exsiccescit & negotium non succedit.

Aurum Alcoolisatum tandem, aqua calida pura reiteratis vicibus, & tamdiu lavandum erit, donec probè omne gummi Arabicum, seu mel, iterum extractum & ablatum fuerit. Exsiccatum aurum & in scutella vitrea, super cineres calidos positum, tamdiu sinendum erit, donec optimè calefiat, & colorem suum naturalem recipiat.

VIRES magisterii auri magnæ sunt in morbis deploratis, quod experientia quotidiana, optima rerum magistra, sæpè monstrat. Confirmatur & à multis, aurum in pulverem minutum seu scobem redactum, magna præstare posse in medicina, inde & crudum aurum, in folia redactum, medicamentis suis olim veneranda antiquitas admiscere solebat. Sed quid præstare possunt x. aut xx. auri folia, cum ducenta aut trecenta aliquando vix dimidium scrupulum constituant; & tertia pars grani extendi potest in filum 134. pedum longitudine? Uncia una etiam in eam subtilitatem duci & extendi potest, ut decem terræ possit tegere jugera. Author est *Cardanus lib. de rerum varietate*, & *Cl. Rolfincius in Dissert. chim. de auro*; melius ergo ex opinione aliorum, in scobe seu pulvere, ubi scrupulus dimidius, vel integer propinatur & à latente stomachi fermento & acido subigitur, & actuatur, vitiosos humores nam emendat, contuetur, innatam ejus symetriam præservat, melancholiam corrigit & ad lætitiam sollicitat.

Plura

Plura hic confer è *Cl. Zwelff. in mantissa Spagyrica part.* 1. *c.* 1. *pag.* 37. *D. Francisc. Wendlerus* & *Zach. à Puteo* volunt auri folia in gallinarum ventriculis absumta fuisse; si in gallinis tanta vis est, cur denegetur homini? inest etiam huic fermentum acidum.

Præterea magisterium nostrum auri, sive aurum alcoolisatum extra usum medicum aliam adhuc habet utilitatem; nempe ad literas & figuras aureas cum eo in papyro seu pergameno effingendas, inservit & pictoribus, ad ornandas imagines. Paravi hoc olim Romæ in apotheca Collegii Romani, in præf. Rev. Pat. *Athanasii Kircheri*, amici mei magni & extraordinarii, qui inde & illud mundo suo subterraneo inclusit, sed modum adhibendi in literis elevatis, antiquo more non satis expressit.

Unicornu artificiale.

℞. *unicornu fossilis, Ꝗâ bezoarticâ insuccati,*
C. C. bezoartici, propria essent. impregnati,
terræ Lemniæ alb. seu Melitensis, cum decocto viperarum aliquoties inebriat. ā. ℔ij. ℥xij. ℈ij ğ. viij.
corallior. rub. præparator. & *cum balsamo radicali margaritarum impregnatorum* ℔j. ℥v. ℈iß. ğ. ij.
oss. ex corde cervi cum ▽ *bezoartica more n. in magister. redact.*
oculor. ♋. *præparator.* ā. ℔j. ℥vj. ℈j. ğ. iv.
♁*ii fixi diaphoret.* ℔ß. ℥iiß. ℈ß. ğ. vj.
essent. citri cort. ext. recent. absque igne parat.
ambræ mosch. ā. ad plac. (quia addi & omitti possunt.)

Pulverisata & in subtilissimum alcool redacta commisceantur exactè, & quidem in mortario lapideo, pistilloque ligneo. Postea in eodem mortario, cum

gelatina C. C. & *mucilag. tragacant. per aquas bezoart. fact.* ā. q. s.

Fiat massa tenax & fortis, ex qua tandem, in typo aliquo, seu forma ex ligno seu gypso, factâ, efformetur cornu, magnitudinis ad placitum, prout illud unicornu animale & naturale solet esse.

Primo hoc annotandum est, quod loco medullæ, pro sustentatione, stylus infigitur, ex ligno duro ac forti, (scil. juniperi, fraxini, ligni sancti, sandali citrini, vel aliquo simili, potest & esse argenteus, bene deauratus,) alias enim cornu hoc artificiale facile frangitur, & tractari se manibus non permittit.

Secundo; Exsiccatio debet fieri lentè, per se, absque ☉e & forna-

 ce, &

ce, & in ipsa capsula seu forma, in qua hoc cornu efformatum & expressum fuit, ubi tamen superior pars formæ demitur; postquam superior bene exsiccata fuerit, cornu stylo ligneo invertendum est, in alteram partem, ut ibidem exsiccetur.

Ornamenta & flores, atque literæ in eo impressæ auri foliis deaurari possunt ad placitum. Rès certè curiosa, & magno Principe dignissima. Nam multò majoris virtutis & efficaciæ est hoc cornu, quàm illud naturale, quod caro pretio emptum hucusque in multorum Magnorum Principum cimeliarchis conspicitur, ac contra omnia venena, tanquam thesaurus, & certissimum remedium decantatur.

DOSIS a ℈ß. ad ℈j. ℈ij. & ad ʒj. usque.

Essentia moschi ambrata officinæ Regiæ VLADISLAI IV.

℞. *conf. alkerm.* ℥j. *spec. diambræ, diamoschi dulc.* ā. ℥ß.
ligni aloës. ʒij. *moschi opt.* ℈j. *ambræ* ℈ijß.
🜄 *ardent. rosarum, extr. Norimbergensis* ā. ℥ij.
spir. vin. cinamomisati ℥j. *caryophyllati* ℥ß.

Benè mista & in vitrea phiala hermeticè clausa stent in digestione per mensem, & quidem caloris lenissimi. Defusus liquor posteà filtretur, & usui servetur. VIRES. Cordiale & cephalicum est. DOSIS gutt. v. vij. ad ℈ß. & ℈j.

Not. Remanentia in filtro chartaceo, odoris adhuc plena aliis usibus externis inservire, & suffimentis admisceri possunt.

Essentia moschi & ambræ D. D. C.

℞. *moschi* ℈ß. *ambræ* ℈j. *conf. alkerm.* ʒij.
🜄 *rosar. fragrant. liliorum convall.* ā. ℥ß.
🜄 *carbunculi, elix. Matthioli* ā. ℥j.

Mixta circulentur per octiduum vel diutius in vitro clauso & optime perlutato, essentia postea per chartam filtrata, odoris suavissimi, in vitro benè munito, servatur ad usum.

Confortat & reficit cor, cerebrum, & spiritus animales & vitales, aliisque affectibus convenit.

DOSIS à gtt. iij. ad vj. & ℈ß. In vino generoso, aq. cinamomi, vel alio conveniente liquore.

Ambra moschata in forma sicca.

℞. *ambræ gryseæ opt.* ℈ijß. *moschi oriental.* ℈ß. g. v.

sacchar.

sacchar. canarii albi & subtilissimè pulv. ℥j. ʒij.
Terantur & misceantur opt. in mortario vitreo cum
oleo citri ex rec. exter. corticibus absque igne extr.
rosar. stil. ver. ā. gtt. v. *cinamomi* gtt. ij. *caryophyll.* gtt. j.
Misceantur iterum. Fiatque essentia nobilissima in forma solida, quæ in vino vel in aliis liquoribus dissolvi atque medicamentis aliis admisceri potest.

Tinctura coralliorum Cnœffeliana.

℞. 🜋 ⊖*li, cum suo phlegmate adhuc impregnati,* vel loco hujus,
🜊 *aceti opt. dephlegmati* ℥ix.
♀*ri crudi pulv.* ℥iß. ⊕ *pur. & pulv.* ʒiij.
Misceantur & destillentur ex ∴â per ♉am, calore lenissimo. Menstruum hoc, ita prius concinnatum, affunde
corallis rubris grosso modo contusis, ad eminentiam trium digitorum. Mixta, & in vitro bene clausa, stent in leni digestione per dies aliquot, donec corallia dissolvantur; quod solutum separetur, novumque menstruum adfundatur, & post sufficientem solutionem, rursus defundatur, idque tertia vice repetatur, vel tamdiu, donec corallia omnino soluta sint. His peractis, solutiones omnes junctæ, in MB destillentur, & abstrahantur, ad siccitatem usque; Corallia sic in fundo vitri pulveris ex flavedine rubescentis instar, interim asserventur sub titulo *coralliorum* R̄*æ siccæ*. Jam
℞. *spir. vin. rectificati* part. ij. 🜋 ⊖*li* part. j.
Destillentur per matracium ex cineribus, & quidem reiteratis scil. tribus vel quatuor vicibus, & habebis aquam temperatam & menstruum, cum quo tandem R̄am extrahere potes, progrediendo hac ratione; Ad
pulveris coralliorum superius asservati ℥iij.
adde *hujus aqu. temperatæ* ℔j. In lenta digestione stent per mensem, vel diutius, donec omnis R̄a ex coralliis extracta est, quæ R̄a tandem à copia spiritus vini (scil. tertia parte) per abstractionem in MB liberanda, & ad usum suum asservanda est, miscibilis cum omni liquore.

VIRES & DOTES incredibiles recensentur à *Boëtio de Boodt in gemmarum & lapid. hist. l. 2. c.* 154. corpus redigit in temperiem cœlesti quadam vi, & propterea omnes partium affectus evellit radicitus, propter analogiam, quam habet cum spiritibus vitalibus, & innato calido, quod

quod auget, roboratque, ut facilè contrarios morbos superare possit. DOS. à gtt. v. usque ad xv. in vehiculis convenientibus.

Tinctura coralliorum sicca.

℞. *coralliorum in porphirite præparat.* ℥iv. vel q. pl.
Ræ nost. coralliorum q. s. pro insuccatione.

Misceantur in concha vitrea seu porcellana ampla, & quidem lente & caute; mistura postea bene & exquisitè unita, exsiccetur leni calore totaliter, qui labor cum nova insuccatione & exsiccatione ter vel quater reiterandus est. Corallia tandem propria Ra imprægnata & in mortario vitreo in alcool redacta, serventur usui in vasculo vitreo & puro.

DOS. à g̃. v. ad ℈ß. & g̃. xv. cum aliis solidis & liquidis vehiculis idoneis. VIRES cum Ra coralliorum præcedente conveniunt.

Panacea essentificata.

℞. *pulv. nostr. ☉aris, seu panaceæ solaris* ʒij. cui superaffundatur *Ræ coralliorum* ℥ß. & in phiala seu alembico parvo, suo capitello applicato, stent in digestione per aliquot dies, donec materia iterum totaliter exsiccetur: denuo affundatur Ra corallior. & uti antea lenissimo calore iterum exsiccetur, qui labor & tertia vice reiterandus est. Pulvis tandem solaris Ra coralliorum ita imprægnatus, in mortario vitreo reducatur in magisterium subtilissimum. Vel

℞. *panaceæ essentificatæ* part. iij. (ʒiij.) *coralliorum rub. præparator.*
axungiæ solaris Siles. simili modo prius cum Ra corallior. inebriat. ā. part. vj. (scil. ʒvj.)
ambræ moschatæ g̃. xxx. Misceantur omnia exactè, fiatque cum gelatina cornu cervi s. q. massa justæ consistentiæ, ex qua orbiculos ad placitum efformare poteris. DOS. g̃. v. ad xv. in vino seu aquis cordialibus.

Aurum transparens Dn. D. Cn.

℞. *auri puri & laminati* q. v.

Solve aurum in menstruo nostro, (quod componitur ex ♉io, ⊖lo albo & ⊕o ā. p. æqual. in ♋â, injiciendo nempe per cochlearia mixturam, & sic destillando secundum *Glauberum.*) Solutionem inde ♋æ bene lutatæ, & destilla quantum vult transire, quod seorsim asservetur. Reliqvum quod in fundo retortæ remanet, edulcoretur; super illud bene edulcoratum residuum iterum affundatur menstruum, & per chartam, post

post sufficientem digestionem filtretur, filtratum denuo destilletur per retortam, & siccum corpus sublimabitur in parietibus retortæ instar rubini. Sapienti satis.

Coralliorum infuccatio singularis.

℞. *coralliorum rub. pptor. sive in subtiliss. alcool. redact.* q. v. Hos imbue ter vel quater cum decocto rubro granorum chermes, per succum citri & aq. rosar. facto, vel loco hujus cum *essentia seu* R*a granorum chermes, per balsam. embryon. Augustanor. facta*, & denuo per se exsiccentur, ut in pulverem redigi queant, in fine adde *essent. cordial. n. ad pl.*

Est summum cordiale & roborativum maxime pro fœminis gravidis. DOS. à ℈ß. ad ℈j. & ʒß. In defectu hujus præparationis *Cl. Dn. D. Cnöffelio* sequens placuit formula:

℞. *corall. rub. opt. præparat.* ℈j. *magist. corall. butyracei.* ℈ß.
essent. rosf. saccharat. ℈iß. *magist. granor. cherm.* g. vij.
Misceantur, fiatque pulvis roseus.

Tinctura granorum chermes.

Rec. *granorum chermes recent.* vel loco illorum
cocci nostri Polonici q. vis.
succi citri recenter expressi q. suff.

Grana prius pistillo ligneo in mortario lapideo, grosso modo contusa, imbuantur quam optime cum succo citri, ut supereminеat ad quantitatem palmæ; stent in digestione caloris lenissimi per tres dies, vel diutius, donec in substantiam pulmenti liquidioris abeant, postea affundatur.

spiritus rosarum ardens, in tanta quantitate, ut materiæ tres quatuorve digitos supernatet,

& vase opt. clauso fiat de novo digestio, tam diu donec spiritus rosarum omnem R*am* rubini instar ex baccis extraxerit; quæ postea à fœcibus per filtrum chartaceum aufertur, & absque ulteriori abstractione ad usum servatur.

VIRES. Cardiaca est, spiritus vitales reficit, fœtum debilem in gravidis corroborat, atque confirmat, ac mirifica vi languentes vires, maxime in febribus calidis recreat ac reficit. DOS. à ℈ß. ad ℈j.

Tinctura cordialis.

℞. ▽ *cordialis Saxon. rubi idæi, borag. bugloss.* ā. ℔ß.
è toto citro ℥iv. *conf. florum tunicæ, rosar. rub.* ⊖*lat.* ā. ℥ij.

Mixta

Mixta stent in vtiro puro per unam atque alteram horam, postea exprimantur, & per chartam filtrentur, postea add.

sir. rubi idæi, granatorum ā. ℥j.

🜍 🜔is per campan. facti s. q. *ad gratum saporem,*

cui adhuc admisceatur

▽ è typhis cervor. recent. 🜂 at. cinamomi cordialis ā. ℥j.

Filtrentur per chartam emporeticam. Sign. Ra cordialis pro S. R. Maj. ex præscript. Dn. D. Cnöff.

Per intervalla sumenda, in debilitate virium, compressione cordis, & incalescentia interna, ex morbo podagrico.

Essentia corallina.

℞. *magister. solubil. corallior. rub.* ℥ß. ℈iv.

▽ cinamomi cordial. & spirituosæ ℥iiß. ℈iv.

Misceantur benè, & post dissolut. magisterii addantur

Ræ *corallior. nost.* ʒij. ℈ij. *granor. kermes* ℈iv.

Misceantur benè, fiatque essentia corallata compos. nobilissima.

VIRES. Ventriculum & jecur roborat, sanguinem purificat, omnem sanguinis fluxum, maximè mulierum corrigit, cor & spiritus vitales confortat, obstructiones viscerum adimit, ac proinde pesti febribusque malignis adversatur. DOS. à ℈ß. ad ℈j. & ʒj.

Mistura cordialis calida.

℞. *elixir vitæ Matthioli* ℥iij. *🜍 lil. convall.*

▽ cinamomi cord. ā. ℥j. *conf. alkermes* ℈v.

spec. diamosch. dulc. diambr. ā. ℈iiß.

Digerantur leni igne per 24. horas, bene clauso vase; Liquori filtrato addantur Ræ *corallior.* ʒv. *granor. chermes* ℈v.

Mista serventur ad usum. Sign. ut supra.

Ad omnem corporis imbecillitatem à causa frigida ortam, medicina efficax est, commendatur & ad cerebri affectus frigidos, ideò in apoplexia, paralysi, & comitiali morbo, & in ipso paroxysmo, valdè conducit; datur & in animi deliquio, & cordis palpitatione summo cum emolumento. DOSIS à gutt. x. xv. ad xx. per se, vel cum aliquo alio vehiculo liquido & idoneo.

Mistura cordialis temperata.

℞. *aq. cordial. temperat. Hercul. Sax.* ℥iij. *citratæ compositæ, melissæ c. v. cinamomi cum flor. cord. absque vino destill.* ā. ℥j

extract.

extract. Norimbergens. dict. Augustanorum ℨvj.
essent. citri liquid. (ex rec. cort.) ℥iß. seu ℞ *granor. chermes. per* △ *rosar. vel bacc. rubi idæi fact.* ℨij.
sir. rub. idæi, corallior. granat. ā. q. s. Misce.

In febribus malignis & pestilentialibus commendatur, spiritus vitales reficit, atque syncopi & cordis palpitationi auxiliatur. DOSIS cochlear unum, per intervalla aliquoties in die.

Elæosaccharum cordiale compos.

℞. *oleum nuc. moschat. still. cinamomi* ā. gtt. viij.
caryophyllor. gtt. iv. *super extr. Norimb. collect.* gtt. iij.
elæosacch. citri ex rec. & ext. cort. n. m. ext. ℈j. g. iv.
moschi opt. g. ij. *sacchar. Canarii* q. s.

Misceantur probè, in mortario vitreo, & in vitro puro, ac duplici vesica munito, serventur ad usum. Beneficio hujus, in momento claretum & vinum odoriferum parari potest, si nempe hujus elæosacchari ℈j. in scyphum vini, trium vel 4. unciarum injicitur. Inde fit

Essentia cordialis odorifera.

℞. *elæosacchari antea præscripti* q. v. *spir. vin.* ♀*sati, cinamomisati ad supereminentiam 4. vel 6. digitorum.*

Stent in vasculo vitreo, quam optimè clauso, per 24. horas in digestione, ut exactè uniantur. VIRES ex titulo comprehenduntur. DOSIS à gtt. iij. ad ℈ß. plus minusve, pro morbi indigentia & liquoris quantitate.

Essentia alia cordialis odorifera D. D. B.

℞. *ol. cinamomi veri* ℈j. *caryophyllor. nuc. moschat. still.* ā. ℈ß.
rosar. ver. gtt. vj. *super aquâ Damascenâ collecti* gtt. viij.
vel quantum in una destillatione haberi potest,
spir. vin. ♀*sati, rosati, & cum aliquot granis* ⊖*is* ✱*ci volat. impraegnat.* ℥iix.

Diger. in vase opt. clauso per aliquot dies, postea adde
essent. moschi ambratæ ad pl. ex. gr. gutt. viij. ad xvj.

DOSIS gutt. iij. ad vj. in vino vel aq. cinamomi. Admiscetur & aliis medicamentis cordialibus.

Epithema Cnöffelianum calidum.

℞. *extr. sive aq. Norimberg. secund. Ph. August. parat.* ℥iij.

aq. carbunculi, Imperat. Caroli, embryon. ā. ℥j.
cinamomi ʒvj. *rosar.* ℥ij. Misce. Dentur ad vitrum.

Epithema aliud frigidum.

℞. ▽ *cord. frig.* ℥iij. *melissæ, Imp. Caroli, rosar.* ā. ℥j.
succi citri rec. expr. ʒvj. *aceti rosacei, rubi idæi* ā. ℥ß.
pulpæ cort. ext. rec. citri ℈iv. *conf. alkerm.* ℈ij.
M. pro epithemate. Sign. Eusserliches Pulß- und Hertz-Wasser.

Epithema cordiale nostrum temperatum.

℞. *extr. seu* ▽ *Norimberg.* ℥iij. ▽ *carbunculi* ℥ß. *rosar. odor.* ʒvj.
aceti rubi idæi, rosarum ā. ʒiij. M. pro epithemate.

Balsamum cordiale odoriferum.

℞. *ung. rub. pomat. Ser. Reginæ Cæciliæ* ℥ß.
ol. nuc. mosch. express. ex cort. citri rec. s. igne extr. ā. ʒj.
flor. aurant. Rom. ℈ij. *still. cinamomi* gtt. iv. *caryophyll.* gtt. ij.
mosch. ambr. ā. gr. iv. M. F. balsamum.

TITULUS XIII.

STOMACHICA.

Pulvis pepticus post pastum S. Reg. Majest. VLADISLAI IVti.

℞. *sem. coriandri præp. anisi, fœniculi* ā. ℥ß. *cinamomi acuti* ℥j.
macis ʒij. ℈ij. *sandali albi pulv. corall. rub. subtil. præp.* ā. ʒij.
panis albi biscocti saccharati ℥iij.
sacchari Canarii albissimi ℔ß. ℥ij.
Species prius separatim pulverisatæ, commisceantur in mortario lapideo, cui tandem admisceatur
ivæ arthriticæ, ambræ moschat. ad placitum. M. F. pulvis.
Ventriculum roborat, facultatem concoctricem debilitatam confortat, digestionem promovet, & flatus dissipat. DOSIS ℥j. post assumptum cibum, cum frustulis panis tosti vino Malvatico prius madefactis.

Mistura stomachalis.

℞. *elixir. proprietat. nost.* 🜄 *acidul. de tribus* ā. ʒvj.

elix.

elix. Matthioli, misturæ de tribus ā. ℥iß. *extr. calam. aromat.* ʒj.
essent. menthæ odor. nost. *macis* ā. ℈j. *cinamomi* ℈ß.

Mista digerantur clauso vase, per 24. horas, postea colentur. Sign. ut supra. DOSIS à ℈ß. ad ℈j. in vino, seu aqua stomachali, vel in alio liquore competenti.

Pasta Regia stomachalis.

℞. *succoladæ*, vel quod melius, *fruct. cacao decort.*
amygd. dulc. excort. *pistach. decort.* ā. ℥j.
nucl. avellanar. rub. decort. ℥ß.

Contundantur minutissimè, in mortario lapideo, ad pultis formam, admiscendo paulatim, & per intervalla
Ra confect. alkermes (per ▽ cinamom. spirituos. p. j. & rosar. fragr. p. ij. fact.) q. s.

Puls cogatur per setaceum crassum, postea adde
sacchari Canarii subtil. pulv. ℥viij. *farinæ tritic.* ℥ij.
marmelad. simpl. seu cond. cydon. cort. citri contit. aurant. cond. nuc. Indic. cond. (*per setaceum simili modo traject.*) ā. ℥ß.
pulv. cinamomi ℥j. *caryophyllor.* ℥ß. ʒij.
macis, galang. cardamom.
sem. anisi, coriandri ā. ʒiij. *zinziberis pulv.* ℥ß.

Misceantur bene in mortario lapideo, ut fiat pasta, ex qua formentur tandem orbiculi, magnitud. ad pl. qui foliis mali aurei, seu papyro, impositi, prope fornacem optimè exsiccandi, & in sicco loco, scatulâ inclusi asservandi sunt. In superficie variis figuris, cum exsculptis formis ligneis, seu stanneis insigniri possunt, prius nonnihil ol. nucist. madefactis. Insignes habent virtutes, in roborando stomacho, & multis aliis affectibus ventriculi, à causâ frigidâ natis. DOSIS à ʒj. ad ʒij. Gratissimi sunt odoris & saporis.

Succolada Regia.

℞. *succolad. Ind. in pulverem subtilissimum redact. & opt. cribrat.* ℥iv.
sacchari Canarii similiter opt. pulveris. ℔j.
amygdal. dulc. excort. & in mortario lapideo opt. contus. & in massulam redact. n. xij.
albuminis ovorum in spumam crassissimam & densam prius concussorum n. ij.

Omnibus mixtis, & in mortario lapideo, pistilloque ligneo, probè agitatis

tatis fiat pasta, satis tractabilis, ubi & hoc advertendum, ne spuma ovorum tota, & uno impetu statim admisceatur, sed per intervalla, & cochleatim, donec tandem omnis spuma albuminis ovorum massæ admixta sit. Adde, si placet, pro magnatibus

mosch. & *ambr.* ad plac. ex. gr. *mosch.* ℈ß. *ambr.* ʒj.

incorporentur, more consueto, prius sacharo.

His peractis, ex massula tandem formentur quadratulæ seu tabellæ planæ, magnitudinis pollicis transversi, quæ papyro superpositæ in fornacula ferrea, seu quod idem est, sub vase cupreo pistorio, (in einer Torten Pfannen) coqvuntur, sic magis elevantur, & triplo fiunt majores.

VIRES ventriculo frigido conveniunt, dantur & feniculis debilitatis, ad roborandum vitæ balsamum. DOSIS n. 6. 12. & 24. superbibendo bonum haustum vini Malvatici seu Moschatellini.

Not. Moschus & ambra etiam omitti possunt.

Qui & pulverem viperinum admiscere vult, non errabit.

Parabantur olim pro Reg. Majestate, inde & nomen contraxerunt.

Essentia stomachalis.

℞. *fol. menth.* m. iij. *specier. Imperatoris* ℥iiß.
sem. anisi, fœniculi ā. ℥ß. *spir. vin. rectificati* ℔iij.

Macerentur per octiduum, postea destillentur in MB. Liquori destillato & spirituoso adde

extr. calami aromatici, zedoariæ,
olei still. nucist. menth. cinam. ā. ℈j. *caryophyll. anisi* ā. ℈ß.
sacch. Canarii alb. & cum aceto esurino præparati pro excipiendis oleis q. s. *⊖is ♀ri volat* ʒiij.

Stent in digestione, donec perfectè uniantur. Essentia per linteum subtile colata, servetur in vitro benè claudendo.

VIRES. In ventriculi & hypochondriorum atque intestinorum infirmitatibus, à causa frigida, conducit. DOSIS ℈j. ad ℈ij. in vino vel alio liquore convenienti.

Elixir absinthiacum comp.

℞. *extract. absinthii liquidi nostr. descript.* ℥iij.
spir ♀i sassafrat. ℥j. ʒj. *⊕li ♂tii* ℥ß. ʒij. *vulgaris* ʒiij.
Ræ sandat. c. spir. vin. stomach. extr. ʒvj.

Mixta stent per diem & noct. in digestione, postea filtrentur & usui serven-

ferventur. DOS. gtt. x. ad xv. & xx. in vino seu alio liquore appropriato.

Elixir vitæ stomachicum.

℞. *rad. calami aromatici* ℥j. *galang.* ʒvj. *cinamomi* ℥iiß. ʒij.
nuc. moschat. ℥j. *caryophyllor. macis, cardamom.* ā. ʒvj.
cort. flav. arantior. citri ā. ℥j. *sem. anisi, carvi, coriandri* ā. ℥ß. ʒij.
spir. vin. ex frumento ℔xij.

Facta maceratione per dies tres, destillentur ex B. V. liquori egresso denuo immergantur

spec. diamosch. dulc. diambr. ā. ʒj. *santali rub. pulv.* ℥ß. ʒij.

Stent per aliquot dies in loco saltem frigido, postea filtrentur, & cum sir. ordinar. & simpl. q. s. dulcoretur.

Elixir præstans, in affectibus frigidis stomachi. Tandem asservetur in lagenula vitrea bene clausa.

DOS. à cochl. dimid ad cochl. unum & duo.

Elixir vitæ stomachale ordinarium officinæ Regiæ.

℞. *spec. stomachal.* ℥xxv. *spir. vini opt. & rect.* ℔. xxvij.

Destill. suo more in B. vap., liquori stillato adde

sirupi ord. simpl. sacchari canarii (*in aq. cinam.* q. s. *dissol*) ā. ℔. iij.

Misc. & fiat elixir stomach. ordinarium.

Aq. stomachalis alia ordinaria.

℞. *spir. vin. stomachalis* ℔j. *aq. calami aromatici compos. zedoariæ* ā. ℔ß
sacchari canarii ℔ß. dissoluti in *aq. rosarum.* ℥iv. *cinamomi* ℥ij.

M & filtretur per chartam emporeticam, &, si placet, tingantur per infusionem scil. cum

fol. heder. terrestris in colorem smaragdinum Vel cum
corticibus aurantior. croco seu cnico hortensi in colorem aureum.

Vel cum ligno santalino raspato in rubrum colorem; seu cum torna solis in purpureum, qui color & conciliatur cum cocco nostro Polon. confectione alkermes, seu caryophyllis aromaticis. Viridissimus & pulcherrimus color etiam obtinetur per succum seu sirupum flor. violar. martialium, cum grano uno atque altero salis ♀i.

spir. vin. *stomachalis* fit per destill. ex spir. vin. ordinarii, ex frumento fact. ℔. viij.

& *spec. stomach. Imperatoris* ℥viij. Virtutes hujus aquæ titulus indicat.

Aq. vitæ calami aromatici.

℞. *calami aromatici minutiss. incisi* ℔ij. *sem. anisi & fœniculi* ā. ℔j.
rad. glycyrrh. ireos, granor. paradisi ā. ℥ij.
spir. vin. ex frumento parati stoff. n. xxx.

Et post sufficientem macerationem, destillentur per vesicam. Adde
sirupi ordinarii simpl. q. s. Sign. ut supra.

Aq. zedoariæ officinæ Regiæ.

℞. *rad. zedoariæ* ℔ß. *sem. anisi* ℔ij. *fœniculi* ℔j.
spir. vin. ordinarii xxij. stoff.

Maceratione facta, in vase benè clauso, aliquot dierum spatio, destillatio instituatur, in vesica cuprea, per XXum, prima aqua (ad 14. stoff, scil.) seorsim excipiatur. Huic destillato adde
sacch. clarificati ℔vj. vel q. s. pro dulcoratione. Sign. ut supra.
In doloribus ventriculi, ex causa frigida, atque suffocatione uteri, est remedium familiare.

Unguentum seu balsamum stomachicum

Serenissimæ CÆCILIÆ RENATÆ p. m. Reginæ Pol. & Suec.

℞. *ol. nuc. moschat. express.* ℥iß. *stil. menth. masticis, nardin.* ā. ℥j.
caryophyll. calami aromatici ā. ʒij. *macis, carvi* ā. ℈iv.
balsami Indici Peruviani ℥ß. *masticis* ʒvj. *ceræ alb. virgin.* q. s.

Misceantur, fiatque balsamum nobile stomachicum & fragrans, quod externa sui inunctione, mirabiliter stomachum roborat. Sumitur & intra corpus, cum ovo sorbili.

(*Not.* Pro Rege VLADISLAO IV. commiscebatur cum
ol. formicarum atque *mosch.* & *zibeth.* q. s.
Pro balsamo locali, ante actum matrimonialem.)

Emplastrum stomachale

Ser. Cæciliæ Renatæ p. m. Polon. & Suec. Reginæ.

℞. *masticis* ℥iij. *tacamahacæ* ℥j. ʒij.
laudani, storacis calam. resin. a. ʒiij.
ol. masticis & cydon. a. ℥j. *tereb.* ℥iij.

His invicem lenissimo calore mixtis, adde
ceræ virgin. ℥viij. *gall. moschat,* ʒiij.

caryo-

caryophyllorum, nuc. moschat. cinamomi, cardamom. ā. ʒij.
lign. aloes, cubeb. ā. ʒj. ℈j.

agitentur & impastentur optimè, atque ultimò, cum parum refrixerint, adde *balsami Indici Peruviani* q. s. Fiatque s. art. emplastrum, ad corroborandum stomachum efficacissimum.

Empl. stomachicum aliud officinale.

℞. *tacamahac.* ℔j. *masticis, resinæ storacis calamit.* ā. ℥vj.
terebinth. q. s. pro dissolut. specierum. Adde
ceræ citrinæ ℥vj. *balsami Indici de Peru* q. s.
M. Fiat empl. s. artem.

In usu extendatur super alutam, & applicetur regioni ventriculi. Mirificè concoctionem promovet, dolores sistit, & ipsum stomachum corroborat.

TITULUS XIV.

DYSENTERICA.

Pulvis dysentericus Castrensis Cl. Dn. D. C.

℞. *terræ coct. vulgar. ex clibano, & cum spermate ranar. rec, aliquoties imprægnatæ* & iterum exsiccatæ & pulverisatæ,
rad. tormentill. opt. pulv. nuc. moschat. a. part. æqual. q. pl.

M. Fiat pulvis subtilissimus. Sign. pulvis dysentericus sine opio. Jam

℞. *hujus pulv. dysenterici simpl.* ℈iiß. *masticis pulv.* ℈ß.
sedativ. nostri simpl. g. j. M. F. pulvis, pro dosi.

in aq. appropriata ante pastum sumendus, reiteratis vicibus, in omnibus profluviis alvi.

Specificum dysentericum Dn. D. L. & C.

℞. *boli, seu terræ sigill. albæ, Hungar. (vel incarnatæ)*
cornu fossilis, ocul. cancri, corall. rub. præpar. ā. q. v.

Mixta & opt. pulverisata irrorentur sæpius cum decocto rad. tormentill. & serpentar. per aquam seu liquorem crud. sperm. ranar. facto, & iterum exsiccentur & pulverisentur, scil. sexies vel septies, qui labor & postea bis vel ter cum R *baccarum myrtillor.*) absque sir. & sacch. fact.) instituendus est.

Pulveris hujus tandem junge unciæ cuilibet
nuc. mosch. opt. pulv. rad. tormentill. pulv. a. ʒij. *sedativi simpl.* g. vj.

E

Et cum *gelatina cornu cervi*, per *aq. sperm. ranar.* fact. q. s. Fiat pasta, ex quâ tandem formentur orbiculi ℨj. ponderantes, vel etiam in triplo majori forma, quæ tamen proprio charactere ponderis, & titulo beneficio typi alicujus ferrei, (huic negotio prius parati) assignandi sunt.

DOSIS ℨj. in vehiculo aliquo, in quo injectus, statim dissolvitur. Omnia profluvia ventris, seu alvi, item menstruorum, hæmorrhoidum & narium sistit. Iter facientibus & militibus medicina commoda.

Tinctura myrtillorum.

℞. ▽ *spermatis ranarum* ℔j. *juglandium immatur.*
tormentill. *è succo bacc. myrtill.* ā. ℥iv.
magisterii aluminis in forma liquida A. Salæ ℥ß. ℨij.
galred. simpl. baccar. myrtillor. (n. m. absque igne, ex p. j.
succi & p. ij. *sacch. pulverif. fact.*) ℥viij.
bacc myrtill. lentè exsiccatar. ℥iv. (prius tamen parum contus.)

Mixta stent per noctem in loco temperato, posteà filtrentur per chartam, pòst adde
sirupi è succo baccar. earundem &
florum papaveris ⊕*lat. pro grato sapore* q. s.
essent. aromat. nucist. odor. ℨij.

Misceantur & Ra rubicundissima in loco frigido asservetur, in dysenteria epidemica, aliisque fluxibus ventris periculosioribus eximium est remedium. DOSIS est à cochl. j. ad iij. & iv. per se.

Bolus in dysenteria.

pro S. R. Maj. JOH. CASIM. &c. sub Zborrovvic in Castris.

℞. *conf. rosarum antiq.* ℨiß. *theriac. pulv. Pannon.* ā. ℈j.
laudani opiati g̃. j. M. F. bolus.

Semel Regia Majestas hunc bolum sumpsit, & statim melius habuit.

Electuarium dysentericum.

℞. *succi acat. sive prunor. silv. inspissati* ℔ß. ℥iij.
conf. rosar. antiq. flor. papav. errat. cond. cydon. ā. ℥iv.
mellis ad spissitudinem cocti ℔ß. *rad. tormentill. subtil. pulverif.*
glandium immatur. subtil. pulv. nuc. moschat. ā. ℥iij.
cum *myva cydoniata* q. s. F. s. a. elect. mediæ consistentiæ.

In

In dysenteria, diarrhœa, lienteria, aliisque fluxibus desperatis potenter adstringendo, remedium est infallibile. DOSIS à ʒj. ad ʒij. superbibendo haustum aq. spermatis ranar. destill.

Formula pro bolo.

℞. *elect. dysent.* ʒj. *laudani opiati* g. j. Misce.

Electuarium aliud dysenter. castrense.

℞. *baccar. myrtillor. in clibano lente exsiccator.* ℥iß.
panis dulciarii aromatisati Thorunienſis,
rad. tormentill. pulv. ā. ℥ß. ʒij.
nuc. moschat. pulveris. ther. Andromachi antiq. ā. ʒij.
cum *elix. Matthioli* q. s. F. elect. spissum ac densum.

In morbis desperatis, utpote profluv. ventris, est secretum excellens, Anno 1649. dum ad castra iremus, sæpe probatum. DOSIS à ʒj. ad ij. seu magnitudinis nucis juglandis. Præmissis tamen iis, quæ præmittenda sunt.

Clar. & sæpè nominatus Dn. D. Cn. in curanda dysenteria hanc etiam observabat regulam. Cum in ea ferè semper aliquid venenati subesse existimaret, eam non tàm purgantibus, quàm bezoarticis curabat. Inde & statim electuariis & pulveribus suis, theriacam, rad. contrayervæ, tormentill. pulv. bezoart. Pannonicum & similia cùm correcto sedativo admiscebat.

In dysenteria etiam & aliis profluviis intestini recti, si purgatione opus est, nullum præstantius pharmacum *rhabarbaro* excogitari potest, quoniam fluxum sistit, partem roborat, & ulcus sua adstrictione & moderata siccitate curat.

Cum solo rhabarbaro, & pulvere rad. tormentill. quinquies vel sexies sumpto, atque reiteratis enematibus domesticis, curata fuit anno 1673. Serenissima Regina Eleonora, Dna, Dna mea Clementissima.

TITULUS XV.

HEPATICA.

Aperitivum Martiale.

℞. *croci ♂tis aperitivi, (ex solo ⊕lo ♂tis, per calcinationem lenem, ad rubedinem usque, parat)* ℈vj. g. iv.
⊖is essentialis acetosell. ℈iv. g. xv.

sacchari Canarii alb. pulv. ℈xvj. *ol. still. ver. rosar.* gtt. iv.
Misce, fiat pulvis, colore, odore & sapore gratus. VIRES sunt hepaticæ & spleneticæ. DOSIS à ℈j. ad ℈iß. & ℈ij. in jusculo carnis.

Pulvis hepaticus Dn. D. Cn.

℞. *⊖is essentialis acetosell.* ℥ß.
sacchari rosati simpl. (per aquam rosar. simpl. & fragrant. scil. præparat.) citrati sacchari ā. ℥ß. ʒij.
essent. citri ex cort. recent. extract. q. s.
magist. sandal. rub. (seu Ræ) ℈ij.
Misce, fiat pulvis gratissimus, incarnati coloris.

VIRES, DOSIS & USUS eædem cum præcedente pulvere sunt. Ex hoc pulvere cum aq. fontana fit & potus gratissimus, pro iis, qui pulveres fastidiunt.

Alia compos. pro S.R.Maj. ex præscript. D. D. Cn.

℞. *corallior. rub. præpar.* ʒiij. *⊖is essent. acetosell.* ʒj.
^ ⊕li coagul. g. xij. *Ræ sandal. (seu pulv. sandal.)* q. s.
Fiat pulvis. DOSIS est ℈ß. ad ℈iß. & ℈ij. Exhibetur utplurimum jejuno stomacho, & 3. horis ante prandium in brodio, vino Rhenano, vel alio liquore.

Liquor hepaticus.

℞. *cremoris ♀ri alb.* ℥ij.
^ ⊕li non dephlegmat. sed solum per chartam filtrat. ℥viij.
confect alkermes ʒij.
Stent in calore ∴æ, donec omnia sint soluta. Filtrato liquori adde
Ram corall. nost. ℈iiij. *sandal. (per ^ rosar. extr.)* q. s.
essent. rosar. gtt. xvj. Mista omnia serventur usui.

VIRES titulus indicat. DOSIS à ℈ß. ad gtt. xv. & ℈j. in jusculo, vino vel alio liquore, horis matutinis.

Elect. hepaticum Dn. D. Cn.

℞. *conserv. rosarum ⊕lat. flor. tunic. acetosell. condit. pulp. citri, rad. cichor. cort. citri* ā. ℥ß.
pulv. nost. hepat. ℈vj. *^ ⊕li coagul.* ℈ß.
essent. citri ex recent. cort. nostro m. extract. ad placitum.
Confert in intemperie calida hepatis, & in febribus calidis & continuis

nuis pro corroboratione & refrigeratione virium insigniter. DOSIS magnitudine juglandis parvæ, per intervalla in die.

TITULUS XVI.
HYDROPICA.

Hydropis curandæ methodus Cl. Dn. D. Andr. Cn.

PRimo exhibuit purgantia sua specifica, & universalia, & quidem reiteratis vicibus, in forma pilularum, quæ erant
extractum hellebori nigri ℈j. cum ☿*io suo fixo corallino.*
Peractis illis ordinavit tabulas sequentes:
℞. *bezoart. mineralis, aperitivi nost.* ♂*tiati* ā. ʒß.
♁*ii fixi diaphor.* ♀*ri* ♂*tiati* ā. ʒiij.
M. pro pulvere, & cum *sacch. albiss. Canar.* ℥viß.
in aqu. melissæ, cinamomi cordial. & rosar. ā. q. s. dissolut.
Fiant tabulæ more consueto, de quibus patiens sumsit, ter in die, scil. manè, à meridie & circa noctem, & semper tribus horis ante vel post cibum. DOSIS erat ʒiß. vel ʒij. per octiduum. Hinc accessit & sequentia:

Vinum Martiale compositum.

℞. *limatur.* ♂*tis* ℥ß. ad ʒvj. *cort. fraxini,*
ligni tamarisci ā. ʒiij *juniperi* ʒj. *sassafr.* ʒij.
rad. hellebori nigri ℥iij. *polypodii* ℥iß. *caryophyllat.*
♀*ri albissimi* ā. ℥ß. *sem. carthami* ʒij. ⌃ ⊖*is* gtt. xij.
Species incisæ & grosso modo contusæ, includantur sacculo, immergendo in vini opt. Ungar. ℔vj. & post sufficientem macerationem, in vase terreo satis capaci, vinum ♂tiale compos. asservetur in loco frigido. DOSIS ℥ij. ad iij. in aurora, per duos dies, tertio sumantur

Trochisci Martiales.

℞. ♀*ri* ♂*tiati* ℥ß. *flor.* ♀*ris* ℈viij. ♁*ii fixi diaph.* ʒij.
bezoart. mineral. ♂*tialis, corall. rub. præpar.* ā. ʒiß.
sacchari Canarii alb. ℥ivß. F. cum ▽ *meliss. citrat.* q. s.
& *essent. citri, ex rec. cort. extr.* ℥ß.
Rotulæ in forma & magnitud. man. Chr. DOSIS n. 6. ad 7. bis in die, scil. mane & vesperi, per tres vel quatuor dies, sexto vel septimo iterum sumitur vinum ♂tiale, & sic alternatim continuando, per tempus aliquod.

aliquod. Et ne semper purgetur æger & vires labascant, adhibeatur sequens

Mixtura hydropica.

℞. *elix. proprietatis,* ^ *♀ri, per lign. sassafras correcti* ā. ℥ß.
mixturæ de tribus ℥iij. *extr. liquidi absinthii* ℥j.

Mixta stent in digestione per ♂ & ℘, postea adde
essent. cort. citri rec. q. pl. DOSIS à ℈j. ad ʒj. in vino seu aq. baccar. & florum sambuci ℥iij. Summè prodest.

Pulvis anti-hydropicus.

℞. *cremor* ♀*ri* ♂*tiati* ℈j. ⊖*lis fraxini* ⦶*ati,*
♀*ri* ⊕*lati* ā. g̃. viij. *bezoart. mineral.* ♂*tiati* g̃. vij.
corall. rub. præp. g̃. xvj. *ess. citri ex cort. rec. extr.* ad pl.

Misce in mortario lapideo, detur ad chartam pro dosi, & tales doses n. 14. ad 14. chartas. Sign. pulv. anti-hydropicus, intermediis diebus sumendus.

Cataplasma ad tumores œdematosos & duros & molles, maximè in hydrope.

℞. *fimi vaccini* ℔ij. *columbin.* ℥vj. *gallinac.* ℥iij. *ovilli* ℥ij.
herb. hyoscyam. solani, chamomill. c. toto ā. m. iv.
cap. papav. cum semine & stipit. gr. contus. m. iij.
lithargyr. pulveris. ℔ij. *myrrh. rubr. pulv.* ℥ij.
camphor. ʒiß. *fec. vin.* ℔ij.

vel loco fec. vin. accipe *mucilagin. sem. lini* q. s. His insimul mixtis, F. cataplasma.

Applicetur abdomini calidè & renovetur singulis 24. horis. Accidit sic, ut intercutaneum illud lixivium excitet aliquando pustulas rubentes & dispersas, magna spe juvaminis. Non adeò ingratum cataplasma habet odorem, quia myrrha & camphora fœtorem stercorum reprimit & occultat.

Ex applicatione hujus cataplasmatis, & usu vini medicati ♂. (superius descripti,) intra 24. horas, 16. quartæ aquarum intercutanearum, per urinam ejectæ sunt, in quodam nobili Polono, & intra 9. dies postea totum corpus detumefactum, & æger integre convaluit.

Cataplasma aliud, ad tumores hydropicos.

℞. *baccar. juniper.* p. iv. *lauri* p. j.

pul-

pulverisata excipiantur cum *mellis* q. s. in consistentiam *cataplasmatis*.

usus. Applicetur per omnem ambitum abdominis, calide, singulis 24. horis renovetur.

Beneficio hujus cataplasmatis, curabat quidam rusticus in Prussia suum consanguineum, qui integro anno cum dimidio è nimio spir. vini usu hydropicus erat factus, ubi ex illius continuato usu, tumor sensim & sensim detumuit, & singulis diebus melius se habere cœpit.

In tumore abdominis *Cancros vivos in formam cataplasmatis contusos, & tumenti abdomini superpositos*, tumorem è vestigio sustulisse, cum admiratione omnium, observavit *Cl. Dominus Doct. Christianus von Paulitz*. S. R. M. p. m. Joannis Casimiri Archiater, & amicus atque Collega meus fidelissimus.

Cataplasma insigne ad tumores œdematosos.

Cl. Dn. D. M. Littav.

℞. *stercoris columbini in aceto macerati* ℔j. *caprini* ℥iv.
⊖*is comminutim triti* ℥ij. ♆*is vivi* ℥j. ⏀*i*, ℥ß.
pulv. rad. enul. ebuli, bacc. lauri contus.
summitat. anethi, flor chamomill. ā. ʒvj.
sem. nasturtii ʒij. cum *aq. flor. sambuci* & *vini* ā. q. s.

Coquantur ad pultis solidioris formam, ne manibus adhæreat, cui immisce
terebinth. opt. ℥iß. *mellis* ℥ij. *succi ebuli* ℥ij.
rad. irid. nostr. ℥iß. Fiat cataplasma hydropicum.

In hydrope ascite desperato

suasit anno 1666. Legatus Cæsareus, Illust. & Excell. Dn. Baro de Isola, Magn. Dominæ Pirre de la Cava, sirupum de spina cervina è fermentatione factum, qui sub singula intumescentia insolentiore ad duo cochlearia sumptus, mirificè tumorem consumpsit, in abdomine, in pedibus verò non ita, ideò & sequens cataplasma communicabat.

℞. *fimi columbini* q. v. Fiat cum partibus tribus ✝ti cerevisiæ & parte una ✝ti vini cataplasma, ad consistentiam pultis subactum, linteo duplicato inducendum.

Hoc cataplasma à calce per suras utriusque pedis extensum ad genua usque, & singulo biduo renovatum est. Interea & sequentes rotulæ quotidiè bis sumtæ, ex consilio Cl. Dn. D. Cnœffelii, quæ

℞. *acidi ♀i* ʒvj. *♉ii fixi, flor. 🜍is* ã. ʒiij.
pulv. aperitivi nostr. ex ♂te, bezoartici ♂ ã. ʒij. *facch. alb.* ℥vij.
spir. rosar. aq. cinamomi acut. ã. ʒiij. *flor. cichorii*
lumbricorum ã. pro dissol. facch. q. s.
ol. lign. rhod. gtt. ij. Fiant s. art. rotulæ.

Dos. n. 7. manè & vesperi, tribus horis ante & post cibum, sicque tumor subsedit, atque Domina illa integrè restituta fuit.

Gangrænæ topicum Cl. Dn. D. C. in Illustrissimo Domino de Ostrorog, Pocillatore Regni.

In hydrope, intensissimo rubore & ardore cum tumore duro gangrænam utriusque pedis, à spondylo ad inguen minitante, topicum, seu vinum balsamicum, quotidie bis terve applicatum, tale erat:

℞. *herb. solani, hyosc. c. tot.* ã. mij. *flor. sambuc.* mj.
sem. fœni græci, lini, psyllii ã. ʒiij. *mucaginis aquaticæ non destillatæ, sed solum transcolatæ*, vel in defectu hujus *aq. sperm. ranar. stillat.* ℔j. Coquantur ad ebullitionem lenem & semi num mucaginem usque. Colatura Sign. vinum balsamicum, seu topicum gangrænæ.

Topicum sive locale ad genitalia.

Isthoc cum duplicato linteo tepidè 24. horarum spatio, ter, quater, quinquies, aut sæpius, prout morbus exigit, applicatum tantopere profuit, ut ferè singulis horis ardor, rubor & tumor remissionis manifestum indicium videntibus facerent. Ejus præparatio talis erat:

℞. *magmatis residui, præcedentis vini balsamici*, ℥viij.
sperm. ranar. non destill. ℥iv. *factæ per expressionem mucagini*, add.
myrrh. in aq. flor. nymph. dissol. ʒiß.
camphor. (*in ol. amygd. dulc.* ʒiß. dissol.) ʒj.

Mixturæ lactescenti add. *pulv. topici* q. s. probè iterum misc. ut fiat justæ consistentiæ & optimi odoris mixtura mucaginosa.

Pulvis topicus.

℞. *lithargyrii pulv.* ℥ij. *masticis, myrrh.* ã. ʒj.
ceruss. sperm. ceti ã. ʒij. *sperniolæ Crollii s. Theoph.* ʒiij. M. F. Pulvis.

Aliàs & hoc vinum balsamicum locale pedibus cum notabili successu applicatum est.

℞. myrrh.

℞. *myrrh.* ℥j. *aloes, masticis* ā. ʒij. *spermatis ceti* ʒiij.
vini opt. Ungar. cum sem. lini, fœni græci & rad. alth. ā. q. s. cocti ℔iij.
sperm. ranarum non destill. ℥xL. bulliant prius cum vino species, postea colato, & frigefacto decocto, admiscebis tandem mucaginem.

Not. Mucago ex seminibus & rad. althææ, separatim extrahi debet, posteà sperma ranar. admiscetur.

Ulcerum erodentium topicum in scroto & gangræna.

℞. *balsami sulphuris compos.* seu *simpl.* ℥ij. *spermatis ceti* ʒij. *camphoræ* ʒj. M. F. balsamum, cui aliquando *ol. hyperici*, ad lubitum admiscebatur.

Gangrænæ topicum

Illustrissimo Principi van Eggenberg præscriptum.

℞. *herb. verbasci, solani, hyoscyami.* m. v. *flor. sambuci* m. iij. *rosar.* m. j.
sem. lini, fœni græci, psyll. ā. ℥ß. *aq. sperm. ranar. non destill.* ℔viij.
Coquantur forti ebullitione, inque mucilagine expressa solv.
camph. per amygdal. excort. l. a. subactæ. ℥ij.
Jam ℞. *hujus mixturæ camphorat. aq. sperm. ranar. non destill.* ā. ℔ij.
myrrh. in aq. nymph. sol. ℥ij. *pulveris topici.* q. s. Misceantur.
Topicum hoc singulo bihorio applicetur calidè, linteamina semel applicata nunquam removendo, sed identidem humectando cum spongiâ medicamine calente imbutâ.

TITULUS XVII.

SPLENETICA.

Pulvis aperitivus spleneticus.

Rec. *cremoris ♀i albiss.* ℥j. *croci ♂tis aperitivi* ʒß.
♁ii diaphor. fixi ʒj. ℈j. gr. xvj. *essent. citri rec. extr. ex cort.* gr. xvj.
M. Fiat pulvis subtilissimus.
Vires habet aperiendi, dissolvendi, & incidendi viscerum infarctus. Dos. ℈ij. ad drachmam unam, mane & post meridiem, per 14. dies.

Pulvis cachecticus simpl. Dn. D. Cnöff.

Rec. *limatur. chalybis puriss. probè lotæ iterumque siccatæ* ℔j.
Hanc imbue cum lixivio ⊖lis absinthii, per ✢, facti q. s. & iterum

siccetur,

ficcetur, qui labor tamdiu repetendus; donec omnis limatura, in ferrugineam substantiam fit redacta, ut pulverisari, cribrari & in tenuissimum pollinem reduci queat. Pulvis ita paratus, vel prius benè edulcoratus, servetur usui, sign. ut supra. Inde postea fit

Pulvis cachecticus compositus.

℞. *pulveris cachectici simpl.* ℥iv. *caryophyll. cinamomi* ā. ℥ß.
macis ʒij. *sacch. albissimi* ℥j. Fiat omnium pulvis.

In curanda cachexia hic pulvis *Dn. D. Cnöffelio* erat familiaris, omnem pallorem in morbo virgineo tollit, menstrua inordinata corrigit, retenta promovet, & in reseratione viscerum obstructorum remedium commodum est. DOS. à ℈j. ad ℈ij. & ʒj. Anno 1648. mense Oct. *Clar. Cnöffelius* pulverem hunc cachecticum sibi paravit (loco lixivii absinthii) cum succo purificato acetosellæ, in quo prius aliquid cremoris ♀i dissolutum erat.

Pulvis chalybeatus simplex Dn. D. C.

℞. *limatur. chalybis ab omni pulvere & peregrina impuritat. prius per sæpissimas ablutiones purgatæ*) ℥iij.

Quæ vitro amplo largo ac forti immissa, humectetur lente & guttatim, cum

spir. ♀*is per campan. fact.* ℥ij. Cessante ebullitione iterum exsiccetur, idque bis vel ter repetatur, donec omnis limatura chalybis in rubiginem quasi convertatur, quæ tandem adhuc in olla nova vitreata, lenissimo calore, in pulverem crocei coloris calcinanda. Vires conveniunt cum pulvere cachectico præcedenti. Inde præparatur

Pulv. chalybeatus compositus.

℞. *pulveris chalybeat. simpl.* ℥ß. ʒij. *acidi* ♀*i* ℥ij.
sandali rub. pulv. ℈iß. *essent. nost. citri* q. v.
Misceantur in mortario vitreo. DOS. ℈j. ad ʒj.

Alia compositio

pro Illustriss. Dn. Cancellarissa, Osolinska.
à Cl. Dn. D. C. anno 1648. præscripta.

℞. *pulv. chalybeat. simpl.* *cremoris* ♀*i* ā. ℥iß.
magist. butyrac. solub. corallior. ocul. cancri ā. ℥ß.
essent. citri nost. q. s. pro odore. M. In reserandis obstructio-

ſtructionibus viſcerum & curanda cachexia optimum eſt remedium. DOSIS ℈ij. ſingulis diebus in liquore conveniente ſeu juſculo pulli ſumendi.

Tartarus martiatus D. D. B, & C.

Rec. *⊕li ♂tis (per 🜍 ⊕li ſeu 🜿ris parati)* ℥ß:
Solvatur in *ſucc. depurat. acetoſellæ* ſ. q. adde
cremoris 🜿ri albiſſ. ℥iij. *ꝶæ ſandali* q. ſ.
Tartarus ita impaſtatus leniſſimo calore exſiccandus, pulveriſandus, & in vitro puro aſſervandus eſt.

In obſtructionibus viſcerum, & vaſorum ſanguifluorum, aliis remediis prævalet, menſtrua retenta promovet, aliisque morbis hepatis, & lienis conducit.

DOSIS à ℈j. ad ʒj. in vehiculo appropriato.

Tinctura Martis D. D. C.

Rec. *maſſæ ſuperioris chalybeat. (in præparatione ſcil. pulv. chalyb. ſimplicis) & ter cum 🜍 🜿ris imbut. antequam totaliter exſicc. & nimis compacta fiat* ℥iij.
⌒ ſedativi noſt. ſimpl. q. ſ. ad ſupereminentiam 4. digitorum.
Digerantur per menſem in loco calido. ꝶa tandem extracta, à relicto ſeparanda, filtranda, & ad oleitatem quaſi per deſtillationem ſuperfluus ſpiritus abſtrahendus eſt.

VIRES aperiendi & incidendi habet, ideò in reſeratione hypochondriorum obſtructorum, cachexia, melancholia, menſium ſuppreſſionibus, item affectionibus uterinis ſummopere commendatur. DOSIS à ℈j. ad ℈ij. & ʒj. in juſculo, vino, vel alio liquore appropriato & deſtillato, mane ac veſperi, cum jejunio 3. vel 4. horarum.

Eſſentia Martis vitriolata.

Rec. *⊕li ♂tis, arte per ⌒ ⊕li parati, arcani ♀ri* ã. p. æqual. q. v.
Pulveriſata miſceantur invicem quam opt. in mortario vitreo ſeu lapideo. Pulvis commixtus, & ſupra vitream tabulam expanſus, ponatur per octiduum & diutius, in locum humidum & frigidum, qui brevi poſt eſſloreſcens, in liquorem rubeſcentem craſſioremque mutatur, jucundi aſpectus: Ex quo poſtea beneficio ſpir. vin. opt. & rectificati, ꝶa extrahitur, ſanguinis inſtar rubicundiſſima, quæ per chartam filtrata, & in vitro bene clauſo, ad uſum neceſſarium reſervanda eſt.

VIRES sunt insignes in obstructionibus hypochondriorum, mesenterii, pancreatis, mensiumque suppressionibus, morboque virgineo & cachexia. DOSIS à ℈j. ad ʒj. plus minusve pro lubitu Medici ac morbi natura, in jusculo vel vino.

Essentia Martis composita.

℞. *essent. ♂tis praecedent.* ℥ß. *Ra nostr. corallior.* ʒij.
essent. mosch. ambrat. ℈iv.
(*Not.* pro foeminis omittenda est essent. odorif. & in locum hujus *essent. castorei* substituenda.) Misce.

In melancholia, epilepsia uteri, aliisque morbis chronicis hujus essentiae virtutes sunt admirabiles. DOSIS à ℈j. ad ʒß. & ultra, in vino vel aliquo liquore conducibili & appropriato.

Tinctura Tartari.

℞. *cremoris ♀ri albiss. & opt. pulverif.*
ol. ♀ri per deliquium fact. ā. ℔ß.

Misceantur ac leni calore in vitreo vase iterum coagulentur. Ex hac massa, quae prius super porphyrite laeviganda est, extrahitur Ra rubicundissima, beneficio aquae temperat. q. s. quod tinctum est, auferatur, & nova ▽ temperata affundatur, digestione levi peracta, iterum quod tinctum defundatur, liquores tincti, per chartam emporeticam filtrentur, & abstrahantur ad tertiam partem usque: reliqua Ra ♀ri asservetur in usum necessarium.

Praestans est in melancholia & affectione hypochondriaca, arthritide, calculo, & retentione urinae; omnes enim crassos & ♀reos humores expellit, & in morbis chronicis & diuturnis febribus intermittentibus utilissima est medicina, in vino vel aqua destillata appropriata. DOSIS est à ℈j. ad ʒß & ℈ij.

Hanc Ram etiam Clar. Dn. D. Cnoeffel. extrahebat cum phlegmate ⊕li non solum pro usu interno, sed & externo, ad membra podagrica & dolentia illinenda, topicum ab authore saepius adhibitum & probatum.

Mistura splenetica.

℞. *Ra ♀ri* ℥iß. *mistur. de tribus nost.* ℥vj.
♃ cochlear. ʒiv. *conf. alkerm.* ʒj.

Digerantur clauso vase per 24. horas. Colatura per chartam filtrata servetur usui. DOSIS à ℈ß. ad ℈j. & ℈ij. in liquore competente.

Mistura

Mistura splenetica alia D. D. C.

℞. ♀ri, per lignum sassafras correct. ℥iß. mixtur. de tribus ℥iij,
cochlear. ♃ris ā. ℥ij. essent. meliss. citri ā. ℈iv.
Mista omnia filtrentur, & in vitro cerâ optimè obturato serventur ad usum. Arcanum est in hydrope. DOS. à ℈ß. ad ʒj. in liquore idoneo.

Alia mistura splenetica D. D. C.

pro illustr. Dn. Subcamerario Regni Dn. Rilski.

℞. ♀ri sassafr. ℥iß. ⊖lis ʒiß. ♃ris ʒj.
fraxini. cochlear. ā. ℥iij. conf. alkerm. ʒij. Ræ sandal. q. s.
Misce omnia exactè, digestione per diem & noctem præmissa: Mistura per chartam filtrata servetur usui. Melancholicis, hypochondriacis, scorbuticis & arthriticis mirificè subvenit. DOSIS à ℈ß. ad ℈j. in vino vel aliis medicamentis & liquoribus destillatis.

Spiritus Tartari compositus.

℞. ♀ri (per infus. ligni sassafras correcti) ℥j.
Ræ ♂tis aperit. nost. desc. ℥ß. conf. alkerm. ʒj.
Mista stent per noctem (vitro bene clauso) in digestione, postea filtrentur, & ad usum serventur.

VIRES sunt incidendi, attenuandi, resolvendi. Hinc in arthritide, melancholiâ hypochondriacâ, scorbuto, hydrope, aliisque lienis & mesenterii morbis & obstructionibus convenit, sudorem & urinam promovet, & ab omni tartarea obstructione liberat.

DOSIS à gtt. x. ad xv. & ℈j.

Balsamum spleneticum externum Dn. D. C.

℞. ol. ♀ri destill. (& super lign. sassafras rectificat.)
balsami ♃ris, per ol. juniperi fact. ā. ʒij.
ol. cappar. express. (cum rad. anchusa tinct.) ℥ß. cum
cerato sandalino q. s. Fiat balsam. consistentiæ consuet. cui adhuc admisceantur ol. ligni sassafr. gtt. xvj. Duritiem & tumorem splenis à flatuosis humoribus & tartareis impuritatibus resolvit, si regio splenis bis in die inungatur.

TITULUS XVIII.

HÆMORRHOIDALIA.

Etsi fluxus hæmorrhoidum multoties salutaris esse, & à multis gravissimis morbis hominem liberare & præservare soleat, ob eamque utilitatem non cohiberi debeat; aliter tamen se res habet, ubi fluxus iste nimiâ frequentiâ & copiâ peccat, Quo malo cum S. Reg. Maj. JOH. CASIMIRUS, ob copiam & acrimoniam feculenti sanguinis non raro, & aliquando sex vel septem septimanis, omni die vexata fuerit, fluxu vulgaria Medicorum remedia spernente; nihilominus tandem adhibitis Cl. Dn. D. Cnœffelii medicamentis S. M. sæpius curata fuit, qualia sunt sequentia:

Emulsio coralliata Cl. D. D. C.

in fluxu immodico hæmorrhoidum, pro S. R. Maj.

℞. *decocti hordei.* ▽ *spermatis ranar. destill.* ā. ℥ij.
sem. melonum & cucumer. ā. ʒij. *amygdal. dulc. excort.* n. viij.
F. l. artis emulsio simplex. Adde *manus Christi coralliat.* ℥ß.
corall. rub. cum sperniola insuccator. ℈ij.
ocul. ♋. *præpar.* ℈j. M. F. Emulsio coralliata.

Hanc emulsionem S. Reg. Maj. per 10. dies continuavit, & ex solo usu hujus medicamenti convaluit.

Emulsio styptica S. R. Maj.

in fluxu magno hæmorrhoidum, & menstruorum, cum metu dysenteriæ, ex præscriptione Cl. Dn. D. And. Cnœffelii.

℞. *decoct. hordei cum rad. serpentar. s. q. parati,*
▽ *still. spermatis ranarum* ā. ℥ij.
sem. papaveris albi & nigri ā. ʒij. *gland. immatur.* n. ij.
amygd. dulc. excort. n. vj. F. Emulsio. Cui adhuc adde
gelatinæ C. C. ℥ß. *miv. cydoniatæ* ʒvj. *magist. corall. butyr.* ℈j.
cornu mineral. fossil. gr. xv. *extr. nostr. sedativi* gr. j. Misce.

Semel hanc emulsionem S. R. Majestas eundo cubitum bibit, unde fluxus uterque cessavit, ut Medico amplius auxilio non indiguerit.

Oleum

Oleum hæmorrhoidale.

℞. *rad. ſcrophulariæ* ℥ij. *chelidon.* ℥j. *herb. linariæ c. floribus* m. ij.
fol. hyoſcyami, flor. verbaſci ā. m. j. *ſpong. cynorrhod.* n. iv.
ſcarabæorum pilular. n. xij.
ol. ſpermatis ranar. ℔iſs. *lini in* ☉ *le albificati* ℔ß.

Factâ maceratione adde *ſucci cancrorum.* ℥iij. Bulliant lento igne, ad conſumptionem humiditatis, fiatque fortis expreſſio, inſolentur adhuc per aliquot dies. Mirum in modum lenit pertinacem tumidorum hæmorrhoidum dolorem, ſi calidè applicetur.

Unguentum hæmorrhoidale D. D. C.

℞. *ol. ſperm. ranarum, hyoſcyami, in quo rad. ſcrophulariæ ſint coctæ, lini, (in quo prius ſcarabæi & procellones bullierunt)* ā. ℥vj.

Quibus infundantur *uſneæ in oſſibus humanis collectæ,* vel loco hujus *muſci in tegulis domorum invent.* ℥iß. ⊕ ℥ij.

Inſolentur per menſem, in vitro benè clauſo, poſtea coquantur per mediam horam, oleum fortiſſima expreſſione ſeparatum, interim aſſervetur. Jam

℞. *aceti anodyni (ex* ✝ *flor. hyoſcyami & verbaſci, per infuſ. more conſueto confecti)* ℔iiß.
lithargyrii opt. pulveriſati ℔iß.

Stent in vaſe terreo vitreato, per octiduum quotidie bis vel ter ſpatulâ lignea agitando. Hoc facto

℞. *hujus infuſionis lithargyrii* q. ſ.
& cum olei ſuperius aſſervati ā. p. æqu.

Fiat unguentum, ſub continua agitatione, nempe, donec ambo concreſcant, in butyrum quaſi viridiſſimum.

Ad hujus *unguenti jam parati* ℥iij. adde *axung. urſi* ℥j.
pulv. ſperniol. noſt. ʒij. *opii* g. ij. Miſceantur pro S. R. Maj. in doloribus & tumoribus hæmorrhoidum.

Unguentum hæmorrhoidale aliud S. R. Maj. à Cl. Dn. D. Cnöffelio præſcriptum.

℞. *butyri hæmorrhoid. præced. abſque axungia urſi & opio parati* ℥iij.
rebis ſuillæ ſeu porci ʒvj. *croci* ♂ *tis noſt. ſtyptici, ſacch.* ♄ *ni, ſperm. ranar. noſt. coagul.* ā. ʒij. M. F. Unguentum.

 Memi-

Memini etiam S. R. Maj. à graviſſimo hæmorrhoidum fluxu quondam in Italia curatam fuiſſe, beneficio fruſtul. ſpongiæ in atramento (ex ⊕lo & galla parato) intinctæ, & in orificium conſuetum intruſæ. Pro interno remedio præſcripta fuit & infuſio ligni lentiſci, de qua ter in die bibit, ſcil. mane, à meridie & veſperi, aliquando & in prandio, loco potus ordinarii. Ex relatione ipſius Reg. Majeſtatis, Domini mei tunc temporis clementiſſimi.

Mirabile remedium eſt illud, de quo *Franciſc. Osw. Grembs M. Doct.* (*in lib. 2. c. 1. §. 5. n 74. Arbor. ſcil. integr. & ruinoſæ*) ſcribit, quod ſudor morientium intra linteolum collectus, & hæmorrhoidibus applicitus, fluxum ſiſtat, quod remedium Archeum timidum reddit, qui ex natura ſua mortem timet, ut propterea à furore remittat.

Pulvis externus hæmorrhoidalis niger.

℞. *ſperniolæ ſimpl. noſt.* (*ex oculis nigris præp.*) *cornu foſſilis* ā. ℥ß. ʒij.
○*nis crudi*, ⊕*li ad rubed. calc.* ā. ʒiij.
gallar. immaturar. pulveriſ. ℈vj. M. F. Pulvis.

Uſus ejus externus eſt, non ſolum in fluxu nimio hæmorrhoidum, ſed & in quavis hæmorrhagia, maximè vulnerum, ſi goſſypio exceptus, oſculis venarum ſtillantium imponatur.

Pulvis alius hæmorrhoidalis ruber.

℞. *cornu mineral. foſſilis, & labiis adhæreſcentis,*
lacc. rub. globuloſ. pictorum,
muſci cruſtacei oſſium human. ā. ℥ß. *aluminis crudi,*
ſperniolæ ſiccæ noſt. ex ipſis ranis cum propr. ſperm. parat. ā. ʒij.

M. F. Pulvis. Eandem habet virtutem & uſum cum præcedenti, nempe externum, etiam in deſperatiſſimis hæmorrhagiis, cæteris remediis nihil juvantibus.

Pulvis hæmorrhoidalis internus, pro Illuſt. Principe Razivvil.

℞. *corall. rub. præpar. unicornu mineralis ſeu foſſilis,*
ſperniol. ſicc. ſimpl. n. deſcript. ā. ʒij.
ſedativi noſt. citrati ſimpl. g. iij. *eſſent. roſar. ver. odorif.* gtt. vj.

Miſceantur in mortario lapideo, poſt dividantur in *6.* æquales partes

ad *6.*

ad 6. chartas, in emulſione ſpecifica ſeu aq. ſperm. ranarum ſumendas. Omnem hæmorrhagiam ſiſtunt.

Amuleta in fluxu hæmorrhoidum.

Omnia illa amuleta, quæ in hæmorrhagia narium & fluxu nimio menſtruorum recenſita ſunt, & collo appenduntur, atque manibus tractantur, & hic locum habent.

Præ aliis à proprietate valet cingulum ex linteo urticæ crudo, (ſeu loco hujus cannabino) ſpermate ranarum inſuccato. Item cingulum ex herb. burſæ paſtoris recent. collecta. Mulierculæ in Ruſſia, ad hoc negotium muſcum terreſtrem clavatum C. B. (quem & ibi pliicariam vocant) ſibi eligunt. *Hartmannus in prax. chim.* vult cingulum ex foliis hellebori nigri conquaſſatis recentibus, nudo corpori circumdatum, quo ipſemet feliciter uſus eſt. Pelle leonis, ſi ei inſideatur, hæmorrhoidum dolores efficaciter leniri, author eſt *Jonſton. de quadruped. hiſt. nat. p.* 117. Laudatur etiam

Annulus ſtellatus Helmontii,

Quem Clariſſ. *Dn. D. Chriſtianus à Paulitz*, S. R. Maj. p. m. Medicus, amicus & collega meus chariſſimus, ab Illuſtriſſ. Principe van Eggenberg dono acceperat, & S. R. Maj. Joh. Caſimiro p. m. (me præſente) iterum obtulit, quæ R. Maj. annulum, exterius auro, absque igne ornari juſſit, & per multos annos digito manus ſiniſtræ geſtavit. Annulus ſtellatus deſcribitur *ab Helm. in libro de Lithiaſi cap.* 2. *& in tract. ſuper verba. In herbis, verbis & lapidibus magna eſt virtus.*

Quod cæteris nihil juvantibus (inquit Author) ſi geſtetur annulus, ſubito & in ipſo ſpatio orationis Dominicæ omnes hæmorrhoides, tam cœcas, quàm apertas, & illarum dolores, uti etiam matricis affectus ſiſtere ſolet. Meminit & hujus annuli *Unzerus de epilepſia lib. 2. c. 13.*

Hæmorrhoides ſunt (ut multi volunt) nonnullis hæreditariæ, præſertim apud Judæos, qui graviter iis infeſtantur; & ſi hoc, fortaſſe non malè ad maledictionem divinam referunt, quippe qui clamaverunt, ſanguis ejus ſuper nos & filios noſtros. Quod probare videtur *Pſaltes*, dicens, quod percuſſerit DEUS eos in poſterioribus dorſi, opprobriumque illis dederit ſempiternum.

TITU-

TITULUS XIX.

ANTINEPHRITICA.

Specificum Antinephriticum,

seu

Medicamentum cryſtallinum

S. Reg. Maj. VLADISLAO IV. &c. uſibus dicatum à. Cl. & Excell. Dn. D. Andrea Cnöffelio.

Rec. *magiſter. cryſtal. montan. lithontriptici* a. ℥j.
♀ri - ⊖lati *cryſtalliſati* ℥ß.
ſpir. ⊖*li coagulati & fixi, ſandal. rub. pulv.* ā. ʒj.
Miſc. probè ſubigendo in mortario vitreo in alcool. Sign. *medicamentum cryſtallinum pro S. R. Maj. Vlad. IV.* Summum & arcanum in frangendo, atterendo, radicitusque pellendo calculo, cujuscunque ſpeciei, & loco, ideò & in arthritide, aliisque morbis ♀reis ſumitur, omnem enim impuritatem limoſam, per urinam expellit, & gonorrhœam curat. DOS. à ℈j. ad ℈iß. & ℈ij. in brodio, vino, vel alio liquore deſtillato, bis, ter vel quater in ſeptimana.

Magiſterium cryſtallorum montan.

Rec. *cryſtallorum pellucidarum* ℔j. *ſpir.* ⊖*li non dephlegmat.* ℔ij. Cryſtallus igniatur, extinguaturque in ſpir. ⊖li, qui labor decies repetendus eſt, tandem ſuper porphyritem redigatur in ſubtiliſſimum alcool. Sign. ut ſupra. VIRES hujus magiſterii ſunt ad calculum totius corporis atterendum. Prodeſt & podagricis, & aliis quamplurimis morbis. *Petræus diſſert. 40. Noſologiæ ſuæ:* Cryſtallus eſt medicina calculi, qua non præſtantior alia. Et *Paracelſus in annot. ad cap. 1. tract. 3. lib. 1. de tart.* In lapillo duro (ſcil. reſolvendo) non eſt præſtantior medicina cryſtallo, felix il, lequi poſſit præparare.

Spiritus ⊖li, poſt præparationem cryſtallorum relictus, filtretur per chartam & reſervetur interim, ſigneturque ſpiritus ⊖li cryſtalliſatus. VIRES cenſetur habere diureticas. DOS. gtt. vij. ad x. in juſculo carnis, decocto petroſelini, aquis deſtillatis ſpecificis, vel alio vehiculo idoneo.

Tar-

Tartarus vitriolatus cryſtalliſatus.

℞. *ſpir.* ⊕*li cryſtalliſati*, part. j. *ſalis* ♀*ri liquidi*, part. ij. Affunde guttatim ſpir. ⊕li, ſuper liquorem ſalis ♀ri, tamdiu, donec ſtrepitus ceſſet, idque in vitro capaci; ſic fiet coagulum, ſedatâ ebullitione, & evaporatâ humiditate, & quidem lento calore ad ſiccitatem, reſiduum ſervetur pro ſpecifico antinephritico, vel per ſe ad alios uſus.

Eſt inſigne digeſtivum, quod in omnibus obſtructionibus viſcerum exhibetur. DOS à ℈ß. ad ℈j. in conveniente liquore.

Magiſterium lithontripticon.

℞. *ſpir.* ⊖*lis opt. rectificati* ℔j. Solvantur in illo
lap. Judaic. lyncis, ſpongiæ, aquilæ ā. ℥ß.
oculor. cancri ℥vj. Infundantur lapides (prius contriti & pulveriſati) ſpiritu ⊖lis, ſtent per aliquod tempus in digeſtione, donec plane ſint ſoluti. Solutiones claræ & flaveſcentes decantentur, & filtrentur & cum ſpiritu ⊕li cryſtalliſato, guttatim inſtillato præcipitentur in butyrum dulce. Pulvis præcipitatus exſiccetur & aſſervetur in vitro puro

Not. Præcipitatus pulvis & cum ſpiritu ardente baccarum juniperi circulari poteſt, quo iterum abſtracto remanebit in fundo vitri coagulum, inſtar butyri, eſt medicina diſſolubilis in omni liquore.

VIRES habet lithontripticas. DOS. à ℈ß. ad ℈j. & ℈iß. per ſe vel cum diuretico aliquo alio, præcipuè vero dicatur componendo ſpecifico noſtro antinephritico, ad quod etiam requiritur

Spiritus vitrioli coagulatus.

Fiat prius ſal fixum nitri, cum frequentiſſima ſulphuris in crucibulo ignito injectione, ut ſcis. Secundo à ſale hoc fixo in MB. identidem abſtrahe ſpiritum ⊕li rectificatum, eo uſque quo ſal hoc nitri fixum, nihil amplius receperit.

Pilulæ in calculo renum & veſicæ.

℞. *magiſterii noſtri lithontriptici*, ♁*ii diaphoret. reſol.* ā. ℈iß.
ſalis ſuccini, ℈ß. g. v. *extr. noſtri ſedativi* g. iij.
ſucci glycyrrh. inſpiſſ. g. xij.
Miſceantur & fiat maſſa, ex qua formentur pil. n. 21. pro tribus vicibus, pro qualibet doſi n. 7.

Sumuntur circa ☽ ſuperbibendo bonum hauſtum aciduli vegetabilis.

Aqua antinephritica.

℞. *fragorum rec. mensur. Pol.* n. iv. (4. stoff.) *baccarum a'kekengi* ℔iß. *rad. raphani radula concisæ* ℔ij. *sem. dauci vulg.* ℔ß. *succi betul. mens. Martio coll.* ℔xxiv.

Mixta per B. V. s. art. destillentur. Liquor prolectus inde servetur ad usum de stinatum attenuando, incidendo, & detergendo urinam movet, renes, ureteres & vesicam ab omni saburra ♀rea liberat, calculum frangit, & educit, ejusque efficientes antecedentes omnes tollit causas. Dosis aquæ hujus ℥j. ad ℥iij. per se vel cum sir. dialthææ vel alio idoneo.

Sorbetta anti-nephritica.

℞. *sorbettæ (seu scerbett. Turc.) inspissat.* ℥viij. *liquoris betul. clarificat. mens.* j. (℔ij.) *essent. citri ex cort. rec. extr. ad placitum* M. & fiat potus gratus.

In defectu sorbet. Turc. (quæ ab Armenis Leopoli, ac Varsaviæ, tempore comitiorum facilè venalis invenitur) fiat,

Limonada antinephritica. S. R. M.

℞. *liquoris betulæ fermentati ac clarific.* ℔j. succi expressi acidi citri tantum, quantum tria poma citria in se continent. Post in alio vitro

℞. *succi seu liquoris betulæ* ℔j. *sacch. albissimi* ℥viij. Misce tamdiu, donec saccharum penitus sit dissolutum.

M. sc. liquorem superiorem acidum, cum liquore saccharato invicem, sæpiuscule transvasando; postea limonada tali modo parata, subtilissimo colo trajiciatur, & ad usum asservetur. Si placet, limonada tandem cum essent. citri, ex corticibus rec. extr. s. q. aromatisari potest, quod unum erit cum sorbet, seu scerbet. Turc. in Italia, Hispania aliisque regionibus calidis vilioris conditionis homines aquæ fontanæ tantum permiscent, succi citri seu limonum, quantum pro grata aciditate sufficit, qua potione absque saccharo non solum æstivo tempore, verum etiam in febribus ardentibus, pro extinguenda siti sæpius utuntur; beneficio salis & nivis etiam congelari solet, qui potus glaciatus, vel glacie infrigidatus, minimè approbatur, rationes inquiret B. L. in tract. curioso ac utili Cl. *Dn. D. Bartholini de usu nivis.*

Conciliatur & scorbettum seu limonada apud nos hiemali tempore (ubi scil. poma citria & limones non semper recent. haberi possunt,)

possunt,) beneficio pulveris acidi & grati, cujus descriptionem exposuit *R.P.Ferrarius in lib.3.c.34.de malorum aureorum cultura*.qui talis est:

Pulvis acidus ex succo limonum.

℞. *limones minusculi*, in frustula circulatim secantur, & filo tenui transsuuntur, ita, ne inter se contingant. Deinde in cistella componuntur; & in caldaria cella, furno imposita, diebus decem pluribusve habentur, donec leni calore perarescant. Tum aridæ medullæ cultro continguntur, ut solvantur in pulverem. Collectus hic in lapidea pila ligneo pistillo minutissime conteritur & seponitur in usum: nempe ut aquæ potio jucunde mordax, utque dulcacida compositio, quam sorbettum vocitant, concinnetur.

Primum ens betulæ & liquor seu succus betulæ quid sit, & quomodo colligatur.

Liquor seu primum ens betulæ nihil aliud est, quam ille succus mercurialis, qui mense Martio, accrescente luna, sub cortice vulneratæ betulæ colligitur, ingentem enim dat copiam liquoris, seu succi aquosi limpidissimi, in Russia atque Livonia, ubi in magnis doliis singulis annis colligitur; soli prius exponitur, & post peractam fermentationem repositus, per totum ferè annum, postea conservatur pro potu ipsis gratissimo. Ferunt Tartaros circa mensem Martium, hunc tantum liquorem potare, seque hoc potu ab omni morbo præservare. Hic annectere sequentia ex Cl. *Helmontio de lithiasi c.9.* operæ pretium esse duxi: Olim observavi (inquit Helmont.) principibus Germaniæ fuisse uernaculum, quod contra lithiasin quotannis in Majo biberent quotidiè haustum liquoris è cortice vulneratæ betulæ. Quem liquorem præservabant à corruptione aëris, illi affundendo oleum olivarum. Vulnerata arbor Germanis ein Birckenbaum/ nostratibus vero Beerkenboom dicitur. Vulneratur enim cortex betulæ, propè terram in trunco, mense Martio, circa tempus, quo solet vulnerata vitex plorare novellum liquorem, è terra haustum. Sed is liquor betulæ est totus aqueus, ac penè insipidus. Sin autem ramus aliquis, spissitudinis trium digitorum, ad semidiametrum vulneretur, inditaque lana repleatur, statim flet liquorem non ingratum, at subacidulum, qui etiam in ipso lithiasis tormento solatur afflictos, tribus quatuorve cochlearibus assumptus. Meracior ergo est, qui supernè à ramis, quam qui infernè à trunco fluit. Aquosus

autem planè,qui propè terram effluit. Hucusque circa modum colligendi citatus Author,plura adhuc de betula & ejus liquore atque virtute & usu, ibidem.

Huic postea jungo illa, quæ Cl. *Dn. D. Andr. Cnöffelius* circa usum & virtutem,in observationibus suis,sibi annotaverat,hoc sensu:Certo quidem constat experimentum hoc ex tractatu *Helmontii de lithiasi*,sed & experientia propria idem confirmat,*primo* in casu,quem Illustriss. Palatino Pomeraniæ, *Domino Dœnhoff* contigisse memini, cui primo balneum,deinde internus usus acidularum vegetabilium è succo betullæ,comminutis & ejectis tam calculis,quam saburrâ mucaginosâ,quasi cruenta,cæteris nihil proficientibus, notabiliter profuit: *secundo* in affectu *Illustriss. Dn. Palatini Weiheri* Marienburgensis, qui,uti mihi fassus est, à pluribus annis, quam primum leviori saltem frigori se exposuisset, molestam urinæ nigræ excretionem passus est. Ex eo vero, quo familiariter mulsum tenue ex succo betulæ,loco aquæ simplicis, præparatum bibit,jam raro, & non nisi occasione magnâ irritante,talis comparet urina.

Itaque quotannis succum in magna quantitate comparare decrevi, ut postea cum saccharo & pomo citri,limonadam,seu acidulas vegetabiles in æstate parem. *Huc usque Cnœffelius.* Vide & *Diatr. de lithiasi Gualt. Charleton. c.3.* à quo & succus betulæ cum sem. dauci fermentatus, pro Illust. Cancell. Regni p.m. præscriptus fuit.

Meminit & hujus liquoris betulæ Clar. *Dn. D. Simon Schultzius*,(*in tertio Anno Miscellaneorum curiosorum obs.*155. de calculi remediis)& adhuc alii plurimi.

Electuarium contra calculum Dn D.Cn. pro Generoso Dn. Colonello Geiretzki.

℞. *sanguinis hirci, secund. Helmont. præpar.* ℥iij.
magist. nostr. lithontriptici butyr. ℈vj.
cons. petroselini, hederæ terrestr. ā. ℥iß.
elæosacch. citri ex recent. extim. cort. extr. ℥j.
sir. malvæ compos. n. præp. q. s. M. F. electuarium.

Usus. Manè à lecto surgenti, sumitur quantitas nucis castaneæ, per aliquod tempus.

Essentia lithontriptica & antiarthritica.

℞. 🜄 *juniper., hederæ terrest.* vel quod melius 🜄 *nost. lithontriptici* ā. ℔ß.

extr.

extr. rad. saxifrag. bacc. juniperi ā. ʒij.
fol. hederæ terrest. alkekeng. ā. ʒj. ⊖is ♀ri ʒj. ℈j.
ol. juniperi ʒj. *carui, anisi* ā. ℈j.

Commixta digerantur in vitro optimè clauſo tamdiu, donec perfectè uniantur, poſtea filtretur per chartam emporeticam eſſentia, uſuique aſſervetur. In omni calculorum genere, DOS. cochl. ſemis ad j. & ij.

Nota: Lachryma vitis viniferæ menſe Martio collecta in calculo renum & veſicæ eſt remedium ſæpè probatum. DOS. ℥iij. bis in die.

Miſtura lithontriptica & antiarthritica.

℞. Ræ ♀ri ℥iij. (*per* ⌒ *ſcil. lith. fact.*) ♀ri *ſaſſafrati* ʒiij. *extr. lithontript.* ʒj. *eſſent. cort. rec. citri* q. v.

Stent per ♂ & ♀ in digeſtione, poſtea filtrentur per chartam. DOS. à ℈ß. ad ℈j. & ʒj. in liquore appropriato deſtillato ſeu vino Rhenano.

Tinctura Tartari.

℞. *cremoris* ♀ri *albisſimi*, & ♀ri *in furno figuli opt. calcinati* ā. ℥iij. *ol.* ♀ri *per deliquium facti* ℔ß.

Mixta ſtent in loco calido tamdiu, donec leni exhalatione humiditatis, totum iterum ad priſtinam ſiccitatem redactum ſit. Ex relicta maſſa prius in pulverem redacta, extrahatur beneficio *ſpir. vin.* lithontriptici opt. ardentis, & quidem repetita affuſione, Ra rubicundiſſima; ſpiritus incti, & prius filtrati, in MB. iterum ad juſtam Ræ conſiſtentiam abſtrahantur. VIRES habet aperiendi, incidendi & reſolvendi craſſos tartareos humores. Hinc in obſtructionibus hypochondriorum, arthritide, calculo & morbis aliis diuturnis & chronicis, inſignes habet virtutes. Datur à ℈j. ad ℈ij. & ʒj. in juſculo vel vino, ſeu alio liquore, inde & à ſæpè nominato D.D. M. L. pro Regia Maj. fuit præſcripta. Maximè in colica nephritica, ſub hac formula:

℞. Ræ ♀ri ʒij. ⌒ *carminativi, lithontript.* ā. ℥ß. ʒij. *elæoſacch. citri ex cort. extim. & recent. extr.* q. v.

M. Fiat miſtura, pro S. R. Maj. DOS. cochl. ß. ad cochl. unum, ſed parvum.

Spiritus vini lithontripticus Officinæ Regiæ Warſavienſis, tempore VLADISLAI IV.

℞. *fol. hederæ terreſt.* m. iv. *ſem. dauci* m. ij. *rad. petroſelini, raphani maj.* ā. ℥iß.

fruct. cynosbati m. ij. *nucl. Persic.contus.* m. j. *avenacei* ℔ viij. Stent in infusione per octiduum, postea destillentur in MB. seu VB. ✓us in prima destillatione prolectus, tingatur cum fol. hederæ terrestris q. s. in colorem viridissimum. Vel

℞. *hujus spiritus* ℔j. sirupi *violacei* ℥iij. *Olis vel Olei* ♀*ri* gtt. aliquot. Et erit simili modo *spir. vin.* lithontripticus viridissimus.

Emulsio nephritica D. D. B.

℞. *sem.* 4. *frig. maj. excortic. non rancid.* ā. ʒij. *papav.* ʒj. *nucleor. persicor. purgat. cerasor. amygdalor. amar. decort.* ā. ʒiij. *decoct. hordei cum sem. dauci præparat.* ℥iv. *aq. petroselini, liquor. betulæ still.* ā. ℥j. Fiat emulsio. Adde *sir. seu julap. è succo betulæ, de althæa Fernelii* ā. ʒiij. *oculor. ♋i præparat.* ʒj. *spir. fragor.* gtt. aliquot. M. Sig. Milch auf die Nacht auf. 2. mahl.

Infusio ligni nephritici.

℞. *ligni nephritici veri & in particulas parvas prius concisi* ℥iv. *liquoris betulæ purificati (seu vini Rhenani.)* ℥xxxij. Macerentur simul & tamdiu, donec liquor infusus colorem cœruleum dilutiorem contraxerit. Adde *sacchari citrati* ad placitum in difficultate urinæ, & dolore nephritico, mirabiles experiuntur effectus ex hac infusione ii, qui assiduè eâ utuntur.

DOSIS ℥iv. manè tribus horis ante prandium, per 14. dies. Sunt, qui potum ordinarium atque vinum ea diluunt.

Hanc infusionem (quæ gratissimi est saporis) per aquam fontanam seu acidulas Egrenses, sibi ipsamet parare solita est Regia Majest. p. m. VLADILAUS IV. Dominus meus clementissimus.

Ludum Cnœffelianum Com.

Secreti præparatio Paracelsi & Helmontii.

NEmo miretur, me oleum ludi *Cl. Cnœffelii*, cum illo, quod ab *Helmontio lib. de lith. c.* 3. §. 28. & ante illum à *Paracelso lib. de morb.* ♀*reis, edit. Germ. c.* 20. *p. m.* 314. & *tract.* 2. *c.* 1. *p.* 487. describitur, sub uno titulo, & una præparatione, hic comprehendere, cum tamen Medici insignes & quamplurimi Paracelsi & Helmontii ludum ex solo & uno subjecto extrahi velint. Sed incidit in mentem, quod Author noster quandoque *mihi* & Cl. Dn. D. *Paulitio*

p. m.

p. m. narravit; cum nobis lapidem quendam pallidi coloris, magnitudine pollicis & formæ tabulatæ monstraret, dicens, *hic est verum ludum Helmontianum, mihi ex Brabantia transmissum.* Sed non solum hic lapis talem habet virtutem, calculos in corpore humano comminuendi, sunt & plures lapides saxifragi, qui eandem habent facultatem. Et uti Helmontio concessum erat, eligere sibi saxifragum, in territorio Antwerpiano, quem Paracelsus fortè nunquam vidit, neque in illis terris fuit, sic & mihi potestas permissa est hoc faciendi, & eligere saxifragum, qui in Prussia & mea villa, non procul ad ripam fluminis Nagot invenitur. Hic solum agitur de præparatione, quæ primò, beneficio liquoris alicujus alkahestini instituitur, prout in ludo meo composito fieri solet, & cum Helmontiana una est. *Hæc erant verba Domini Authoris nostri.* Jam sequitur ergò ejus compositio:

℞. *lapid. lyncis, (alias ludum nostr. vocatum,) Judaici, spongiæ, cancrorum & aëtitis* ā. q. pl.

Pulverisatis & opt. contritis, & in alcool quasi redactis affunde

♈ ⊖is nost. *ad supereminentiam trium digitorum,*

Stent in digestione tamdiu, donec videris spiritum assumsisse, quod potuit, tunc modica inclinatione, quod clarum est, effunde; affunde novum spiritum, donec vel totum, vel magnam partem solveris. Celerius expeditur extractio, si ista prius fuerint calcinata, quod aliàs omittitur. Solutiones seu extractiones in vitrea concha coagula, si liquorem vis perdere, sin minus destilla, & abstrahe ♈ ⊖is, ad siccitatem usque. Coagulum contritum, exactissimeque levigatum, solve deliquio, in cella, vel alio loco humido; coagula denuò & solve, idque dum nolit amplius cogi & siccescere. Oleum hoc per deliquium paratum hermeticè claudatur in ovo philosophico, & observato ignis regimine, stet tamdiu in digestione, donec abeat in formam pinguedinis instar liquescentis. Dosis hujus olei ludi est gutta una usque ad vj. & x. ex vino albo præbita. Frangit & atterit omnem calculum totius corporis, hinc convenit & podagricis. Plura de virtute hujus quære in Helmontio de lithiasi.

Præsentissimum hoc remedium à Paracelso primo inventum, (*lib. de morb. Tartar. c. 20. tom. 1. pag. 314. & tom. 2. de Tart. fol. 485. Germ. edit.*) & ab *Helmontio lib. de lithias. c. 3.* item in *Libavii Syntag. arcan. chim. tom. I. l. 3. c. 24. Untzero de lith. & Cunrado Kunrad. in medulla destillatori*[illegible] 148. descriptum, vocavit Cl. D. D. A. Cnöff. *Oleum lithon-*

Lithontripticon, quod in S.R.Maj.Subcammerario,Illust.Dn.Theodoro à Döhnhoff expertus est, in dolore renum & inguinum & hærente urina, quam mox copiosissimè cum uno & altero tophulo ejecit, sub hac formula:

℞. *ol. hujus lithontriptici* ℥ß. 🜄 *♀ris & melissæ* ā. ʒj.
🜂*æ nost. arthritic. intern. in forma julapii seu acidularum absque sir. violaceo* ſ. q.

DOSIS hujus mixturæ ʒiij. primis diebus, mane & à meridie in jusculo carnis seu cerevisia calida sumendæ, usque dum dolores remiserint, reliquis diebus tribus vel quatuor, sumitur saltem mane,& semel in die.

Liquor lithontripticus.

In defectu hujus medicamenti antea præscripti, Cl.Dn. D. A. Cn. aliquando & sequentem substituit liquorem.

℞. *ocul.* ♋, *lap. judaici, lincis, spongiæ, aëtit.* ā. q. v. ſc. ʒj.
Pulverisatis affunde 🜄 *🜍li philosophici* ℥iß.
Stent in digestione ad totalem quasi dissolutionem. Solutioni filtratæ postea addantur 🜄 *🜍li rectificati ord.* ʒij. Misce.

DOSIS gtt. ix. usque ad x. in brodio vel vehiculo convenienti.

Arcanum sanguinis hirci contra calculum.

Aliud adhuc medicamentum specificum contra calculum possidebat p. m. Cl, Dn. D. A. C. ex sanguine nempe hircino prius præparato, quod

℞. *sanguinis hirci, secundum Helmont. præparati, magist. lithontriptici nostr. descript.* ā. ℥ß.
*sacchari albissim.pulv.*ʒj. *essent. citri ex cort. extim. rec. extr.* ad pl.
M. F. pulvis. DOS. ℈ij. ad ʒj.

Sanguinis hircini & capræ passim apud Authores fit mentio, de quo vid. *Henr.Petræi Nosolog. Dissert.* 40. Meminit & hujus *Vidus Vidius l.* 10. *c.* 20. *Joh. Arculanus, Heurnius, Sanctorius l.* 15. *c.* 4. *Rondeletius in Consil. Craton. Consil.* 150. *Lælius à fonte, in Consult.* 84. *Cæsalpinus l.* 3. *c.* 29. *Pract. Forest. in schol. ad Observ.* 25. *lib.* 24. *Mich. Paschalius lib.* 1.*meth. cur.* 47. *Renodæus lib.* 3. *c.* 3. 15. *Borellus Cent.* 2. *Observ.*88. *R. P. Athan. Kircherus, lib.* 3. *de magnet. Kyperus in Instit. Phys. lib.* 5. *c.* 2. § 7. & alii quamplurimi; præsertim verò ille magnus Medicus *Helmontius*, qui & in pleuritide hoc remedium commendat. Et *Oswaldus Gabelkofer in*

lib.

lib. Medic. Würtenburg, medicamentum quoque egregium ex ſanguine hircino contra calculum renum conficere docet. *Scaliger Exerc.* 344. *num.* 8. ait: Hircinum ſanguinem frangere in renibus ac veſica lapidem, tàm verum eſt, quàm ſolem meridie lucere: quamplurimos enim ejus vi comminuimus. Verum hoc ita ſimpliciter fieri nequit, niſi hircus ſeu capra lithontripticis herbis prius fuerit paſtus.

Præparationem ſanguinis hirci inveniet B. L. apud *Helmont. in tr. Pleura Furens* §. 32. item apud *Zwelfer. in animadv. in Pharm. Aug. p.* 419.

Lapis nephriticus factitius internus.

℞. *magiſterii cryſtall. montan. n. deſc. lithontript. noſtri* ā. ℥ß.
ocul. ♋. *cum infuſ. lign. nephrit. præpar.* ℥j.
petroſelini adhuc humidi & recenter facti ad tingendum colore viridi q. ſ. Miſceantur, & cum mucilagine tragacanthæ per infuſionem ligni nephritici facti q. ſ. Fiat maſſa, ex quâ poſtea formentur lapides ſignati inſtar terræ ſigillatæ, vel alterius cujusdam formæ.

Hic lapis omnem calculum in corpore humano atterit, & cum urinâ expellit.

DOSIS à ℈j. ad ℈ij. vel ʒj. in liquore convenienti prius diſſolutus, vel in pulverem redactus.

Lapis nephriticus factitius externus.

℞. *vitri* ♄*ni, ex minii* part. ij. & *ſilicum fluviatilium pulveriſ.* part. j. *parati*, ⊕*ri purificati* ā. ℥iv.

Uniantur fuſione in ✝bulo, materia adhuc liquida effundatur ſupra tabulam cupream, calefactam, à lateribus argillâ munitam; & ſic habebis lapidem vitri inſtar ſplendentem, qui lumbis & regioni renum applicatus, eundem cum lapide nephritico naturali præſtabit effectum: de quo Auctores inſpiciendi. Omnem enim intemperiem calidam renum emendat, & in gonorrhœa virulentâ auxilium eſt rarum: quod etiam tabula ex ⊕ro ſolo fuſa aliquando præſtare ſolet. Sunt qui vitrum ♄ni pulveriſatum & ſacculo incluſum regioni lumborum applicant, ſicque eundem ſentiunt effectum.

TITULUS XX.
CAPUT I.
VENEREA.
Species confortantes.

℞. *spec. diasatyrion. simpl. diatrion piperewv* ā. ʒiij.
diamosch. dulcis, diambræ ā. ʒj. *lithontriptic.* ʒij
boleti cervini, priapi cervi, carnis stinci marini ā. ʒj.
semin. urticæ, erucæ, linguæ avis a. ʒij.
cardamomi, cubebarum, macis,
cassiæ ligneæ cinamomisatæ, caryophyllatæ ā. ʒj.
olei macis ℈ß. *cinamomi* gtt. v. M. fiatque pulvis subtilissimus.

In confortandâ & stimulandâ venere est pulvis præstans. DOSIS ℈j. ad ℈ij. plus minusve, prout Medico videbitur, in aquæ cinamomi cordiali q. s. horâ unâ ante somnum.

Trochisci confortantes S. Reg. Majest. ex præscriptione Dn. D. Matth. Littau.

℞. *magisterii butyracei perlarum, carnis stinci marini, priapi cervini debito tempore,* (dum videlicet in coitu est) *excisi & subtiliter pulveris.* ā. ʒj.
ambræ gryseæ ℈iß. *macis* ʒij.
pulveris viperini, succoladæ Indicæ ā. ʒvj.
sacchari albissimi ℥iß. cum *glutine veratri cervini* q. s. & *confect. alkermes* ʒij. Fiat massa, adde
ol. cinamomi gtt. iij. *caryophyll.* gtt. ij.
nuc. mosch. expressi ℈ß. *essentiæ moschi* g̃. xij.
Impastentur optimè, tandem fiant trochisci.

Ad restaurandam totam naturam, senibus & iis conducunt, qui officium maritale præstare non possunt. DOSIS à ℈j. ad ℈ij. sub ingressum lecti, in haustu vini malvatici optimi.

Trochisci viperini confortantes Dn. D. G. pro S. R. M. VLADISLAO IV.

Rec. *ambræ gryseæ cum semine alceæ odoriferæ in pulv. subt. redactæ* ʒij.
moschi orientalis veri optimi ℈j. *magist. perlarum butyracei* ℈viij.

pulveris

pulveris viperini nostri simplicis, succoladæ Indicæ subtil. pulv. a. ℥j.
sacchari Canar. pulverif. ℥ij. Ex omnibus exactè mixtis, additis
confect. alkermes & *gelatinæ priapi cervini* a. q. s.

F. Pasta mollis, ex quâ formentur trochisci minores scrupulum dimidium ponderantes, qui chartæ inclusi lentè exsiccandi sunt. Sign. rotulæ pro S. Regia Majestate.

DOSIS n. iv. usq; ad vj. & viij. horâ unâ vel alterâ post cœnam, superbibendo bonum haustum vini generosi seu aquæ cinamomi cordialis.

Pasta Regia confortans.

Rec. *amygdal. dulc. excortic.* ℥iv.
pinearum mundat. non rancidarum pistaciorum decorticat. a. ℥iß.

Contundantur probè & minutissimè in mortario lapideo ad pultis formam addendo per intervalla
aquæ cinamomi cordialis q. s. quibus postea admisceantur
succoladæ Indæ subtil. pulverif. ℥iij. *sacchari albissimi pulv.* ℥xx.
rad. satyrionis condit. ℥ij. *cortic. aurantiorum condit.*
zingib. Indic. condit. a. ℥j. *nucis Indicæ conditæ* ʒvj.
spec. confortantium ℥iij. *cinamomi pulverisati* ℥iß.
caryophyllorum pulverisat. ℥ß. *macis* ʒvj. *ambræ* ʒiß.

Misceantur in mortario lapideo, & fiat massa tenax, ex quâ formentur orbiculi ad placitum, qui postea charactere ponderis ex unâ parte, ex alterâ verò signo consueto aquilæ albæ insigniri possunt: tandem exsiccentur in sartagine occlusâ vel super fornace, vel in alio loco calido, & asserventur in scatulâ ligneâ siccâ.

Pasta alia pro placentulis in extincta virilitate

Rec. *amygdal. dulc. excortic. pinearum mundatar.*
pistaciorum non rancidorum decortic. a. ℥iv.
pulpæ capi assati, perdicis assatæ a. ℥iß.
dactylorum, uvarum Damascenarum enucleat. a. ℥j.
cerebell. passerum in æquinoctio verno captorum & aquâ cinamomi ablutorum n. xxx. *renum cuniculorum juvenum* n. iv.
rad. eryngii conditæ, satyrii conditæ a. ℥j. *cinamomi acuti* ℥ij.
cassiæ caryophyllatæ, pulveris viperini a. ℥ß. ʒij.
carnis stinci marini ʒv. *ambræ gryseæ* ʒij.
moschi electi ℈ij. *sacchari albissimi* ℔ij.

Omnia optimè miſcendo redigantur in maſſam tenacem, ex quâ poſteà formentur panes dulciarii, qui ſenſim exſiccandi & auri foliis obducendi ſunt.

Ad virilem fortitudinem inſtaurandam, maximè ſi impotentia à maleficio, aut incantatione, aut pharmaco aliquo originem duxit. DOSIS à ʒij. ad ℥ß. ante ingreſſum lecti.

Ex communicatione Dn. Sebaſtiani Engelerti, Sereniſſimi Principis Caroli Ferdinandi pharmacopœi.

Morſuli confortantes D.D.C.

℞. *amygdal. dulc. excortic. piſtaciorum excortic. pinearum mundatarum non rancidar.* ā. ℥ß.
priapi cervi raſpati, tauri raſpati ā. ʒj. *ſeminis urticæ* ʒß.
carnis ſtinci marini ℈ij. *borracis* ℈j. *galliæ moſchatæ* ℈iß.
ſacchari albiſſimi ℥iv. F. cum aquæ cinamomi cordialis q. ſ. Confectio in morſulis.

Electuarium diaſatyrionis Dn. D. C.

℞. *electuarii diaſatyrion ſimpl. officinæ Regiæ* ℥iß.
pinearum recent. non rancidar. piſtaciorum excorticat. ā. ℥ß.
rad. eryngii condit. M. N. ſemin. fraxini, erucæ ā. ℈j.
ſpec. diatrion piper. ℈ij. *carnis ſtinci marini* ℈iß.
extracti glycyrrh. borracis ā. g̃. xv.
olei cinamomi gtt. iij. *caryophyll.* gtt. ij.
elæoſacchari citri ex recentibus corticibus ſine igne parati ℈ij.

Ex omnibus prius contuſis & conciſis more conſveto cum ſirupo ziziberis conditi q. ſ. F. electuarium mediæ conſiſtentiæ. DOSIS à ʒj. ad ʒij. & ʒiij. ſub ingreſſum lecti: ſuperbibatur vitrum vini moſchatellini ſeu Alicantini.

Eſſentia Regia compoſita.

℞. *confect. alkermes* ℥ß. *ambræ n. m. præparat.* ʒij.
eſſ. perlarum, trium pipereωv per elixir Matthioli factæ ā. ʒj. ℈j.
zibethi non ſophiſticati ℈j. *moſchi* ℈ß.
olei cinamomi gtt. viij. *caryophyllorum* gtt. iv. *macis* ℈j.
ſpir. formicarum compoſiti per ſpiritum ardentem facti, elixir. Matthioli ā. ℥iv.

Miſceantur probè & in vitro anguſti orificii, quod optimè clauditur; ſtent

ſtent] per octiduum in digeſtione,in loco tamen non nimis calido,poſtea filtrentur,& ad uſum in vitro bene munito ſerventur.

Cordiale,cephalicum & venereum eſt inſigne.Doſis gtt. vij. ad xv. & ultra,in vino generoſo Hiſpan. ſeu moſchatellino vel ▽ cinamomi.

CAPUT II.

Conſilium Cnöffelianum

de roboranda & confortanda virilitate in imminutâ potentia circa actum matrimonialem,pro quodam magno Principe.

SErenissimus & Potentiſſimus quidam Princeps circa alterum & novum matrimonium,& quidem ante adventum chariſſimæ ſponſæ ſuæ, conqueſtus eſt aliquomodo de impotentiâ quadam in ejaculando ſemine, quam contraxerat ab immoderato congreſſu venereo ſtatim poſt finitum morbum podagricum celebrato : non quidem quod totus actus ille ablatus eſſet, ſed ſaltim imminutus, ſiquidem rem perficere potuit,niſi quod aliquando membrum in ipſo coitu non ſatis diu permanſerit rigidum,adeoq; ſemen cum impetu ejaculare non potuerit Faſſus præterea eſt,ſe eo tempore,quo dolores podagrici in declinationem vergunt,vehementiores ſtimulos ſentire,quàm aliàs. Summoperè autem & immodicè rei venereæ deditus erat, etiam jam declinante vigore ætatis.

Conſilium autem à medicis ſuis exegit, tum in gratiam venturæ ſponſæ,tùm quoq; liberorum,quos feriò expetebat,ſibique certò ex hoc conjugio promittebat,procreandorum cauſſâ.Sequens itaq; Medici conſilium præſcripſerunt,dictante illud & proponente Clariſſimo Dn. D.Cn.

Primo inſtituebatur bona victus ratio, huic debilitati commoda, quæ etiam literis conſignata pharmacopœo exhibita fuit, tali ſenſu :

1. Nocte cibetur Sereniſſimus Princeps ſpermaticâ gelatinâ ex perdicibus, coturnicibus, caponibus, teſtibus gallorum cum radicibus ſatyrionis majoris ex brodio incoct.
2. Ovis tribus vel quatuor ſorbilibus, quæ omni tempore & jejunii occaſione varianda ſunt,de quibus omnibus culinæ præfectus à pharmacopoeo ſufficientem informationem capiet.
3. In ſingulo ovo exhibeatur *ambræ gryſeæ veræ* ℈j. ita ut pro unâ nocte *drachmam unam* capiat. Superbibat hauſtum vini boni & generoſi, nempe moſchatellini, malvatici, ſeu Hiſpanici, idque fiat per triduum, ſi neceſſitas urgebit ; ſed ne quid nimis!

 Deinde

Deinde externè pro roboratione sphincteris applicetur & intrudatur, quantum potest penitissimè sequens balsamum, quod

Rec. *olei nucistæ* ℥j. ʒj. *zibethi* ʒj. *croci martis n. præp.* q. s. pro excipiendo balsamo. Misceantur probè.

Applicetur cum bombace quotidiè semel sub ipso tempore & necessitate reponendi intestini. Quo tempore etiam simul regio tauri & perinæi, calefactis prius digitis, inungatur sequenti UNGUENTO quod

Rec. *olei nucistæ expressi* ℥ß. *lauri* ℥j *pulv. rad. pyrethri, cubebarum* a. ℈iv.
rad. aronis, aluminis plumosi a. ℥ß.
olei castorei stillatit. (Jacobi de Manliis) ʒiß. *caryophyll. stillat.* ℈ß.
zibethi ʒj. *moschi* ʒß. Misce & fiat unguentum.

Cum hoc unguento etiam testiculi circumcirca inungantur; vel solo zibetho, oleo nucistæ excepto, sed parcè tamen & semel per diem, cubitum iturus fricet.

Reliquo quatriduo, noctu sub ingressum lecti capiat emulsionem sequentem.

Rec. *nucl. pinearum excortic. pistaciorum mundat. amygdal. dulc.* a. ʒij.
testicul. satyr. maj. n. vj. *caponis* n. ij.
aquæ melissæ citratæ, petroselini a. ℥iij.
Fiat emulsio, adde *sirupi cinamomi, juleb. rosacei nostri* a. ℥j.
confer. alkermes ℈ij. *magisterii perlarum butyracei* ʒß. *ad* ℈ij.
M. singulo mane sumat *rotulas citro-tartareo corallinas* n. vj.

Interim de moderatione circa ipsum actum matrimonialem Princeps admonitus fuit, ne in illo excederet; & si possibile, post primum peractum somnum; secundum *Hippocratem*, qui victus rationem instituens omnino vult, ut labores sequatur cibus, cibum somnus, somnum coitus.

Balsamum VLADISLAVIANUM.

Rec. *olei nucis moschatæ expressi,*
unguenti stomachalis Ser. Reginæ Cæciliæ a. ℥ß.
axungiæ galli Indici ʒij. *rad. aronis pulverif. pyrethri* a. ʒß.
spec. diatrium piper. ʒij. *aluminis pulmosi* ℈ij.
olei formicarum per oleum spicæ vel bacc. lauri facti,
erucæ seu sinapi a. ʒij.
stillatit. caryophyll. ℈j. *moschi* ℈ij. *zibethi* ʒiß. M. F.

Balsamum. USUS & VIRES cum præcedente balsamo conveniunt.

TITU-

TITULUS XXI.

UTERINA.

CAPUT I.

ANTHYSTERICA.

Essentia uterina Dn. D. Cnœffelii.

℞. *galbani, castorei, opii correcti n. m.* ā. ℥ij.
spir. sambuci, spir. vini, utriusque rectificati ā. ℥xiij.
Misceantur probè, & in vitro benè clauso, stent in digestione, supra fornacem per octiduum, & diutius; extractio prius benè transcolata in usum servetur.

Essentia uterina alia.

Sedativum uterinum Cnœffelianum dictum.

℞. *theriacæ opt.* ℥ij *extr. castorei* ℥j. *croci* ʒij. *spir. nostr. sedativi* ℔j.
Fiat infusio, & post digestionem aliquot dierum, Ra extracta, & per chartam emporet filtrata (absque ulteriore destillatione) usui asservetur. Cui & adhuc admisceri possunt
in spir. vini ♀*risat.* s. q. *prius dissolut. ol. stil. menthæ crispæ* ā. ℈ij.
Misce. DOSIS à ℈j. ad ℈ij. & ʒj. in aqua aliqua hysterica, scil. melissæ, matricariæ, artemisiæ, seu vino; datur & per se cum expectato sudore, ante, & in ipso paroxysmo hysterico. Medicamentum est in qualicunque suffocatione matricis præstans. Præservationis causa sumitur, & singulis mensibus, & circa illud tempus, quo purgationes menstruorum instant.

Mixtura uterina officinæ Cnœffelianæ, Budissini, Dn. D. Nitzschio olim familiaris.

℞. *extr. liquidi galbani, cum spir. sambuci fact.*
castorei cum spir. sambuc. extr.
opii simili modo cum spir. sambuci parat. ā. part. æqual.
Mixta digerantur invicem, postea filtrentur & pro usu necessario serventur. VIRES tit. indicat. DOSIS est hujus mixturæ ℈ß. ad ℈j. & ʒß. in haustu aquæ hirundinum, per tres dies.

Proportio hujus mixturæ sit, ut ad unciam unam specierum, sumantur unciæ duæ spiritus sambuci.

Mixtu-

Mixtura hysterica alia Dn. D. C.

℞. *mixturæ antepilepticæ nostr. in forma liquida,*
essent. nostr. uterinæ. ā. ℥ß.
aqu. meliss. c. v. ℥ij. Misce DOSIS cochlear semis; exhibitum aliquoties remediis aliis multis frustra factis, semper profuit, inde hæc mixtura à Clar. Cnœff. in communi usu habebatur.

Pilulæ hystericæ Dn. D. Cn.

℞. *extracti castorei, sedativi nostr. pro mulieribus* ā. g̃. j.
M. Formentur pil. n. ij. auri folio obducendæ.
Una capiatur cubitum eunti, superbibendo scyphum trium unciarum emulsionis nostræ; & si mulier non dormiat & paroxysmus revertatur, altera etiam pilula post mediam noctem danda erit. Loco pilularum propinavit & infusionem corculi sui benedicti, per emulsionem institutam.

Emulsio hysterica Dn. D. Cn.

℞. *sem. papaveris albi* ℥ß. *pæoniæ, tiliæ* ā. ʒj.
nucleor. cerasor. nigror. ℈iv.
aq. artemisiæ, nymphææ, flor. sambuci, liquor. tiliæ ā. ℥iß.
Fiat emulsio, cui adhuc admisceatur *man. Christi perlat.* ℥j.
sedativi magni Archei, q. videbitur (quod ipsemet author emulsioni, prius in officina paratæ adjiciebat)
spir. melissæ gtt. xxiv. Misce.

Aqua hysterica compos. perlata.

℞. *aq. meliss. citrat. artemisiæ, epilept. Lang.* ā. ℥j.
hirund. compos. flor. Cheiri, cinamomi ā. ℥ß.
spir. sedativi nostr. compos. ℥iß. *melissæ* ʒij.
conf. manus Christi perlat. ℥j. *magister. perlar. butyrac.* ℈ij.
corallor. butyr. ʒj. M. Fiat aqua. Datur hystericis mulierculis, in paroxysmo & extra eum à cochleari uno ad duo, singulis binis horis, agitando tamen semper prius optimè vitrum.

Ex præscriptione Cl. Dn. D. Andr. Cnœffelii pro Magnifica Domina Busscrovva.

Pomum uterinum Cnöffelianum.

℞. *castorei opt. rec.* ℥iß. *gum. galbani* ʒiij. *assæ fœtidæ* ℈ij.
ceræ q. s. Misce & F. s. a. pomum, quod *ol. succini seu rutæ in ungen-*

ungendum, auri foliis obducendum, & capsulæ argenteæ, seu ligneæ includendum est.

In ascensione & strangulatione uteri, naribus admotum, subito uterum sistit, contra vero svaveolentia utero admovenda, ut moschi aut zibethi grana aliquot, cotone involuta, ut gratum odorem utero inspirent, ipsumque retrahant.

Uteri affectus, maximè strangulatio, suffocatio & furor fiunt ex productis à vitiata digestione, scil. ex semine corrupto, quæ archeum uterinum furibundum reddunt, ut is vel inflammationem uteri pariat; vel in animum sæviat, mentemque perturbet.

Itaque Helmontiano modo hunc affectum si quis curare cupit, illi opus absolvendum erit per remedium sedativum archei, si vero causam occasionalem abstuleris, & hujus acrimoniam sedaveris, tum forsan uterus de furore remittet. Modum procedendi vide in *Franc, Oswald. Grembs tract. medico theorico-pract. lib. 2. cap. 1. de Defectibus organ. hum. generationis.*

TITULUS XXI.
CAPUT II
In mensium defectu & retentione.

MEnstrua retenta multorum morborum causæ sunt, quemadmodum ipsorum purgatio naturalis à multis malis fœminas præservare solet; qua de causa vitio citò occurrendum, ne natura assveta desvescat ab excretione. *Primo.* Ex multorum consilio venæ sectio instituitur, & quidem statim à principio, & commodissimè, tribus vel quatuor diebus, ante tempus consuetæ evacuationis, ut materia ad motum concitetur. Vena quæ aperienda, in talo eligitur; sectio & aliquando in robustioribus, & in plethora repetenda est, una die nempe ex uno pede, postridiè verò ex altero, in quantitate, prout Medico videbitur, & natura seu constitutio personæ & morbi permittit. Ubi & hoc observare licebit, quod in junioribus luna crescente, in adultioribus autem fœminis luna decrescente, menstrua promovenda sunt, unde versus:

Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat.

Sed hoc experientiæ non semper respondet.

Post ad medicamenta lenientia, præparantia & evacuantia deveniendum

*T venien-

veniendum est. Tandem ad medicamenta, menses moventia, tam interna, quam externa, deveniendum, è quorum numero præcipua & quasi propria sunt; 1. cremor ♀ri ♂. 2. ♀rus tartarisatus. 3. Tartarus martiatus. 4. Crocus martis aperitivus. 5. Tartarus ⊕latus. 6. Pulv. cachecticus simpl. & compos. 7. Pulv. chalybeatus simpl. & compos. 8. Diaphoret. antimoniale ex Regulo ♂. fact. 9. Bezoart. minerale ♂. 10. R. ♀. simpl. & compos. 11. Essentia ♂tis ⊕lata simpl. & compos. 12. Spir. ♀ri aperitivus. 13. Spir. aperitivus acidular. Penoti. 14. Spir. de tribus, & plura adhuc alia, quæ Cl. Dn. D. A. Cn. in continuo usu erant.

Vinum chalybeatum.

℞. *limaturæ chalyb.* ℥iv. *rad. arist. O, pimpinellæ, dictamni albi* a. ℥ß. *fol. rorismarin. majoranæ, puleg. meliss.* ā. mß. *spicæ Indicæ* ʒß. *flor. cheiri, calendulæ, calcatrippæ* ā. p. ij. *cort. aurant.* ʒij. *cassiæ ligneæ* ℥ß. *caryophyll.* ʒj. ℈j. *spir.* ⊖ gtt. aliquot.

Species incisæ & grosso modo contusæ includantur sacculo, ex sindone rubrâ, cui superfundatur *vini opt.* q. s pro extractione ad superem̃inentiam scil. 4. vel 6. digitorum, addendo post *saccharum* pro lubitu.

DOS. ℥iij. per dies septem, & antequam menses fluere solent.

Nodulus sive sacculus alius, pro vino medicato.

℞. *herb. sabinæ* ʒvj. *artemis. rub. puleg. meliss.* a. p. iß. *rad. asari, rub. tinct. lil. alb.* a. ʒij. *gramin. petroselin.* a. ʒj. *senæ elect.* ℥j. *croc. or. mac.* a. ʒß. *borac. ven. cinam. el.* a. ʒß.

Incidantur, & contundantur grosso modo, includantur nodulo; pro vino medicato.

Electuarium martiale.

Rec. *cons. melissæ, pulegii, flor. anthos* a. ℥j.
cheiri, cyani, calendulæ, calcatrippæ a. ℥ß.
cond. rad. pimpinellæ, cort. aurant. a. ℥ß. *magist. florum* *♂tis* ℥ß. ℈iiiß. g. v. *crystallor.* ♀*ri* ♂*tiati* ℥j. ʒij. ℈iß.

Cum *sir. de artemisia & cinamomo* ā. q. s. F. elect. molliuscul.

DOS. ʒij. per octiduum post egressum è balneo & antequam menses alias fluere solent.

Crystallorum ♀ri chalybeatorum præparatio.

Rec. *cremoris* ♀*ri albiss.* ℥viij. solvatur prius *in aquâ*, *seu de-*

seu *decocto clarificato sabinæ* q. s.
vel in alio decocto idoneo, post adde *⊖li ♂tis*, seu chalybis dulcis cum spir. ⊖li fact. ℥j.

Et post totalem dissolutionem, liquorem per chartam filtra, filtratum ad medietatem evapora, ac in frigido loco ad crystallisandum repone.

Egregium est aperitivum, ad menstrua retenta provocanda.

DOSIS à ℈j. ad ℈iß. & ℈ij.

In brodio carnis seu pulli, vel in alio liquore destillato & convenienti.

Simili processu fit saccharum chalybeatum.

Electuarium aliud chalybeatum.

℞. *rasuræ chalybis subtil.* ℥j. *cinamomi opt. pulv.* ℈ij.
caryophyllorum ℈j.
cons. flor. anthos, pulp. passul. min. ā. ℥j. ʒj.
Et cum *sir. meliss. & cinamomi simpl.* ā. q. s. F. Elect. chalybeatum.
DOS. ʒj. ad ʒij. superbibendo haustum vini opt. malvatici.

1. Pulvis ad promovenda menstrua.

℞. *cremoris ♀ri ♂tiati* ℈j. *succini albi pulv. chalyb. simpl. c.* ♁ *♀ris nost m. parat.* a. ℈ß. *sacchari citrati* g̃. xij.
M. F. pulvis, pro dosi, & tales doses n. 20. in tot chartis. Pro Magnif. Domina Rutska.

2. Alia compositio Cl. Dn. D. Cn.

℞. *cremoris ♀ri* ℈j. *croci ♂is n. aperitivi* ℈ß. *♀ri ⊖lati* g̃. viij.
ol. cinamomi gtt. j *elæosacch. citrati ex rec. cort* g̃. iij
M. F. pulvis pro dosi, & tales doses n. 14. pro Damoisella Kriska

Item ℞. *rasur chalybis subtiliss. præparat.* ℈ß. *cons rosar. meliss.* ā. ʒj.
elæosacch. citri ex rec. cort. g̃. vj. M. F. bolus, decies sumendus.

Pulvis chalybeatus Cl. Dn. D. F.

Rec. *chalybis subtiliss. limati* ʒiij. *coralliór. rub.* ʒj. *rad. rubiæ* ʒiß.
fol. lauri ʒß. *sabinæ, rorismarini, specier. arom. rosat.* a. ℈j.
borracis ʒj. *macis* ʒß. *croci* ℈ß. *sacchari Canarii alb.*
duplum omnium. M. F. pulvis.

Efficacissimus est in suppressione menstruorum & partus promotione.

Dos. ʒj. cum vino albo dulci, repetitis vicibus, & ante tempus illud, quo menses in ægra fluere consveverunt.

Pilulæ ad promovenda menstrua Dn. D. Kr.

℞. *troch. de myrrh.* ʒiß. *extr. sabinæ* ℈j. *castorei* ℈ß.
borracis Venet. cinamomi pulv. ā. ℈ij. *ol. cinam.* gtt. ij.
cum *sir. de artem.* q. s. Formentur pil. ad placitum. Dos. ʒj.

Vel ℞. *extr. sabinæ, borracis Venet.* ā. g. xv. *salis succini volat.* ℈ß. *ol. sabinæ* gtt. ij. *cinamomi* gtt. j. M. F. pilulæ pro una dosi, & tales doses n. 4. in 4. chartis separatim.

Rotulæ martiales Dn. D. C.

℞. *pulv. cachectici,* ♁ *fixi diaph.* ā. ℥ß. *bezoartici* ♂*tialis* ʒß.
succini albiss. præparat. ʒiij. *sacch. Canar. alb.* ℥iv. cum *aq.*
artemisiæ & melissæ ā. q. s. *ol. carvi* gtt. v. F. rotulæ.

Dos. n. 6 ad 7. mane & in ingressu lecti, per octiduum, & antequam menses prorumpant, etiam iis fluere incipientibus: si non benè procedant.

Tabulæ martiales Dn. D. P.

℞. *cremoris* ♀*ri* ♂*tiati* ℥ß. *croci* ♂*tis aperitivi* ʒij.
bezoart. miner. ♂*tialis* ʒß. *succini alb. præparat.* ʒiß.
sacch. albiss. ℥vß. cum aqua conveniente q. s.

Fiant tabulæ, seu rotulæ, irrorentur *ol. anisi* gtt. v.

Dos. n. 6. 7. ad 8. bis in die, per 14. dies ante tempus consvetum, ut suprà dictum.

Trochisci de borrace Offic.

℞. *borracis Venet.* ℥ß. *salis succini volat. extr. sabinæ* ā. ℈viij.
croci ♂*tis aperitivi* ℈iv, *ol. cinamomi* gtt. iv.
sacch. alb. subtiliss. pulv. ad pondus omnium. Cum *mucilag. trag. per aq. conv. fact.* q. s. F. trochisci.

Dos. ℈iv. plus minusve. Menstrua potenter movent.

Essentia florum Dn. D. M.

Rec. *fol. pulegii, rorismarini, flor. cheiri. cyani,*
calcatrippæ, calendulæ ā. mj.
anther. seu staminum lil. albor. ℥ij. ʒj. *cassiæ ligneæ* ℥ij.
croci Hungar. ℈ivß. Incisa & contusa, grosso modo, irrorentur
ol. ♀*ri per deliq. fact.* gtt. aliquot, adde *spir. secundinæ* ℔iv. ℥viij.

Dige-

Digerantur per aliquot dies. in vito benè munito, ad totalem fermè extractionem specierum. Post filtrentur, &, ad usum serventur.

VIRES essentiæ; Menstrua retenta promovet, & partum atque secundinas facilitat.

DOS. cochl. j. ij. & iij. per se, vel cum aq. cinamom.

TITULI XXI.

CAPUT III.

IN FLUXU MENSIUM NIMIO.

Julapium Cnoffelianum gratissimum in fluxu immodo menstruorum.

℞. *aq. spermatis ranar. destill.* ℥xl. *mivæ cydoniatæ aureæ* ℥iv.
sir. spermatis ranar. coralliior. ā. ℥ij.
spir. melissæ citratæ ℈iv. *♁ris per campan. fact.* q. s. adde
sedativi nostri q. s. pro morbi indigentia. In omni sanguinis profluvio, scil. menstruorum, lochiorum, hæmorrhoidum, est remedium excellens, maxime pro fœminis delicatioribus.

DOSIS ℥iij. per plures dies, & donec malum cessat, datur & bis in die, scil. manè & vesperi cum corallior. rubr. præp. ʒj.
Pro potu ordinario laudatur & à multis

Decoctum ligni lentisci.

℞. *scob. ligni lentisci* ℥iij. *cort. aurantior. adhuc subviridium* ʒvj.
aqu. fontan. ℔vj. coqu. ad duarum partium consumptionem; colaturæ adde
sir. coralliorum, mastichini, mivæ cydoniatæ aureæ ā. ℥iß. Misce
Validius redditur, si in aqua aliqua specifica destillata fiat. Lignum lentiscinum etiam infundi poterit vino rubro & austero, quo maximè viscera corroborantur.

Electuarium ad fluxum menstruorum.

℞. *conserv. rosar. antiq. flor. tunic. condit. fr. cynorrhod.* ā. ℥j.
cydonior. cort. virid. aurantior. flor. aurant. cond. ā. ℥ß.
corallior. rub. c. spern. ol. præp. ʒij. *sedativi nost.* g. v.
confect. alkerm. s. m. & a. ℈v.
cum *sirup. corallior.* s. q. F. electuarium. VIRES ex titulo deprehen-

prehenduntur. DOS. ʒij. mane & vesperi sumitur, & per intervalla aliquoties in die, magnitudinis castaneæ dimidiæ.

Pulvis corallatus offic. Regiæ.

℞. *coralliorum rub. propria. Rā insuccator.*
cort. ovorum cum liqu. sperm. ranar. præp. ā. ℥ß.
cornu fossilis ʒij. *pulv. spermiolæ n. simpl.* ℈iiij. g̃. iiij.
essent. rosar. seu elæosacch. rosar. ℈iß. M. fiat pulvis.

Fluxum sanguinis menstruum, etiam post partum laboriosum, nimium sistit. DOS. ʒj. in ▽ appropriata: præscribebatur à Cl. D. D. C. sub hac formula:

Rec. *pulv. præscripti* ℈j. *croci* ♂*tis astringentis,*
boli insuccati Cl. Zwelff. seu specifici nostr. dysenterici ā. g̃. xv.
usneæ humanæ ℈ß. (ex ossibus scil.) *sedativi nostr.* g̃. j.

M. Fiat pulv. pro una DOSI. Sign. pulvis specificus in fluxu nimio mensium.

Topicum externum vitriolatum D. D. M. L.

Rec. *vitrioli Hungarici ad albed. phil. calcinati* q. v.
spermatis ranar. in cella seu alio loco frigido, (beneficio alum. & nitri) asservati, pro incorporatione ad pultis formam q. s.

Hæc mixtura, linteis cannabinis inclusis & imbutis, dorso & lumbis, circum circa, usque ad umbilicum frigidè applicetur. Omnem fluxum sanguinis, partium inferiorum miraculosè & incantamenti instar cohibet: Et est certissimum experimentum, in contumacissimo affectu, reliquis nihil juvantibus, & ubi periculum vitæ imminet.

Laudatur quoque

Cataplasma ex gypso.

Rec. *gypsi pulverisati* ℔j. *pulv. nigr. ex oculis nigris sperm. ranar. rad. consolidæ pulv. sanguinis draconis pulv. balaustiorum* ā. ʒj.
albuminis ovorum, (in quo aliquid gummi Arabici & cerasor. dissolutum sit.) pro incorporatione cataplasmatis, q. s. M. optime.

In extrema necessitate, ubi de periculo vitæ agitur, hoc emplastrum seu cataplasma, in linteo extensum, & regioni pubis, & lumborum impositum,

situm, fluxum nimium sistit mensium. Est remedium extremum.

Mensium fluxus immodicus in S. R. P. L. curatus à D. D. A. C.

SEr. Reginam L. M. tunc temporis viduam, à fluxu uteri cruento satis feliciter liberavit D. D. C. duabus emulsionibus cum mag. butyr. coralliorum sub noctem exhibitis: De die vero adhibito croco ♂tis astr. cum coralliis, & topico ex fimo porcino.

Emulsio.

Rec. *sem. 4. frig. maj.* ā. ʒj. *papaveris albi* ʒß.
decocti hordei ℥ij. ▽ *sperm. ranar.* ℥jß. F. emulsio; adde
man. Christi perlat. ʒß. *magist. coralliorum rubr. butyracei* ℈j.
☉ rosar. gutt. aliquot, misceantur probè. Sign. Nacht-Milch vor Ihr. Majest. die Königin.

Pulvis corallatus ♂.

Rec. *coralliorum rub. præp. magist. corall. rub. butyracei* a. ℈ß g. v.
croci ♂tis adstr. ℈ß. *ess. citri sicc. ex rec. cort. ext. fact.* g. iij.
M. F. pulvis. Sign Corallen-Pulver alle Tage des Morgens nüchtern in vehiculo consueto zunehmen.

Pessarium.

Rec. *fimi porcini, pulv. spermol. simpl. ex nigris oculis parati, & propria mucagine insuccat.* ā. q. s.
▽ *aluminis & ⊕li per aqu. sperm. ranar. fact.* q. s.

Fiat massa, ex qua cum sindone rubra fiant pessaria, competentis magnitudinis, immittantur utero ad reprimendos & adstringendos menses valdè profluentes, si nempe venæ cervicis uteri apertæ sint.

Not. Sunt qui loco fimi porcini asininum sibi eligunt, & tàm extra, quam intus exhibent.

Lotio tibiarum in aqua frigida, aut decocto adstringente, & hic conducit.

De reliquo omnia illa remedia, quæ alias in hæmorrhagia nimia hæmorrhoidum præscribuntur, & hîc (in excessu magno mensium) locum habent, præcipuè illa, quæ ex occultâ & specificâ qualitate fluxui sanguineo resistere solent. Aliquando & ad narcotica devenire licet, in cujus finem commendantur illæ pilulæ, quæ in *Miscellaneis Medico-Physicis*

ficis Naturæ Curioforum, Ann. fecundi obferv. LIII. à nobis defcribuntur, quorum delineationem per unam & alteram formulam hic repeto :

℞, *ufneæ microcofmi pulv. eboris foffilis*, feu *corallior. rub. præp.* ā. ℈j.
opii noftri correcti, ℥. j. cum *fir. idoneo.*

F. pilulæ foliato auro obductæ, quæ fecundo femper die (in emulfione aliqua appropriata, ex feminibus fcil. 4. frig. maj. cum aq. fpermat. ranar. rec. parat.) à cubitum eunte fumuntur.

Aliquando & hæc formula placuit:

℞. *ufneæ cranii humani, vel in aliis offibus humanis collectæ* ℈j.
corallior. rub. infuccatorum, pulv. fperniolæ ā. ℈ß.
fedativi noftri ℥. j. mifceantur & cum
fir. fperm. ranar. feu miva cydoniata formentur pilulæ. Ufus cum fuperioribus convenit.

Cubilia & culcitræ herbaceæ.

℞. *herb. burfæ paftoris, artemifiæ rub. polygoni utriusque, lyfimachiæ, folior. quercus, mufci quercini, prunor. fylveftr.* ā. q. f.

Ex iftis herbis & foliis, quæ ubiq; locorum facilè haberi poffunt, parantur cubilia & culcitræ, in quibus infirma noctu jacere & quiescere poteft.

Amuleta.

INter alia remedia, hic à viris doctis adducuntur & amuleta quæ collo appenfa feu manibus tractata ac cutim corporis attingentia, omnem hæmorrhagiam corporis humani fiftere creduntur.

Hic verò loqvor de amuletis Phyficis, Medicis, licitis & naturalibus, quæ occulta fua proprietate, divinitus in prima fui creatione indita, femper eodem modo agunt in corpora, quibus applicantur, five fuâ fympathiâ, five antipathiâ. Magicis & fuperftitiofis periaptis, quæ & nos improbamus, & deteftamur, hic nullus debet effe locus.

Præ aliis commendatur à multis medicis bufo transfoffus, fole in leone exiftente exficcatus, & findoni alligatus, ac regioni cordis applicatus, vel brachio ejusdem lateris. Et hoc erat Cl. D. D. A. C. p. m. amuletum, ex quo & fuum parabat *empl. magneticum*, cujus conciliatio fuo loco inter medicamenta antipeftifera defcribitur. A nonnullis celebratur & glomus ex mufco arboreo, ligni quercini feu pruni fylve-

sylvestris, sub axillis gestatus. Præstantissimum amuletum fit ex pulv. bufonum, succino, usnea humanâ & sperniolâ (ex oculis nigris parat.) cum mucilagine tragacanthæ per aq. sperm. ranar. factâ, quod omnem hæmorrhagiam immedicabilem subitò quasi cohibere solet; Ejus accuratiorem descriptionem, inveniet B. L. in *Ephemerid. Naturæ Curiosor. German. anni secundi obs.* 53. *p.* 101. ubi & armillæ, corallia, poma & tabulæ in eundem usum pro fœminis describuntur.

Appendices.

Circa usum topicorum, superius recitatorum, sequentia etiam sunt observanda.

Primo. Si cruor peccat vitio alieno, vel ob qualitatem vel quantitatem aut materiæ alienæ permixtionem, tunc temporis aliquantisper fluor sinendus est, quia conducit & à multis morbis mulieres liberat gravioribus. Si verò vires dejiciat, tunc cohiberi oportet, prius quidem per revulsiones & derivationes: postea medicamentis tàm internis quam externis, & quidem incrassantibus & astringentibus, & quæ ex specificâ qualitate fluxum sistunt, & à nobis proposita sunt, ubi & tempore curationis, viscerum corroborationi, & viribus prospiciendum erit.

Secundo, ne remedia topica nimis astringentia, & refrigerantia adhibeantur, priusquam revulsiones sufficienter celebratæ fuerint, ne postea tumores in utero, aut graviora symptomata concitentur; idque consentientibus aliis medicis insinuare debui. Revulsiones autem instituuntur per sectiones venarum in partibus superioribus cum impetu, & quidem reiteratis vicibus, & digito per vices foramini admoto; tamen cum discretione, & præstat missionem sanguinis partiri, & bis vel ter repetere, quam copiosiore sanguinis extractione, vires dejicere. Quod si fluxus adhuc perseveret, & vires sectionem venarum non permittant, ejus loco cucurbitulæ dorso & regioni hepatis sunt applicandæ. Quæ & mammis, suasu *Hipp.* 4. *aph.* 50. applicari possunt; quod tamen *Galenus in Comm.* non in ipsis mammis, sed infra ipsas institui vult; si etiam difficultas aliqua spirandi superveniret, cucurbitulæ statim à mammis removendæ sunt. Plura alia, quæ in hac curatione observatu digna sunt, ab Authoribus recensentur, nobis solum hic materiam medicam tractare libuit.

TITULUS XXII.

ANTIARTHRITICA.

CAPUT I.

Medicamentorum antipodagricorum Cnœffelianorum secretiores præparationes & applicationes.

CLarisſ. D. D. *Andreæ Cnœffelii*, Archiatri Regii, Amici inter omnes alios optimi & maximi curatio arthritidis in solâ ♀ri resolutione, & balsami naturalis conservatione atque partis affectæ corroboratione consistebat, de quâ ipsemet in consilio, Serenisſ. Regi Vladislao IV. Polon. Regi exhibito, *curandi*, scribit, *hæc ratio consistit nec in phlebotomia, nec scarificatione, nec cauteriis, nec alterantibus, nec purgantibus, nec diaphoreticis, sive sudoriferis*, sed in solâ resolutione tartari per specificum & unicum omnium salium solvendorum arcanum, *ita ut mechanico illo arthritico malleus & omnia tartarum cudentia instrumenta subtrahantur, fabrefactusque tartarus cum confortatione memborum resolvatur: quo soluto fata & natura ipsa viam invenient, qua illum ejiciant.*

Qualem felicitatem & singularem successum per istam methodum curandi podagram, & hujusdem morbi species Cl. Dn. D. *Cnœffelius* nactus fuerit, fermè toti Europæ est notum; factúmque hinc est, ut à Rege Vladislao Quarto ex Germania vocatus & Archiatri munere ornatus sit. Ipso postmodum spartâ eâ fungente, non tantum Rex, verùm etiam alii Principes & Senatorii Ordinis Magnates exoptatam & sane quam mirandam medicamentorum *illius* experti sunt efficaciam; utut inficias ire nolim, in quibusdam ipsam paulo remissius se exeruisse, & vel maximè annis uno vel altero obitui viri laudatissimi proximis.

Purgationibus quantumvis Cl. Dn. D. *Cnœffelius* medicamenta sua opus non habere existimaret, quippe (sic sæpius dicere solebat) sibi tantum non arrogans, ut vellet præscribere naturæ, quando ea purgare, quando sudare, quando mingere, quando vomere aut alia talia agere deberet, qui potius permittat, ut illa roborata tales vias sibi eligat, quæ quâ maximè expeditæ esse possint: Nihilominus tamen ipse purgantia hic non omnimodè aversatus est, nec ideò methodum medendi ordinariam prorsum contemsit, quin imo in principio curationis, & in ipso

accessu morbi, ubi notabilis adeò effervescentia non erat, aut alias etiam, circa æquinoctia vel maximè, purgationes, sed leniores instituit, pilulas suas universales exhibens, quarum compositio talis erat:

℞. *extr. hellebor. nigr. mass. pilul. de trib.* ā. ℈ß.
☿. *nostr. fix.* seu *arcani corallini* g. ij. Misc. & *cum bals. peruvian* q. l. fiant pilulæ.

Peractâ sic purgatione curationem medicamentis specificis & inprimis *illo suo* incepit.

Quoniam verò circa eorundem usum plenior requiritur declaratio, ut sciatur, quid in accessu, quid in statu, quidvè in declinatione morbi sit faciendum, h. e. quomodo & quamdiu & in qua dosi medicamenta sint adhibenda, ea omnia melius intelligi non possunt, quam ex ipsius Authoris informatione, ideo ejusdem *consilium* in gratiam Illustrissimi cujusdam Domini conscriptum, atque *vindicias aquæ suæ* hic inserere placuit, quibus B. L. *epistolam de podagrâ curatâ*, ab Illustr. Dn. Christophoro Arcissevvio *Amstelodami in* 12. *editam* addat.

Obiter quasi hîc tantum retulisse juvat, 1, quod *Cl. D. D. Cnöffel.* medicamenti illius sui specifici usum in magni & inveterati morbi curatione singulis sine intermissione diebus continuari jusserit, plerumq; unius anni spatio (immo tam pertinaces etiam arthritides aliquando se invenisse dicebat, quæ biennio demum vincerentur;) in minus inveterato triginta duarum septimanarum, seu octo mensium, requisiverit: pro morbis recentibus sedecim tantum circiter septimanas, aut aliquando solummodo novem poposcerit.

II. Quod circa diætæ præscriptionem non adeò scrupulosus fuerit, sed ægrotis tempore curationis ferè omnia, quæ pro victu ordinario mensæ apponi consueverunt, permiserit, hoc tantum monendo, ut nimius in cibo & potu, quin & reliquis rebus nonnaturalibus, excessus vitetur; aliam, inquam, nullam custodiam imperavit ægris suis, sed permisit, ut deambularent, equitarent, iter facerent, & qualibus quisque vellet laboribus fungeretur.

Quoad *præparationem* denique *medicinæ* antiarthriticæ *internæ* B. L. sciat *Dn. D. Cnœffelium*, medicamentum istud in summis secretis habuisse, nec aliis medicis & Collegis suis, etiam in consiliis secretis pro S. R. Maj. habitis, immo ipsimet Regi (oblatâ licet notabili summâ) unquam communicare voluisse. Ego ipsi in laboratorio ejus assistendo, hanc habui felicitatem, ut impetrarim & obtinuerim hoc arcanum, ta-

tamen juramento ante tali obstrictus, ne vivente illo ulli aperirem; id & præstiti; ideoque Cl. D. D. *Cnœffelius* postea etiam nemini, suam medicinam pro Regia Majestate, in absentiâ confidere voluit, quam mihi. Atque nunc obligatione hac, post mortem ejus solutus, libentissimè hic adjicerem illius compositionem, sed propter certas causas, mihi solum notas, & personas aliquas invidas, qui adhuc post mortem ejus personam, & ipsius medicinam rodere non cessant, tacere adhuc cogor. Communicavi tamen & hanc medicinam D. D. Henrico Vollgnadio, Medico & Practico Vratislaviensi, amico meo plurimum ac singulariter dilecto, at sub silentii fide ad certum tempus sanctè servandâ. Quisquis ergo illâ in simili morbo indiguerit, à præfato Dn. D. Vollgnadio medicinam, & ipsum usurpandi modum pro desiderato solatio petere poterit.

(*Not. Invenio in multorum Clariss. Virorum scriptis varia medicamenta antipodagrica, medicinæ Cnœffelianæ antiarthriticæ internæ adscripta, sed toto cœlo errant illi, qui similia pro Cnœffeliana, ab amanuensibus forte ipsius acceperunt. Nam vivente illo, nemo (quod jam dictum) ad hoc arcanum penetrare potuit, præter filium ejus proprium & me.*)

TITULUS XXII.

CAPUT II.

CONSILIUM

Pro Illustriss. & Celsis. Domino Generali Posnaniensi Comite de Lesno.

VIr Juvenis quidem, sed dispositione à parentibus, avis, & atavis ad arthritidem hæreditariâ, nuper dolorem primum podagricum in pollice pedis expertus, de morbi vehementioribus & frequentioribus insultibus sibi consilium & medicamentum prophylacticum petiit, quod sequentibus literis his contuli.

Illustrissime & Celsissime Domine Generalis, Dn. Dn. Gratiosissime.

ILlustrissimæ V. Celsitudini obsequia mea & ex illis sanitatem constantem à Divinâ gratiâ humillimè comprecatus, gratias ago & habeo devo-

devotissimas pro transmisso triginta ducatorum honorario; & transmitto è fide data medicinas internas, aquam bibendam nempe, & externas, locis dolentibus illinendum liquorem tartareum topicum; quarum usus esse potest sequens:

Siquidem tres sunt arthritidis, sive podagræ gradus, MALUS, PEIOR, PESSIMUS, à magnitudine & frequentia dolorum sic distincti, ut & ab ætate; Triplex quoque & cuique conveniens medicamentorum usus est.

MALUS status podagræ est infantia, sub quâ, dolore nempe tolerabiliori, bibitur *aqua mea*, benè ante usum commovendo, commixta, illâ, quâ constat dosi vel mensurâ, nemqe caliculi boni vinarii, manè hora 6. vel septima, jejuno post haustum hunc ventriculo ad 4. vel 5. horas, ad usque prandium, citra custodiam. Alter caliculus præcedenti vesperâ paratus & ad lectum positus commodè bibitur post mediam noctem, horâ 1. 2. 3. 4., quâ circiter fuerit horâ expergefactus Illustriss. Dn. Generalis, statim superdormiendo iterum. Si verò à somno non expergefiat Illust. turbandus ideò non erit, sed illius caliculi usum differat post prandium sequentis diei, ad horam 4. vel 5tam pomeridianam, cœnando post septimam vel octavam, quamvis ille haustus eò minori cum utilitate & fructu bibatur post meridiem, quo majori energiâ, vacua viscera & ab omnibus ingestis (expedita jam post mediam noctem omnimoda concoctione) liberata, soli huic Medicinæ & ipsius potestati, commodum præbent hospitium.

Hoc medicamento uti pergat indies ad 2. vel 3. septimanas, nonnunquam etiam, si malum & dolores pertinacius obstiterint, ad mensem ad omnimodam usque alleviationem & doloris, vel cujuscunque etiam in articulis molestiæ.

PEIOR status, sive adolescentia arthritidis, sub dolore minus tolerabili trinum hujus aquæ usum, tres (nempe per 24. horarum circuitum) mensuras sive caliculos exigit, cum jejunio quatuor horarum, absque custodia tamen alia.

PESSIMUS status. Sub consistente ætate, dolore nempe intolerabili, quatuor vicibus, 24. horarum circuitu, caliculum solitum exigit. Nempe, primus caliculus haurietur horâ 6. vel 7. matutinâ; secundus horâ quartâ pomeridianâ; tertius horâ 9. vel 10. nocturnâ, antequam obdormiverit. Quartus post mediam noctem, horis supra indigitatis, dosi & modo itidem supra significatis. Ubi istud notandum, quo-

usque est gradus sive status arthritici doloris majoris, vel minoris, eousque intendi & remitti debere frequentiorem usum medicamentorum nostrorum, quorum normam & legem ipsa ægri tolerantia & alleviato sensuali fide, an sæpius & frequentius, an parcius bibendum sit, monstrabit. Remissiores dolores, remittere etiam de medicina jubent, quorum alleviato vel recrudescentia etiam continuandæ vel intermittendæ medicinæ tempus & terminum ponent.

Purgationes, sive turbationes & colliquationes potius liquorum naturalium, & venæ sectiones è consortio meorum medicamentorum excesse volo. Nolo enim per virium & vitæ latrocinia mederi. Si alvus, prout sub dolore fieri solet, constipatur, nec bene respondet, ad obsequium redigatur enemate domestico, citrà solutiva parato, & non nisi constipationis necessitate repetito.

Tempus inchoandæ medicinæ, ut & continuandæ, sub exaltatione morbificæ causæ, doloris, & morbi necessitas, propter quam DEUS medicinam & Medicum creavit, præsens & urgens determinabit. Et hæc de usu internorum.

EXTERNA sive TOPICA sunt illi liquores ♀ei in minoribus lagenulis 4. transmissi. Itaque exterius ubicunque fuerit dolor, RUBOR, CALOR, statim liquor cum pulvere benè commovendo commixtus, benè infundatur in cochlear vel patellulam argenteam aut ferream, ea quantitate, qua circiter opus erit pro uno illitu loci dolentis, & supra lenem carbonum candentium vel ellychnii calorem ita teneatur, usque dum illam aquam in cochleari vel minimum fumare observaverint, (diutius enim nisi cum jactura energiæ suæ detineri non debet!) & sic incaluit plus satis hic liquor. Hoc ipso sic tepefacto, & cum pluma, vel quod melius est spongiolæ particula excepto liquore, quò sæpius eò melius irrigatur partis dolentis omnis ambitus, ut & ipsa pars dolens, & sua sponte sic madefacta siccari postea permittitur. Pro intendentibus & remittentibus doloribus, indies ille illitus, aquæ hujus 2. 3. 4. 5. 6. 10. 20. pluribus, paucioribusve vicibus fieri debet, & cum spongia illa guttatim instillando vel madefaciendo, vel cum pluma intincta illinendo pro commoditate & tolerantia ægri. In hac administratione supponitur pelvis vel patina lata, non profunda, vel argentea, vel quod melius terrea vitreata infra locum sive partem irrigandam, ut deciduus ille liquor in patina excipi, in lagenulas reaffundi, & ad ulteriores usus reservari possit.

Facta

Facta hâc sic diligenti & frequenti irrigatione, locus dolens irrigatus sua sponte siccari permittitur, postea involvitur linteaminibus tepefactis optimè, sed citra ligaturam, ut sine molestia ægri mox usu exigente denuo linteamina explicari possint, pro defendendis locis irrigatis, & linteaminibus lectisternii, quæ alias à subtilioribus spiritibus tartareis eroduntur. Sedatis sic doloribus, & mox, prout fit, succedente partis tumore, pars tumefacta indies (citra ulteriorem irrigationem, nisi tumori huic comites adhuc aliqui dolores) cum magna spongia vino myrrhisato, calido, calidè & bene madefieri & elui debet bis, mane & noctu, hora una vel altera præcedente somnum, eo usque quo pars penitus dedoluerit, & detumuerit, tunc ab usu hujus vini topici abstinendum, & reliquum naturæ tempori, & labori committendum est. Non inutile erit, partibus inferioribus pedum septimanatim bis, facere pediluvium, hoc est, vino myrrhisato, pro balsamandis & solidandis illis partibus afflictis. Die nempe martis & sabbathi noctu, antequam se cubitum componet Illustrissimus Dominus Generalis. DEUM veneror, velit suis mediis clementissime benedicere, quo Illustrissimus Generalis, bono Regni publico, prudentiâ & ætate

Iliacos æquare senes & vincere possit.

Ita apprecatur volitanti calamo

Illustrissimæ suæ Celsitudinis

humillimus Servus

ANDREAS CNOEFFELIUS.

TITULUS XXII.

CAPUT III.

VINDICIÆ

Sive

Responsio ad Objectiones, quib⁹ imperiti quidam opinatores, Illustriss. Comiti Oldenburgensi persuadere conantur, criminando, ægros à continuo aquæ meæ usu præsentissima incurrere pericula.

HAut opus erat, Illustrissime Comes, defensorias hasce ad Te exarare: namque sinistra illa judicia ab hominibus nullam profectò

fectò aquæ nostræ notitiam habentibus, soloque sensu bruto, gustu, odoratu, tactu, doctis, proficiscuntur: præterea universo orbi, maximè verò hisce regionibus notissimum est, solo hoc rite usurpato secretiore medicamento miseros, ab aliis derelictos ægrotantes, à morbis, quos vocant incurabiles, facilius, citius, tutius & jucundius; quàm quibuscunque putidis, quæ teste experientiâ nec ipsi eorundem magistri haurire appetunt, ægrique non nisi coacti summâ cum abominatione & horrore assumere queunt, decoctis curatos esse.

Nullus autem dubito, quin plurimi imperitorum nominis simplicitate offensi sint: à præcipuo enim elementorum medicinam hanc aquam vocavi, ex proëresi à vehiculo, quo illa obvelatur, nomine desumto. Sanctè tamen testor, non aquam, non dulce, non acidum, hujus medicamenti basin existere, sed sulphur quoddam plusquam solare, insipidum, nobilissimarum, ac vix credendarum virium, huic aquæ commixtum, corpus humanum usu continuato mundificans, sine purgatione, clystere, venæsectione, aliaque omni detestanda in hominis sanitatem grassante tyrannide: Hanc enim illa fugit, & potius modestè, placidè & blandè tractari amat.

De grato hujusmodi mundificante sulphure sapientissimi olim artifices multa scripserunt, nec non egregia cum eodem specimina ediderunt. Inter alios, (quod, ut major huic scripto meo accedat autoritas, adducere lubet,) centum abhinc annis mentionem ejusdem fecit celeberrimus Germanæ nostræ patriæ Medicus, *Theophrastus Paracelsus*, qui hoc ipso coram & ante oculos imperitorum, (teste inscriptione, quo lapidem ejus sepulchralem posteri in perpetuam rei memoriam honorare dignati sunt,) eos morbos curavit, quos purgationes optimæ, sirupi & decoctiones aliæ intactos penitus relinquunt; dum in libris de peste ab ejusdem discipulo, nob. & doctiss. *Adamo Bodenstain* anno 1568. editis, sub finem capitis quinti scribit: *qui sulphuris notitiam nullam habet, nec de medicinâ nec de naturæ arcanis quicquam disserere novit. Quivis enim medicus, qui elementum ignis in arcanitate suâ non possidet, periit, & experti medici nomen nec meretur, nec affectet, sed nugatoris & marsupiorum purgatoris. Omne autem 🜍 △ est invisibilis, qui morbos consumit, sicut ignis ligna. Ideoq; Elementum ignis in quibuscunq; morbis maximum est arcanum.* Sed hæc de proprietate medicamenti hujus, quod ▽ non est, ut imperiti autumant, sed 🜍 philosophicum, dixisse sufficiat.

Omne

Omne 🜍vi mitigante & anodyna præditum eſt, adeo ut nonnulla metallorum ac mineralium 🜍a, prout à naturâ fuerunt exaltata, ſoporifera ſint, quorum ope omnes dolores, omnia incommoda, quibus propter morbum æger affligitur, placantur & ſedantur, & quidem cum εὐφορίᾳ ægroti: eo ipſo tamen nullus adhuc morbus curatur, aut radicitus exſtirpatur; ſed ſaltim, ut dictum, ſymptomata minuuntur & mitigantur. Sulphur enim hoc morbos tollit blandè *coquendo* & *maturando* crudum, viſcidum, impurum ac diu retentum excrementum, morborum matrem ac fomitem: quæ concoctio placidè ac temporis tractu peragitur, ſicut omnia definito tempore maturantur. Hanc concoctionem & maturationem veteres magni fecerunt, optimè cognoverunt, & multa de eâdem ſcripſerunt, quæ tamen à recentioribus oblivioni traduntur ac poſthabentur: utut in eâ natura tàm in ſanis, quam ægris quovis tempore præprimis occupata ſit, inque mundi finem occupata erit.

Coctionem hanc excipit *ſecretio* mali à bono, quâ natura occultas impuritates in apricum producit, ac viſibiles reddit: æque ac in carne crudâ evenire videmus, quæ quamvis optimè lota ſit, ita ut ſpuma nulla vel immunditiès in eâ animadvertatur: nihilominꝰ, quamprimum hæc ollæ indita coquitur, magnam impuritatum copiam protrudit, adeo ut ſpumam antea non animadverſam, (ſiquidem optimè mundata erat,) ſubinde cochleari tollere oporteat. Idem & in aliarum rerum coctione accidit, velut in officinis ærariis & furnis fuſoriis, nec non chimicorum laboratoriis, ubi quotidie ſcoriæ & impuritates non pilulis aut apozematis purgantibꝰ; ſed igne, coctione & maturatione ſeparantur, videre eſt.

Reliquæ 🜍is hujus, non aquæ, virtutes licet tanti ponderis non ſint, ut quidem modò laudata coctio, ex hâc tamen originem ſuam trahunt. (1.) Prima illarum eſt *reſolutio*, quâ tenax, craſſum, rudeque emollitur, tractabile, fluidum, &, ut à naturâ commode evacuari poſſit, aptum redditur. (2.) Hanc excipit *abſterſio*, quâ quod fluidum eſt, à naturâ (& ſale ſubtili volatili omnia penetrante hoc in ſulphure contento) eluitur, abſtergitur & avellitur, nec non locus, cui diu iſtæ ſordes adhæſerunt, mundatur. (3) Cui deinde ſuccedit *reſeratio vaſorum obſtructorum*, & commodior ægroti valetudo, dum ſpiritus vitalis hâc ante impeditus rurſus liberè canales, vaſa & ductus naturales emundatos ad loca & labores deſtinatos tranſire, omnia benè exequi, fomentare,

maturare, calefacere, & concoquere poteſt. (4) Quam denique ultima ſequitur operatio: totalis nempe diſſipatio & exſtirpatio reſtantium adhuc, & facilius nunc, quàm in principio ſeparabilium impuritatum, & unà cum hâc optima patientis valetudo, robur ac ſanitas.

Quisquis igitur tale mitigans, ac ſale ejusmodi mercuriali ſubtili penetrante, ſeu ſpiritu balſamico, qui in ſale conſiſtit, prægnans ſulphur nactus eſt, ſummas Deo agat gratias, ſibique gratuletur ac gaudeat: non enim ſulphur hoc ſolùm Creatorem ſuum, dum ægris plurimis reſtituit ſanitatem, celebrat; ſed & poſſeſſorem ſuum Medicum, qui artificiosè illum adminiſtrare novit, nobilitat, nec ærumnoſam ac egenam vitam degere ſinit. Hæcque purificatio ſimilis eſt illi, quâ auritabri per ſulphur antimonii aurum quoad vires & colorem exaltant, & ſolummodo excrementa & ſcorias abjiciunt, purum vero ſibi ſervant.

Objectiones quod attinet, etſi nullam mereantur reſponſionem, ſiquidem ab ejuscemodi hominibus, ut eorum prodit ſimplicitas, qui nullam hujus medicinæ cognitionem habent, proficiſcuntur, tamen in gratiam tuam Illuſtriſſ. Comes, eas diluere lubet.

1. Primo dicunt, *medicinam hanc eſſe acrem, & vaſa venasque lædere*: unde quæſo hoc ipſis innotuit? ſulphur hoc, quod ſanctè affirmo, ſanat potius, omnique ſapore deſtituitur, aut magis ad dulcem inclinat. Brutus eſt intellectus ille, qui ex ſolo, nec quidem medicinæ, ſed ſolùm ejus involucri aut vehiculi, aquæ ſcilicet, quæ acida eſt, ſapore judicat. Sæpius autem dixi, medicinam absq; acido etiam in hauſtu vini vel cerevisiæ pro lubitu cujusvis ſumi poſſe. Aqua vero hæc acida eodem modo accuſatur, quo *Momus* venerem pulcherrimam vituperabat, cum diceret, ipſam quidem pulchram ſatis eſſe, culcitram vero, cui inſideret, eſſe deformem. Quod ſi aqua hæc acida tàm parcâ doſi, menſurâ ſcilicet unius aut alterius caliculi vitrei ſumta, membra vitalia corrodit; utique omnes illi medici peſſimè egerunt hactenus, qui ægris ſuis, quos curare neſciverunt, atque ideò dereliquerunt, ad acidulas amandatis, hanc bibendi easdem methodum præſcripſerunt, quâ hodienum utuntur, ut ſubinde numerum augentes, non caliculum unum aut alterum; ſed decem, viginti quotidie, immò integros congios haurirent; tanto majori cum periculo, quanto crudiori ac planè ſylveſtri acido à commixtis mineralibus ac excrementis metallicis acidulæ præditæ ſunt; quod tamen ab artifice per deſtillationem corrigitur, ac de-

ac depuratur, immò per certas encheireſes in ſvavem dulcedinem convertitur. Deſtillatoriâ enim arte dulcia acredinem nanciſcuntur, & viciſſim acria dulceſcunt: notumque eſt ipſis etiam pharmaceuticæ artis tyronibus, quod *ranunculus*, qui aliàs veſicas excitat, uritque, deſtillatus duln,em, omniq; acredine carentem aquam præbeat, nec non acidiſſimus citri ſuccus aquam inſipidam reddat, aciditatemque ſuam amittat.

Cæterum idem aqua hæc noſtra fatum cum Medici clariſſimi, *Helmontii*, medicamentis experitur, qui *tract. de febribus cap.* 17. hunc in modum queritur: *Gauderem ſanè*, inquiens, *hæc propalare*, ſed me absterruerunt eventus, *malo meo experti*; *etenim circa finem elapſi ſeculi inceperam per ſtagma ſulphuris & vitrioli mederi: dicebam etiam, quænam eſſent inſveta illa ignotaque remedia.*

Primum enim medentes chirothecam ſuam præfatis remediis oſtendebant corroſam ac reſolutam, ut ægros terrerent, ne ſuus ſtomachus idem toleraret. At cum poſtmodum, non obſtante medentum detrectationis fuco, cernerent à me ſanatos, benè valere, à ſervis fugitivis meis juſſerant deſtillari quædam, quæ viderant & dididerant, nec ſanè inviderem, niſi adulterata venundarentur omnia. Hæc celeberrimus *Helmontius*; quibus ego addo, opinionem hanc ex merâ oriri ignorantiâ; ſiquidem experientia abundè teſtatur, quod acida ejusmodi parce ſumta, vires ſuas in viſcera viva ita exſerere nequeant, quemadmodum in cadavera demortua, aut res vitâ carentes, telam lineam, vel corium. Quo vero, Illuſtriſſ. Comes, rei hujus ipſe periculum facere poſſis, mitto in vaſculo vitreo ſpiritus vitrioli communis nonnihil, cujus guttas quatuor diverſis manus vivæ partibus inſtilles; alias quatuor chirothecæ locis diverſis adſpergas, videbis triduo elapſo chirothecam perforatam, cutim vero vivam ſine omni nævo aut damno integram ac illæſam.

2. Deinde objiciunt, *medicinam hanc non poſſe penetrare.* Hic ſuimet obliviſcuntur homunciones iſti: paullò ante dicebant, eandem corrodere ventriculum & reliqua viſcera corporis, quos permeet; jam vero penetrare nequit. Quomodo corrodere & perforare poteſt, ſi illâc penetrare nequit, ubi ex mente ipſorum lædere debet? Hanc vero medicinam in referando præcipuis annumerandam eſſe, non quidem propter aquam aut vehiculum, ſed propter ſeipſam, ratione ſalis ſui volatilis, experientia teſtatur eorum, qui in obſtructionibus

nibus

nibus vehementissimis mesenterii, lienis, renum &c. continuò medicamento hoc utentes die 8. 9. 10. sentiunt, urinam longè expeditius, vehementius & frequentius excerni, quàm antea: quâ de re ægri experti melius disserere poterunt, quàm illi, qui nullum ejusmodi unquam experimentum viderunt. Inde etiam ope ejusmodi medicamenti spatio septimanarum sex omnes febres quartanæ; intra decendium vero tertianæ, quæ nulla alias æque benè referantia medicamenta aut medicos reperire potuerunt; sed ægros per menses quinque, sex, novem, decem & amplius habuerunt; & tandem à medicis penitus relictæ sunt, felicissimè curantur.

Silentio hic præteribo, quàm efficax medicina hæc in reserandis obstructionibus sit, & quomodo melancholiam & maniam incurabilem cum stupore persanet: nemo enim hisce præter illos, qui hujuscemodi homines ab aliis medicis derelictos feliciter curatos viderunt, ipsosque ægros sanatos, facilè fidem dabit.

3. Tertia objectio, *nihil illam educere*, ex modo dictis facilè dilui potest. Dum enim tantum obstructiones expedit, & materiam infarctam eluit, sane non medicamentum; sed natura, postquam caussa morbi fixa ope medicamenti soluta est, evacuat. Possem idem demonstrare de acidulis, quæ, cum usu continuo caussam morbificam excoxerunt, & fluidam reddiderunt, naturæ (antehac impeditæ) evacuationem committunt, quippe cui & viæ & media ad evacuandum, sive per urinam sive per alvum, sudorem aut aliter, abundè & suppetunt, & optimè cognita sunt. Hâc ratione quod medicamentum hoc non evacuet, libenter concedo. E contrario vero, quod nil pravi aut noxii in corpore relinquat, testabuntur omnes illi ægri, qui potum hunc diebus decem aut quatuordecim continuarunt: præter enim ordinariam illam naturæ beneficio motam alvi solutionem, duas aut tres alias adhuc ciet, ita ut spatio dierum quatuordecim, minimùm quatuordecim dejectiones efficiat, longe majori cum naturæ commodo, quàm venenata purgantia, quæ unico trihorio, (quo coctio aut maturatio in morbis præsertim firmiter infixis absolvi nequit) plus boni, quàm mali, & quidem magnâ ac solitâ sibi violentiâ evacuant: quam tyrannidem in naturam toties, ast frustra, exercere neutiquam nostrum est.

Hæc quantopere inter se differant, quivis æger, qui utrumque medicamenti genus expertus est, edicere poterit, præprimis vero Tu, Illustriss. Comes, qui utrâque curandi methodo tentatâ tot annorum decur-

decursu propriâ experientiâ edoctus optimè sententiam feres, utrum reverâ medicamenti vires & operationem talem senseris, qualem scripto hoc ego deprædico. Et sanè unica hæc unius ægri experientia & certitudo omnibus discursibus & fundamento penitus carentibus opinionibus præconceptis longè anteferenda est.

Quod verò aquam hanc primis diebus non quivis ferre potest, non frigiditati,(summum enim ignem in se concludit)sed ægro imputari debet. Certè si in acidum aut biliosum ventriculum incidat,primis tribus diebus plures quam aliâs dabit turbas ; sed & huic malo facilè mederi possumus,paucique talismodi dantur ventriculi ὀξώδεις,in quibus fermentationem & ebullitionem hanc tractu temporis sedare non possit.

4. Quarta objectio, *renes sanari non posse*, explicatione indiget. Verum utique est renum fibras nerveas aut tendinosas, æque ac in reliquo toto corpore, semel læsas in integrum restitui non posse: substantiam vero carneam, quæ sanguinem fundit ac suppuratur, sanari, aut (si partes tendinosæ læsæ sint) in massam informem consolidari posse, non minus certum est, æque ac in quovis alio parenchymate, corde excepto, utpote meris partibus tendinosis constante, propter quod ejusdem vulnera ferè semper lethalia sunt: fando namque percepimus, in Prussiâ vulnus ventriculi sanatum esse; vulnera parenchymatis hepatis, substantiæ pulmonum,etiam ictu bombardarum inflicta, quotidiè, nisi imperitè tractentur, in bello sanantur: exsecto calculo, si ritè curentur, etiam vesicæ vulnera consolidantur. Erat inter ministros Reginæ nostræ senex quidam oculista, Carre nomine, cui paucis abhinc annis binis diversis vicibus calculus è vesica,(quæ tamen tantâ carne ac renes prædita non est,) exsectus,& vulnus optimè sanatum est; ipseque hodienum vivit. Verum & hoc est, quod renes non frequenter sanentur, & à medicis imperitis (de peritis mihi sermo non est) qui arcana & encheireses non callent, penitus deseruntur. Non ideò ab imperitiâ ad impossibilitatem argumentari licet, quandoquidem non solum Medicorum expertissimorum observationes & curationes, quarum integra habemus volumina, æque rerum affectorum curationes ac personarum nomina nobis exhibent,& quotidiè ostendunt, verum etiam omnes illi Medici practici tàm veteres, quàm recentiores, si res foret impossibilis, frustraneam & ineptam navassent operam, dum tot medicamenta commendarunt, tantaque volumina conscripserunt, de renibus & vesicâ læ-

his curandis. Et quamvis hæ curationes difficulter ac tardè, nec cuivis medico succedant, attamen, exinde non omnimoda rei impossibilitas præsumenda est, cum, ut diximus, tot exempla contrarium testentur. Immò unicum aut duo hujusmodi experimenta omnibus opinationibus, quæ non certis ac solidis rationibus; sed nudis persuasionibus nituntur, longè sunt præferenda.

TITULI XXII.

CAPUT IV.

T O P I C A.

sive

REMEDIA EXTERNA ANTIPODAGRICA
ad doloris lenitionem ac tumoris ablationem.

1. Liquor tartareus D. D. Cn.

℞. *sedativi nostri liquidi absque opio* ℥iv. ♀ *ri rectif.* ℥j. ad ij.
pulv. nost. rub. ℈j. Misc. & usui necessario servetur in vitro.

VIRES. Externè in doloribus podagricis sedandis multum præstat hic liquor, pluribus enim eum profuisse ipsemet oculis meis sæpius vidi. MODUS UTENDI; in mixturâ istâ calefactâ linteola madefiant, & parti dolenti applicentur.

2. Topicum externum VLADISLAVIANUM.

℞. *aqu. laboris nostri. spir. laboris nostri, spir. vin. laboris nostri* ā. ℥xij.
mucagin. aquatic. crud. per saccum clarificatæ & beneficio ☉*nis conservatæ* ℥xl.
aloës hepat. ℥iij. *myrrh. finiss.* ℥ij.

Misc. stent in loco calido, ad omnimodam ingredientium solutionem.

Mixtura hæc admirabilis est & insignis; Externè enim applicata, omnes dolores incantamenti instar reprimit & sistit, tophosque resolvit & remedium est cæteris nihil juvantibus quasi extremum, in S. Maj. VLADISLAO IV. p. m. à. Cnœffelio sæpe expertum.

Modum applicandi quære superius in annexo consilio pro Illustriss. & Celsiss. Dn. Generali Posnaniensi Comite de Lesźno &c.

Nota: Post usum hujus topici, ubi dolor & tumor magnus locusque rubebat, pulverem sequentem adhibuit:

Pulvis

Pulvis pro aspersione S. Reg. Maj.

℞. *lithargyrii aurei pulverif.* ℥iv. *rad. ir. Flor. pulverif.* ʒij. *mosch.* gr. iv. *zibeth* ℈ß. Misc. F. pulv. subtiliss. Sign. ut supra.

3. Topicum D. D. C.

pro Sereniss. Electore Brandenburgico,
&
Illustriss. Dn. Ulrico Doberschinski,
Ejusdem Sereniss. Elect. Consiliario.

℞. *Rα nostr. topicæ* ℥xvj. *labor. nostr.* ℥viij.
mixtur. balsamic. (*ex myrrhæ & aloes* ā ʒij.) q. s.
mucagin. aquaticæ ℥xl. Misc. bene aliquandiu concutiendo.
Sign. ut supra. MODUS UTENDI & VIRTUTES cum topico VLADISLAVIANO conveniunt.

4. Mixtura Eggenbergica balsamica.

à Cl. Dn. D. Gnöffelio sic dicta.

Nomen contraxerat quondam hæc mixtura ab Illustr. Principe Eggenbergico, cui sæpissimè in doloribus podagricis fuit adhibita, cum singulari emolumento. Ipsa talis erat:

℞. *aqu. labor. nostri* ℥xxiv. *mercurial. nostr.* ℥xij.
mucaginis aquat. . . *aluminat.* ℥l.
aloes opt. myrrh. rubr. subtil. pulverif. ā. ℥iij.
Misc. probè subigendo pro mixtura lacteo flavescente; Modum applicandi vide postea in topico 8. Arcissewiano.

5. Mixtura balsamica.

pro Illustriss. & Reverendiss. Principe ac Domino,
Dn. W. Lezinski Episcopo Varmiensi.

℞. *mucag. aquat. non* ♌ *t.* ℥xx. *balsam. s. topici Eggenberg. præc.* ℥v.
phlegmat. ⊕*l.* ℥viij. *nostri odoriferi* ʒij.
Misc. diligenter, ut exactè uniantur; Sign. ut supra.
Circumligata mixtura circa carpum, genu & pedem, ac ter vel quater spatio 24. horarum renovata, omnes dolores mitigat.

6. Mixtura.

pro Illustrisf. & Excell. Dn. Dn. Georgio Ossolinio,
Cancellario magno Regni,

℞. *sper-*

℞. *spermat. ranar. reserv. phlegmat.* ⊕l. ā. ℥iv. *alumin.* ℥ij.
MP. *de trib.* (*ex aloe, myrrha* & *croco*) ʒij. ℈ij. *camphoræ* ʒj.
Misc. omnia exactè. Sign. Mixtura in doloribus podagricis ex causa calida bis vel quater in die adhibenda, linteis sc. eâ calidâ imbutis.

7. Topicum balsamicum

pro Illustrisſ. Comite in Oldenburg.

℞. *mucagin. aquatic. nr. m. aluminatæ* ℥xLviij.
aloes, myrrhæ pulverisat. ā. ℥ij.
coquantur ad dissolutionem specierum, deinde add.
phlegmat. ⊕l. ℥xLviij. *mucagin. aquat. adhuc recent.* ℥xxiv.
^ *labor. nostr.* ℥xx. *balsam. Eggenberg.* ℥viij.
^ *rosar. fragrant.* q. s. *essent. lign. rhod.* g. xx.
Misceantur exactè, sign. ut supra.

8. Liquor externus tartari

pro Illustrísſ. Dn. Generali, Dn. Christophoro Arcisſevvski.

℞. *phlegmat. compos.* ℥iv. *liquor.* ♀*i nostr. compos.* ℥iij.
^ *de trib. nr.* ♀*ri rectif.* ā. ℥iß. *pulv. rubr. anodyn.* ℈j.
Misceantur opt. pro una lagenulâ, & tales commisceantur num. vj. Sign. Liquor externus Tartari.

Usus hujus topici talis erat, qui & in aliis topicis Cnöffelianis, hîc descriptis, observandus est.

Lagenula prius commovebatur fortiter, donec ab excitato pulvere turbidè rubesceret liquor; Tum effundebatur ejus liquoris, bene jam cum pulvere commixti, nonnihil in cochlear argenteum, & super prunas candentes collocabatur in cochleare, ut paululum incalesceret, & inspissaretur; quam primum fumare incipiebat liquor, amovebatur cochlear ab igne, & eo liquore locus affectus, tumens, seu inflammatus, affatim illinebatur pluma aliqua. Locus illitus tamdiu non tegebatur, donec liquor illitus disparerer, & per se siccaretur, tum demum applicabantur desuper linteamina calida.

Repetebatur ista illinitio, quinquies, 6. 7. 8. 9. 10. & etiam vicies de die, tamdiu, donec aut dolor vinceretur & cessaret, aut pustulæ parvæ in loco illito apparerent, ulteriorem illinitionem ob mordacitatem liquoris non permittentes.

Tum eo die cessabatur, & locus illitus spongiâ vino calido imbutâ

butâ detergebatur, & lentè purgabatur. Quod si postero die pustulæ illæ disparerent, & dolor adhuc permaneret, eadem illinitio repetebatur, donec omnis dolor & afflictio periret.

Si quis medii anni spatio notabilem profectum (ex usu tàm interno quàm externo medicamentorum Cnœffel.) non sentiret, sed æquè, ut solebat infirmaretur, eum pro desperato, & à DEO ad has pœnas condemnato habendum esse dicebat. Plura circa hanc materiam & de medicamentis Cnœffelianis quære in epistolâ de podagrâ curatâ, & ab ipso Generoso Dn. Christ. Arcisfewski conscripta.

9. Topicum castrense pro Illustr. Comite de Ostrorog, Pocillatore Regni.

IN castris, crudo & castrensi more, absque extractione sequentem (pro topico ordinario) hanc constituimus compositionem:

℞. *aq. mucaginis absque igne parat.* ℥iv. *spir. vin.* ☿*sati camphorati* ℥ij. *liquoris nostri sedativi* q. s. *gummi guttæ* ℈ij ad iv.

Misceantur benè Sign. ut supra.

10. Topicum extraordinarium anno 1649. Lublini paratum.

℞. ⊕*li vulg. Ungarici* ℔ij. *Onis* ℔j. ⊡*næ puerorum* ℔iij. Destilletur ex ∴â per cucurbitam. Postea

℞. *hujus liquoris egressi* ℥vj. *liquoris* ☿*ri nostr. compos.* ♎ ☿*ri rectific.* ā. ℥iß. *pulv. mei rubr. topici* ℈ij.

Misceantur. Sign. ut supra.

11. Topicum Dn. D. Podchocimski pro Generoso Dn. Comorowski.

℞. *calcis vivæ* p. iij. ☿*ri crudi* p. j. Pulverisata inde ♉æ. Adde ✝*i vini* q. s. Destillentur, & exibit aq. viridis.

Ex relicto capite mortuo adhuc prius calcinato extrahatur sal. Jam

℞. *hujus liquoris destill.* ℥vj. ⊖*is ex* ∴*o extracti* ʒiij. *phlegmatis* ⊕*li* ℥iij. Misce.

Ad dolorem sedandum & materiam arthritidis resolvendam hoc topicum miræ virtutis est, si linteola duplicata in liquore mediocriter calefacta & demersa membro dolenti applicentur. Et hoc topicum quondam S. R. Maj. à Dn. D. Podchocimski fuit applicatum.

12. Topicum ordinarium
S. Reg. Majest. JOANNIS CASIMIRI.

℞. *spermatis ranar. destill. phlegmatis* 🜍*li, (vel loco hujus* 🜕*i)* ā. ℔j.
myrrhæ rub. pulverisſ. ℥ij. Misce.

13. Aqua antipodagrica cœrulea
S. Reg. Majest. VLADISLAI QUARTI.

℞. *lixivii calcis vivæ* per 🜄*am spermatis ranarum & omnium florum extract.* ℔ij. ⊖*lis* ✳*iaci* ℥ß.

Misceantur continuo in vase cupreo, & saphiri acquirent colorem, postea filtrentur per chartam. Eoque liquore prius calefacto, pars dolens illinatur, vel cum in eo intinctis pannis applicetur.

14. Aqua antipodagrica viridis.

℞. 🜄*æ mortuæ aurifabrorum (quasi usi fuerunt aurifabri in separationibus, Germ.* Fallwasser. *) phlegmatis* 🜍*li* ā. ℔ß.
🜄*æ sperm. ranar.* ℔j. *gumm. gutt. opt. pulv.* ℥ß. *camphoræ* ʒij.

Misceantur & fiat aqua antipodagrica, ex qua foveantur partes dolentes calidè, cum linteis eâ imbutis. *Not.* Cautè tamen adhibenda est, propter vim adstringendi & repellendi.

15. Aqua antipodagrica externa Cl. Dn. D. Kraffts.

℞. *cancrorum fluviat. in lapideo mortario contusor.* n. 30.
liquor. limacum rub. in locis apricis & vinetis degentium ℔iß.
lumbric. terr. purgat. ℔j. *sperm. ranar. crud. in cella asserv.* ℔iv.
Omnibus invicem bene mixtis adhuc adde
stercoris bubuli recent. ℔iß. *lentium palust.* ℔ß.

Macerentur in loco calido, per 24. horas, postea destillentur in VB. ut artis est, liquori egresso postea admisce, in æquali pondere & mensura, phlegma 🜍ii, per se abstracti, & servetur ad usum. Jam

℞. *aq. antipodagricæ præscript.* ℔ij.
lapidis salutis (contra Podagram) ℥j.
camphoræ diss. ℥ß. *croci* ʒij. *opii, pro dispositione Medici.*

Misceantur, & in leni calore unius, vel alterius diei intervallo digerantur, mixtura tandem per chartam prius filtrata, in usum futurum reponatur. Exterius, calidiuscule membris affectis, dolentibus & tumentibus, in petiis applicata, & eousque, donec tumor & dolor cessent; eximiæ virtutis est.

Liquo-

Liquoris limacum conciliatio talis eſt.

℞. *limacum ex teſtis exempt.* q. v. ⊖*lis communis* q. ſ. Fiat in olla nova perforata, vel in ſacco raro S. S. S. ſubtus verò applicetur aliud vas terreum, ad excipiendum liquorem, qui tandem tempore in cella, ſeu alio loco humido frigidoque repoſitus ex ſacco, ſeu vaſculo perforato ſtillare ſolet. Liquor collectus & mucaginoſus, absque ulteriore deſtillatione, pro aq. antipodagrica Cl. Dn. D. Kraffts, ſuperius deſcripta aſſervetur. Vel cum aq. ſpermatis ranar. & phlegmate ⊕li. ā. p. æqual. ſolum mixta, in doloribus podagricis, inflammationibus, & ad ambuſta multum confert.

Liquorem mucilaginoſum anodynum, ex cochleis rec. exemptis, bacc. ſambuci exſiccatis & ſale uſuali ā. p. æqual. inveniet B. L. in anatomia ſambuci Cl. Dn. Martini Blochvvitii, qui & vicem hujus præſtare poteſt.

Lapis ſalutis Dn. D. Kraffts.

℞. ⊕*li Ungar.* ℔j. *anodyni mineralis,* ⊖ ♀*ri.* ✱*ci,* ā. ℔ß. ♀*ri,*
aluminis crudi ā. ℥iv. ⊖*lis gemmæ* ℥ij.

pulveriſentur ſingula ſeorſim, ponanturque in olla nova vitreata ſatis capaci, quibus poſtea affunde ad ſupereminentiam ſpithamæ,

♁*i flor. ſambuci, virid. æris tincti,*
aq. ſapphireæ per ☐*am puerorum fact.* ā. q. ſ.

Mixta coquantur leniter, (ſpatulâ ligneâ frequentius agitando) donec ſpiſſeſcere incipiant, ubi circa finem adhuc adjicitur

ſacch. ♄*ni cryſtalliſati & in pulverem redacti* ℥j. ♁*is* ⊕*li* ℥ß.

Miſceantur benè & in lapideam ſubſtantiam materia convertitur, quæ ad ſuos uſus reſervanda eſt. Rem ſi rectè inſtitues, lapis hic viridiuſculi erit coloris, lapidis turcoidis inſtar, alias ſi diutius in igne permanſerit, rubei erit coloris. Valet in omni dolore arthritico, maximè contra chiragram, gonagram, & podagram: diſſolvitur in aq. antipodagrica, ejusdem Authoris, ſeu in aq. ſperm. ranar. aq. omnium florum, vel alia aqua anodyna; filtratus liquor prius calefactus, linteis duplicatis adhibetur. Inſuper virtutes hujus lapidis ſunt, in omni inflammatione, ſcabie, morphea, ulceribus, putridis & fœtidis, gingivis exulceratis cancro, & in aliis adhuc multis infirmitatibus, ſi in aq. ſimplici vel appropriata ſolutus, debitè applicetur.

Cataplasma ad dolores & tumores podagr. S. Reg. Maj. VLADISLAI IV.

Rec. *medullæ panis tritici* ℔j.

Temperetur lacte vaccino recenter mulcto pro consistentiâ pultis prope ignem, absque tamen ebullitione; adde

farinæ avenæ, florum chamomillæ pulv.
capit. papaveris pulv. pulv. florum omnium ā. ℥j.
vitellor. ovor. n. ij. *croci* ʒij. *ol. septem florum* ℥iß.

Fiat cataplasma, quod linteolis illitum tepidè articulis dolentibus applicandum est bis, ter & sæpius in die.

Cataplasma anodynum Dn. D. Cnöffelii.

Rec. *medullæ panis albi, cum liquore reservato mucaginis aquaticæ, in formam pultis liquidioris redact.* ℔iß.
pulv. folior. nicotianæ nostr. nymphææ ā. ℥ij.
flor. chamomillæ, rad. ulmariæ ā. ℥j. *myrrhæ rub. el.*
⊕*li calcin. (ad albed. usque)* ā. ʒvj. *medullæ cassiæ rec. extr.* ℥j.
croci, ʒj ℈j. Misce, fiat cataplasma, cui adhuc adde
ol. spermatis ranar. parum.

Applicandum calidè, linteis raris exceptum, ac pro necessitate reiterandum.

Emplastrum antipodagricum anodynum nigrum officinæ Regiæ VLADISLAI IV.

Rec. *ol. sperm. ranar. lumbric. anodyni Mynſ. (ex 7. flor.)* ā. ℔j.
adipis anserini, medullæ crurum vituli ā. ℔ß.
lithargyrii ℔iß. *cerussæ Venet.* ℔ij.

Coquantur ad debitam emplastri consistentiam. Adde sequentia, in alio vase prius liquefacta, & colata: utpote

ceræ odoratæ flavæ ℔j. *picis nigræ specul. sevi hædini* ā ℥iij.

His exactè mixtis & parum refrigeratis, adde

MP. *de tribus (ex myrrh. aloe & croco) masticis, thuris* ā. ℥j.
pulv. sperniolæ (ex oculis nigris per sæpissimam insuccationem, cum prop. mucag. parat.) ℥iij.
camphoræ in ol. ovor. solut. ℥j. *sacchari* ♄*ni* ʒvj.

Fiat omnibus exactè inter se mixtis, empl. nigr. anodynum & nobile, in doloribus arthriticis magnum solatium.

usus

usus ejus præstantissimus est in ulceribus malignis corrodentibus, cancrosis, & aliis similibus ♄ninis, maximè tibiarum, quæ ob maximam materiei impurioris, & salinæ acrioris copiam, sanari non potuerunt.

Hujus emplastri inventor fuit Cl. Dn. D. Cnœffelius, cujus descriptionem ex dispensatorio secreto, ab ipso pharmacopœo Regio, Dn. Joh. Heker, excerpsi.

Not. Si forsan consistentia emplastri non arrideret, adjectione ceræ & ol. sperm. ranarum corrigi potest.

Emplastrum attractivum Cl. Dn. D. Cn.

AD nodos dissolvendos, & quod omnem materiam ♀eam & coagulatam, ex tophis inde apertis extrahit; Inveni & ejus compositionem in *Praxi chym. Hartmanni p. 336.* ideò illud supersedeo; qui verò notitiam ejus præparationis desiderat, adeat dictum Authorem.

Vinum balsamicum pro S. Reg. Maj.

UBi dolor & tumor planè evanuerat, ad articulos roborandos & confirmandos, lotionem partium adhuc debilium instituit, vino suo balsamico sic concinnato:

Rec. *myrrh. rub.* ℥vj. *masticis* ℥ij.
flor. lavend. m. j. *vini Hungarici* ℔iv.

Coquantur omnia leniter bulliendo, postea colentur pro usu exterioris applicationis in S. Reg. Majestate.

Vinum balsamicum aliud correctius post dolores finitos, & tumores adhuc relictos.

Rec. *herb. solani & urticæ minoris* ā. mij.
flor. lavend. sambuci chamomillæ m. j. *sem. lini* ℥ß.

Coquantur in vini adstringentis ℔v. In expressa mucagine incoque leniter bulliendo

lithargyrii ℥iij. *myrrhæ* ℥ß. *masticis, spermat. ceti* ā. ℥iij.

Misce omnia prius in pauco vino soluta & colata. Hoc vinum balsamicum, præ aliis, Ser. Reg. Maj. valdè conducebat, inde & ejus usum habuit familiarem, quem semper post finitum paroxysmum repetiit.

TITULUS XXIII.

FEBRILIA.

Antidotus lysipyretos.

℞. ♁ii pulv. ♃is citr. cryſtal. ⊖li Goslar. ad albed. calc. ā ℔j.
Exactè mixta indantur cucurbitæ magnæ luto obductæ, & adaptato alembico roſtrato, cum receptaculo magno, ex arena inſtituatur deſtillatio, primo quidem per horas ſex lento igne, & exſtillabit phlegma; cum omnis aquoſitas exiverit, caloris gradus urgeatur, & flores aſcendent pulcherrimi, His apparentibus, igne fortiſſimo, ſublimatio continuanda erit, tamdiu, donec nihil amplius aſcendat. Flores tali proceſſu parati, & ſtudioſè collecti, de novo capiti mortuo proprio admiſceantur, & iterum ſublimentur; qui labor & tertia vice reiterandus eſt; & ſic flores ♁ii ⊖lo-♃rati (quorum copia quidem in repetita ſublimatione minuitur) tenuiores, puriores & elegantiores evadunt, accipiuntque eſſentiam ♁ii, & ſpir. vitrioli, ſibique eosdem uniunt. Jam

℞. *flor.* ♁*ii dicto modo paratorum* q. v.
 ⊕ *pro inſuccatione* q. ſ.

& denuo in leni calore exſiccentur, & hoc fac bis, vel ter: tandem ex floribus ita paratis, & inſuccatis, cum ▽ *temperat.* q. ſ. extrahatur digerendo Ra, eademque (prius filtrata) rurſus ad conſiſtentiam olei, à ſuperfluitate, per deſtillationem abſtrahatur.

In febribus omnibus intermittentibus maximè in quartanâ eſt medicamentum ſpecificum. Præterea in podagrâ eique ſimilibus, & in curandis & exſtirpandis multis aliis infirmitatibus remedium eſt excellentiſſimum, ab authore me præſente hic Warſaviæ anno 1655. bis elaboratum. DOSIS à gtt. iij. ad gtt. vij. in aq. appropriatâ, vel cum mellagine junip. ſeu extr. centaurii, & gentianæ, inſpiſſato more noſtro, in forma pil. hora una vel altera, ante paroxyſmum, cum expectato ſudore; qui ſi prima vel ſecunda vice non ſucceſſerit, eadem doſis reiterari poteſt, ſed raro bis vel ter aſſumitur, quia prima doſis plerumque ſanat, attamen univerſalibus præmiſſis.

Nota; Ex *floribus* ♁*ii rubr.* (℥iv.) ♃*ris ad perfect. albedin.* ⩸*tis* (℥ij.) *colcothar.* ⊖*li Ungarici* (in duplo) per trinas reiteratas ⩓tiones, parantur flores rubicundiſſimi. Hi cum *aciditate* ⊖*li* ♀*ris* primo, deinde & cum

cum ♌ ♄ni *æthereo* essentificati, dant antidotum lysipyreton *Quercetani.*

Specificum febrile,

quod hic Warsaviæ in officina Regia in usu erat, ex ordinatione Cl. Dn. D. Cnœff.

℞. ♁ii *subtiliss. pulv.* ℔j. ⊕i *purificati,* ⊖ ✻ci ā. ℔ß. Pulverisata misceantur exacte, & cum ▣a puerorum q. s. humectentur, ut manibus subigi possint. Hoc facto indantur ◯æ, collo spatioso; lutoque ob luctæ (quæ in catinum arenarium, tribus digitis à fundo intercedente ∴a superius usque ad materiam imponitur) & recipiente permagno & largo prius applicato, destillentur lenissimo calore, donec omne phlegma exstillarit, & nebula quædam, cum summo impetu, in vas recipiens prorumpere inceperit, qui facile vas recipiens destruere solet; ideò cautè hic procedendum, postea calores ignis de gradu ad gradum urgeantur, quousque tota radicalis humiditas expulsa & flores ♁ii compositi in collo ◯æ apparere incipiant, qui tandem & extrema violentia ignis expellendi sunt. Flores inde colligendi, eximendi, & semper admixto proprio colcothare, de novo, ter vel quater in ♎torio iterum elevandi sunt. Sublimatum collectum posteà in vitro puro, ac leni calore per tres dies acquiescat, ut color exaltetur. Tandem floribus ita paratis, (prius tamen aquâ pluviali destillatâ bene edulcoratis) spir. vin. opt. rectif. affundatur, atque in pelicano seu phiala per 6. septimanas in cineribus calidis circulentur; tandem spir. vin. iterum abstrahendus, & pulvis in fundo phialæ relictus, adhuc ▽a ♌atâ aliqua abluendus, & ad usum reservandus est.

Inservit præcipuè ad febres omnes intermittentes, maximè in quartana, ubi hic pulvis specificum est singulare.

USUS ejus etiam est in hydrope, aliisque affectibus. DOSIS à g. iij. ad v. cum mellagine in forma pilularum toties repetenda, donec malum cesset.

Spiritus egressus cum suo phlegmate, spir. vin. abstracto adjungendus. Topicum externum in doloribus podagricis & chiragricis excellentissimum. Ex ∴ extrahitur, more chimico consueto, sal febrile de tribus, cujus dosis ℈j. ad ʒß. & ℈ij. cum ♀o ⊕lato q. s. in jusculo carnis, ▽ centaur. vel cum extracti rad. gentianæ ℈j. in forma pilularum, sumitur, paulò ante paroxysmum; & si post primam adhibitionem effectus

fectus non successerit, ter vel quater dosis sequentibus diebus reiteranda erit, semper cum expectato sudore. Descriptionem hujus specifici antifebrilis, sub silentii fide, accepi olim à pharmacopœo itinerario Regio, Dn. Joh. Georg. Hahn, qui & hoc pro nostro Dn. D. Cnöffelio bis vel ter elaboravit.

Febrim tertianam curandi methodus Cl. Dn. D. Andreæ Cnœffelii.

OMnem febrim intermittentem, dicebat *Cl. Cnöffelius*, fieri ex obstructione, ex eâ ortâ dein putrefactione, & ex hac ebullitione, paroxysmum; ideò in principio curationis febrium putridarum, sequentem per 6. vel 7. dies adhibuit pulverem, qui

℞. *cremoris* ♀*ri* ℈iß. ad ℈ij. ⊖*is centaur.* ⊕*lat.* ℈ß. ♀*ri* ⊕*lat.* g. vij. ⊕*li coagul.* g. ij.

Misc. Fiatque pulvis ad chartam pro dosi, & tales & doses n. 6. vel 7. in totidem chartis, ex quibus quotidiè una tribus horis ante prandium in jusculo pulli seu carnis sumitur. In tertiana rarò pulveres omnes consumuntur, quia statim vires tertianæ infringere solent. Finitis & consumptis pulveribus adhuc semel vel bis, aliquando exhibuit Pulverem Puniceum compositum, cujus dosis erat ʒj. etiam in brodio carnis. Aliquando etiam ante insultum paroxysmi sequens pulvis in aq. centaurii seu fumariæ propinabatur:

Rec. *oculor.* ♋ *præpar.* *corall. rubr. præpar.* ā. ℈j. ♁*ii diaphoret. fix.* g. xv. *fiati nostri* g. ij. Misc.

Et post sumptum pulverem, sudori operam det patiens, aliquando & ad usum medicam. specific. antea descriptorum recurrebat. Purgationes quidem aliquando instituit, sed sectionem venarum nunquam.

Pulvis febrilis Cl. Dn. D. Cablovvitski. Seren. Caroli Ferdin. Principis Pol. & Sueciæ p. m. Medici.

Rec. ⊖*is centaurii min.* *absinthii* ā. ʒj. *cremoris* ♀*ri* ʒij. *C. C philos. calc.* ʒiß. ⊕*li rect.* ʒß. *sandali rub. pulv.* ʒj.

Spiritum ⊕li affunde guttatim, pulverem miscendo spatulâ ligneâ in vase vitreo, deinde lento igne mixturam exsicca. DOS. ʒß ad ʒj. tribus vel quatuor horis ante paroxysmi invasionem, in aq. centaur. vel alia specifica. Eadem dosis reiteranda, si prima vel secunda vice non satisfecerit. (Ex communicatione Dn. Sebastiani Englerts pharmacopœi Principis.)

Pulvis

Pulvis febrilis Lithuanicus Dn. Georgii Juchs, Ser. Regis JOAN. CASIMIRI Chirurgi.

℞. *aluminis crudi, nuc. moschat.* ā. ʒj.
olibani ℈j. *piperis nigri* g̃. v. usque ad vij.
caryophyllorum g̃. iij. usque ad vj. M. F. Pulvis subtilissimus.
Præmissis præmittendis datur ʒß. ad ʒj. in aq. centaur. & aceti bezoartici seu simplicis ā. ℥jß. tribus repetitis vicibus, semper ante paroxysmum; Febrem tollit cum admiratione. Ex singulari communicatione dicti chirurgi.

Pulvis antifebrilis specificus D. D. Pauli Podchozimski.

℞. *♁ii diaphor. magist. matr. perl. per se sola tritura parat.* ā. g̃.xv.
dulcedinis aluminis g̃. iij. *opii* g̃. ß. ad g̃. j. M. F. Pulvis.
Facta evacuatione & missione sanguinis, datur in aq. febrili, ante ipsum accessum, hora una scil. ante invasionem horroris.

Pilulæ febriles Dn. D. A. Cnœffelii.

Rec. *extr. centaur. min. gentianæ, ♁ii fixi diaphor. resol.* ā. ℈ß.
⊖is centaurii ⊖*lat.* g̃. vij. *♀ri* ⊖*lati* g̃. iv.
cum *sir. cardui benedicti* q. s. Formentur pilulæ deauratæ contra omnis generis febres, tertianas, quartanas scil. exhibendæ ante paroxysmi invasionem, cum vestigia horroris sese ostendunt, expectando sudorem.

Antifebrile cujusdam eremitæ in majori Polonia.

QUod aliquando empirici, mulierculæ & aliæ plebejæ personæ simplicissimo & uncio aliquo remedio homines à multis & gravissimis morbis liberare & curare soleant, sequens historia exemplo suo confirmat. Quidam eremita, cognomine *Stutzel* ex majori Polonia, fama ubique nostris in terris notus & celebris, omnibus charus, inprimis Magnatibus, ob specialem suam medicinam, quam in formâ pulveris possidebat, multosque & varios morbos eâ mirabiliter curavit. Hic enim feliciter calculum, hydropem, quartanam & varia genera febrium curabat, beneficio solum hujus pulveris, quem panaceam suam vocabat: Unde non solum minoris conditionis personæ, sed & Nobiles & Principes, ad eum, tanquam ad sacram anchoram confugiebant. Commendabatur etiam ipsius persona (tanquam sancta) Serenissimo Regi JOANNI CASIMIRO p. m. (meo tunc

Domino Clementissimo) Is ex instinctu multorum ipsum & videre & alloqui cupiebat; Vocatus itaque eremita, suam medicinam, in habita audientia ad astra, summis laudibus extulit, & cum ejus virtutibus, charta inscriptis, partem hujus pulveris, (ad quadraginta circiter doses) Regi porrexit. Serenissimus quidem clementer hoc accipiens, usum tamen hujus pulveris recusabat, nisi ille prius secretum aperiret, ex quibus ingredientibus medicina constaret: Ad quod eremita non tam libenter, quam reverenter consensit, oretenus & in scriptis Regi explicando totum, quod tale erat:

Rec. ⦶ri *fixi mineralis* ℔j. *zinziberis cinamomi* ā. ℥ij. M. F. pulvis subtilissimus. DOS. ʒß. ad ʒj. In vino vel aq. simplici. Hæc tota fuit compositio illius magni secreti. Utrum vero hæc medicina, vel sola gratia DEI, hoc fecerit (ob sanctam innocentem vitam, quam hic eremita agebat,) Bi L. judicandum relinquo.

Certum est, illum ea curasse, quæ alii Medici præstantissimi aliquando præstare non potuerunt.

Regia Majestas etiam, insciis suis Medicis, pulverem hunc aliquoties sumpsit, nec non eremitæ huic viaticum bonum propriis manibus porrexit: Qui alias pecuniam accipere recusabat, solum pro porrectis aliquibus victualibus, pro sustentatione vitæ suæ, (nempe pane, caseo, piscibus) contentus, gratis homines curabat.

Nitrum rub. essentificatum.

℞. ⦶ri *purif.* (*lap. prunellæ*) ℔ß. ℥iv. *succi berberum* ℔iiß. Misc. Facta maceratione ad totalem usque ⦶ri dissolutionem, liqvor filtretur, per linteum rarum, ac post lenem exhalationem humiditatis superfluæ, reponatur in locum frigidum, ad crystallisandum. Crystallis exemptis, residuum denuo coquatur, ad cuticulam usque, & iterum crystallisetur, quod tamdiu continuandum, donec omne nitrum cum succo berberum in crystallos redactum sit. Nitrum ita insuccatum, (ad majorem efficaciam) cum recent. succo berberum q. s. denuò solvi, & dicto modo in crystallos converti potest. Aut nitrum semel ita imbutum, bis vel ter iterum infundatur, cum rec. succo berberum, ac sola coctione & evaporatione humiditatis convertetur in substantiam salinam & siccam.

In febribus ardentibus & putridis & quibuscunque calidis, maximè in febri illâ Ungaricâ dictâ, usus ejus tàm internus, quàm exter-

nus es-

nus efficax est. DOS. à ℈ij. ad ʒj. simili processu ac methodo, cum aliis & diversis succis, (utpote citri, granatorum, rubi idæi, fragorum, cerasorum, mororum, bacc. myrtillorum, acetosellæ, endiviæ, cardui benedicti, petroselini, scordii. Item florum rosarum, florum viol. martialium, aquilegiæ, & similium) ⏀rum insuccari, & diversis virtutibus imbui ac efficacius reddi potest; de quibus *Clar. Zwelff. in mantissa Spagyr. part. 2. c. 12.* inspiciendus est.

Not. Quod de succis plantarum dictum, similiter & cum decoctis specierum efficitur. Item cum solutionibus mineralium, metallorum, & animalium partibus; Nam ⏀rum est salinæ substantiæ, in quibuscunque liquoribus resolubile, & in igne liquabile, cui variæ figuræ & virtutes inde imprimi possunt. Nox ex ⏀ro puro & saccharo, cum Ris florum, propria aqua extractis, paravimus crystallos ⏀tri compos. in virtute, sapore & calore gratissimos.

Sal febrile compositum.

℞. *⊖lis ⏀ri crystall. s. anod. mineralis, centaurii, absinthii, cardui benedicti, aluminis, ✱ci* ā. partes æquales q. v. Solvantur in *aq. cardui benedicti* q. s. solutio filtretur & per evaporationem iterum in sal crystallinum reducatur.

Jam Rec. *hujus ⊖is compositi* g. xv. *⊖lis essentialis ♀ri* ℈ß. *♀ri ⊕lati* g. v. ad viij. Misceantur in mortario lapideo, seu vitreato, in pulverem subtilissimum. Detur ad chartam.

Est arcanum febrile summum, maximè in febribus intermittentibus, scil. tertiana, quartana aliisque febribus putridis, datur & in aliis morbis diuturnis & chronicis ex obstruct. ortis, ut & in ictericia & hydrope.

DOSIS singulis diebus, matutinis horis, & stomacho jejuno per aliquot dies, in aquâ appropriatâ seu jusculo carnis.

Ex communicatione cujusdam amici, qui beneficio hujus medicamenti, in curandis, & extirpandis variis morbis miracula quasi præstitit. Vocabatur ab authore ⊖ lavendulæ compositum (sed malè) propter odorem & colorem lavendulæ, quem ipsi cum guttulâ unâ & alterâ tincturæ lunæ & elæosaccharo lavendulæ conciliaverat.

Not. Purgationes in adhibendis specificis febrilibus nunquam negligendæ sunt, nam absque illis minera febrilis vix exterminari pot-

est, ideò in febribus intermittentibus & putridis valde necessariæ sunt, quod *Petrus Monavius in epist.* 248. confirmat.

Si in febribus putridis, intermittentibus, quibuscunque apparente aliqua, etiamsi non perfecta, in urinis coctione, ægro ipso die paroxysmi medicamentum purgans dederis, ita ut effectum suum, ante paroxysmi invasionem, compleat, (horis scil. 4. aut 5. antequam paroxysmum adventurum putas) videbis febrim post illum, non amplius reverti, sed prorsus tolli, incantamenti instar, probavi in pluribus sæpius, & semper eventus respondit.

Quartanæ febris curandæ methodus Cl. D. D. Luberti Erbenii, D. D. And. Cnœffelio communicata.

1. Primo exhibet vomitorium ex infusione croci metallorum paratum, in dosi, pro exigentia morbi & personæ.
2. Secundo pedes ponit in aquam calentem, maximè sub paroxysmo usque ad genua, & superdormire ægrum permittit.
3. Postea per tres dies adhibet pulverem specificum febrilem, qui talis est:

℞. *cor. leporis bene exsiccatum, & opt. pulv. in tres part. æq. divisum,* Partem pro una dosi, jejuno stomacho, in vino exhibet, &, si possibile, ante ipsum paroxysmum; & sic reliquas duas doses sequentibus adhibet.

4. Singulis intercedentibus diebus bis sudores promovere solet, vino sulphurato, per infusionem parato; quod fit ex

♁is crudi, sed crystallini & optime pulverisati ℥iv.
vini opt. generos. Hungarici ℔ij.

quæ mixta, & per aliquot dies infusa, adhuc ad tertiæ partis consumptionem usque incoquantur. Vini tandem, quod à relicto pulvere aufertur (aciduli saporis,) manè bonum haustum præbet, & sudorem provocat. Post meridiem horâ quartâ alterum scyphum, etiam cum expectato sudore; sic 5. 6. vel 7. dies continuando. Quo interstitio se perfectè absolvere curam quartanæ cujusvis asserebat.

Ex libro manuscripto Cl. Dn. D. Cnœffelii.

Spiritus de tribus D. D. A. Cnöffelii.

IN ♂am superius tubulatam, apto operculo instructam, & candefactam, tertia pars cochlearis de materia sequente injiciatur, claudendo semper arctissime tubulum suo operculo: Recipiens vero, qui capacissimus

cissimus applicetur, aquæ vulgaris cochlearia quatuor vel quinque contineat.

℞. ♁ii quintupla parte ⊕ri in pulverem album fixati, posteà edulcorati benè; vel loco illius

Reguli ♁ialis opt. pulver. ♀ris crudi pulv. ā. ℥ij.

⊕ri puri benè siccati ℥iv. è pulverisatis & probè mixtis, in ◯am sic per particulas injectis, evibratur cum fulmine 🜂, cum florib9 incarnatis mixtim circulandus per octiduum, posteà filtrandus pro usu suprà dicto, servatis pro alio usu floribus.

VIRES ac virtutes conveniunt cum clysso seu ▽ stimmi sulphurea, *Cl. D. Schrœderi*, ad attenuandam crassam tartareamq; mucilaginem, ubicunque locorum in corpore humano delitescentem, quam postea & per emunctoria convenientia expurgat, per alvum scilicet, per urinam, per sudorem, per salivationem, inde & utilissimum medicamentum in obstruct. hepatis, lienis, mesenterii, uteri, & in affectu hypochondriaco, arthritico, colico, & similibus.

DOSIS à ℈j. ad ʒß. in jusculo vel aqua specifica; miscetur & cum aq. fontana & sirupo conveniente ad gratam aciditatem, pro julapio, reiteratis vicibus usurpando.

In curatione febrium pestilentialium pro sudore sequentem D. D. C. præscripsit potiunculam.

℞. 🜂 *de tribus* ʒj. (ad ʒij.) *mixturæ de tribus Andernaci* ʒj. (ad iij.)
flor. ♀ris ℈j. *aq. fumariæ* ℥ij. *sir. acetos. citri* ℥j.

M. & F. Potiuncula pro una dosi. Quæ supplebat dosin unam theriacæ Cnœffelianæ, loco ejusdem tot vicibus per viginti quatuor horas, prout de ea in exercitatione sua (*de curat. febr. pestilent.*) scripsit, repetenda & tot diebus continuanda.

Elixir febrile Cnœffelianum.

℞. *elixir. propriet.* 🜂 *terr. sigill.* ā. ℥ij. *M. S. de tribus.*
extr. absinth. liqu. ā. ℥iv. *centaur. solidi, angelicæ solid.* ā. ʒij. ℈j. g. iv.

M. & stent in vitro bene clauso per 24. horas in digestione, postea filtrentur. Sign. ut supra.

VIRES. Omnis generis febres curat, maximè intermittentes, tormina ventris atque uteri sedat; insuper stomachicum, spleneticum & hepaticum est singulare, Tempore pestis est præservativum & cura-

 tivum,

tivum præſentaneum, ab authore ſæpè probatum, aliàs ingrati ſaporis & odoris.

DOSIS à ℨj. ad ℨij. & ℨiij. cum convenienti vehiculo, bis vel ter in die repetendum.

Liquor febrilis Cl. D. D. P.

Rec. *aqu. fumariæ* ℥iij. *centaur. minoris*, *cardui benedicti*, *fragorum*, *acetoſellæ* a. ℥ij. *roſarum* ℥j. *ſir. ex ſucco citri, ex toto citro compoſ.* Cl. D. D. Oehl. ā. ℥j. *granator.* ℥ß. *conf. alkermes* ℨj. ^ ♀*ris* q. ſ. ad grat. ſap. M. filtrentur per linteum. Confert in febribus intermittentibus & putridis. Ardorem enim febrilem potenter extinguit, & per ſudores expellit; inſuper corroborat, & urinam promovet. DOSIS ab ℥j. ad ℥ij. & ℥iij. in ipſo paroxyſmo jam declinante, & aliàs aliquoties in die.

Liquor nitratus D. D. L.

Rec. ▽ *font. pane correct.* ℥viij. *ſcorzoneræ*, *cardui benedicti* a. ℥iv. *rubi idæi è fruct.* ℥ij. *roſar. alb.* ℥j. *ſucci citri acidi rec. expr.* ℥ij. *rotul. de ſucco ribium* ℥j. *manus Chriſti ſ. perlis*, *ſir. fruct. rubi idæi.* a. ℥ij. *anodyni mineralis cryſtall.* ℈ij. ad ℈iv. vel q. pl. (in copiâ enim ſumptum ſtomachum debilitat & potum facit ingratum.) M. F. potus gratiſſimus. Nos utimur in omni æſtuante febre, ac maligno morbo; non ſolùm calorem febrilem coërcet, & ſitim extinguit, ſed & potus ſeu liquor eſt diaphoreticus, bezoarticus & diureticus accepiſſimus. DOSIS per ſe ab ℥j. ad ℥iij. ſingulis horis.

Liquor contra prunellam.

Rec. ▽ *♉orum* ℥vj. *ſedi majoris*, *ſperm. ranar. roſarum* a. ℥ij. *phlegmatis* ⊕*li* ℥iv. *ſir. rubi idæi*, *violar.* ā. ℥iß. *diamoron*, (*ex fruct. nigr. c. ſacch. præp.*) ℥j. ^ ⊕*li ſeu* ♀*ris cum* ☽*ro coagulati* q. ſ. ad g. ſ.
M. & F. collutio oris.

Contra inflammationem, ſiccitatem, aſperitatem, ac fiſſuras linguæ ac faucium, in febribus ardentibus & malignis, quod ſymptoma à Germanis vulgo die Bräune dici ſolet. Poſt gargariſationem illinatur lingua, cum butyro rec. aq. ſpermatis ranar. loto. Extrahendus eſt etiam quamprimum ſanguis ex venis ſub linguâ; & mirum ſine dubio videbis effectum.

Tinctura

Tinctura florum prunellæ.

℞. *flor. prunellæ rec. coll.* ℥j. *aquilegiæ, violar. rec. coll.* a. ℥ß.
(*Not.* Eorum, quæ recenter haberi non possunt, substituatur conserva in duplo.)
aq. prunellæ ℥viij. *spermatis ranar.*
cancror. compos. c. sedo maj. Sat. a. ℥iv. *rosarum* ℥ij.
phlegm. ⊕li non acidi, sed solum primæ abstractionis ʒxviij.
Stent per horas aliquot, donec liquor omnem colorem ex floribus extraxerit. Liquori filtrato adde
sir. flor. prunellæ, malvæ roseæ a. ℥iß. *rubi idæi* ℥j.
⊕li cum ⊕ro coagulati, pro acore q. s.
Misceantur probè in vase vitreo.
In prunella & angina, atque inflammatione faucium, à vaporibus calidis, in febribus pestilentialibus, diaclysma est insignium virium.

Tinctura externa florum malvæ.

℞. *aq. prunellæ, plantaginis. salviæ* a. ℥viij.
rosar. violar. martial. a. ℥ij. Quibus calidè immergantur
flor. malvæ roseæ atro purpurascentium miij. *rosarum* mj.
Stent per spatium unius horæ in quiete, & mox extrahitur ꝶa purpurea pulcherrima, quæ per chartam filtranda est. Post adde
sir. rubi idæi, ex rosis siccis ā. ℥iß. *rob. berberum* ℥j.
⊕li pro acore q. s. Misceantur opt. & F. gargarisma.
In inflammatione, & tumore gutturis, faucium, & tonsillarum, frequentis usus nobis est.

Mucilago pro asperitate linguæ & faucium.

℞. *sem. cydoniorum, psyllii* a. ʒj. *gum. tragacanthæ* ℈j.
extrahatur mucilago, cum *aq.* ♋. *compos.* & *spermat. ranar.* ā. q. s.
expressæ mucagini adde *sir. violar.* & *rubi idæi* ā. q. s. vel ad pl.
Misceantur benè. Sign. Schleim zur trucknen Zunge in der Bräune und gifftigen hitzigen Fiebern. Sunt qui aliquid ⊕ri, & guttam unam vel alteram olei 4. sem. frigid. admiscere solent.

Lingua singulis diebus scalpro absterforio mundificanda est, & si venæ sub lingua turgeant, aperiantur.

Aqua cancrorum.

Rec. ♋. *fluviatil. rec. & contusor.* n. 30. *sempervivi majoris* mvj.
florum

flor. prunell. mij. ▽ *seu liqu. transcolati sperm. ranar.* ℔iij. *rosarum phlegmatis* ⊕*li* a. ℔ß. Mixta destillentur in B. V. seu M. ▽a prolecta postea tingatur *linteolis tornæ solis, ex succo morum factis, ad colorem purpurascentem* q. s.

In prunella & angina, ubi gutturis & faucium maxima est inflammatio, multum valet, etiam in ulceribus palati, ex lue ♀ea ortis, est valdè efficax. Porrigitur tepidè, pro collutione oris, singulis horis usque ad sanitatem perfectam. Inflammationi etiam externæ, ex quacunque causa originem ducenti & ambustis multum confert.

Oleum febrifugum.

℞. *ol. hypericonis nostr. descr.* ℥viij. *rutæ, absinthii, lumbricor. terrestr. viperarum* ã. ℥iv.

Quibus mense Julio (☉e existente in signo ♌ seu ♍) immergantur *bufonum viv.* n. ij. *aranear. vivent. maj.* n. 100. *scorpionum* n. 150. *theriacæ opt.* ℥j.

Mixta insolentur per duos menses, in lagena vitrea probè clausa; post oleum coletur; cui ultimo adde

axung. serpentis ℥ß. *ol. rutæ, citri, juniperi* S*t.* a. ℈viij. fiatque oleum febrifugum & alexipharmacum.

In omnibus febribus, tàm intermittentibus, quàm malignis, & pestilentialibus, pulsibus, spinæ dorsi & regioni cordis inunctum; præstans est & in venenatorum animalium morsibus & puncturis. Insuper inservit etiam emplastro febrifugo parando.

Cataplasma febrile.

℞. *nucleor. vel digitor. capitis allii, à pellic. mundatorum* n. iij. ⊖*is* p. j. *croci* ℈j. Misceantur omnia in vase ligneo, cum pistillo etiam ligneo, affuso subinde +o, ut pulticulæ consistentiam acquirant; Mixtura in linteolo extensa, paroxysmi tempore, cum calor febrilis jam corpus occupat, sinistro annulari toti applicetur, sinatur novem diebus, iisque præteritis eadem hora, qua erat applicitum aufferatur, & in aquam profluentem projiciatur. Sunt, qui hoc cataplasma die illo, in quo patiens à febre liber est, applicare solent, & per 24. horas solum in digito geri, & hoc ter vel quater reiterari volunt; vesicula excitata, quæ valdè molesta, tegitur cum empl. sperm. ranarum. Cum hoc cataplasmate, (quod abhinc viginti annis circiter à quodam amico, ex singulari gratia, & sub secreta fide accepi) à

febre

febre tertiana liberavit & sanavit Illustriss. Ensifer Regni Dn. Dn. Franc. Biliuski &c. cum charissima sua conjuge, plus quam centum personas, ex amicis nempe, famulis, & subditis suis propriis: cujus descriptionis processum, Tibi quoque B. L. commendatum esse volui.

Sunt & plura alia, quæ ad cohibendum febrilem paroxysmum, non solum à plebe, sed & à Medicis insignioribus, carpis applicantur, ratione quidem arteriarum, quæ ad carpos decurrunt, & per quas vires topicorum cordi communicantur, ideò non semper contemnenda sunt.

Platerus corticem interiorem ramorum nucis, in aceto maceratum, carpis applicat, & se feliciter hoc remedio usum testatur.

Emplastrum febrifugum.

℞. *terebinthinæ Cypr.* ℥iß. *storacis liquidi* ℥ß.
Quibus in patella cuprea liquefactis, admiscebis
aranearum maj. vivar. & in locis mundis captarum n. xx.

Contundantur & misceantur in tigillo vitreato terreo, seu in dicta patella cuprea, pistilloque ligneo, tamdiu, donec araneæ non amplius conspiciantur, & mixtura quasi cinerei coloris apparet. Mixturæ parum calefactæ adde

pulv. bufonum, pyrii vulg. ex capitibus serpent. parat. ā. ℥j.
⊖ *✳ci* ℥ß. ℥ij. *communis, centaur. min.* ā. ℥ß.
camphoræ ʒij. *fuliginis ex camino* q. s. pro tingendo, & cum
ol. febrifugo nostr. q. s. F. massa ad consistentiam empl. nigerr.

usus. Ex hac massa formentur duo emplastra rotunda; magnitudinis dimidii imperialis, quæ auri seu argenti foliis obducta, pulsibus manuum utriusque carpi imponantur, hora una vel altera ante accessum paroxysmi, ubi ita reliquantur per novem dies, tunc eâdem horâ iterum removeantur, & in flumina projiciantur. Certum est, quod hoc emplastrum omnes febres intermittentes, præsertim autem tertianam notham & spuriam, sæpius sine adhibitione alicujus medicamenti cohibere solet, etiam ipsas febres pestilentiales. Interim tamen methodica cura non negligenda est, quæ caussam occasionalem removere, recidivam præcavere, & ab aliis symptomatibus (quæ aliquando febres malè curatas sequuntur) defendere solet.

Poma & pocula febrilia.

℞. *salis nitri pur. (lap. prunell.)* ℥viij. *absinthii, cardui benedicti,*

centaurii, *rutæ* ā. ℥j. Nitrum prius liquetur in crucibulo, igne quidem leni: cui post per vices reliqua salia injiciantur. Salia ita liquata, & in unum chaos coacta, effundantur in ventrem detruncatæ phialæ vitreæ parvæ (magnitudinis pilæ lusoriæ) circum circa luto optime munitæ, ut sic pilæ seu pomi formam referant, quæ refrigerata è vitro confracto eximantur & ad usum necessarium serventur.

Poma dicto modo fusa, tractentur manibus, in calore febrili, eum enim temperant.

In eundem finem & simili processu fiunt ex sulphure, item ex solo puro nitro, poma pulcherrima splendentia & quasi polita.

Poculum pulcherrimum febrile.

Curiosum ex ☽ purificato fusum, externè & in superficie emblematibus ornatum poculum, dono à me olim accepit Illustrissimus Dominus N. Kasanovius, Mareschallus curiæ, quod poculum febricitantibus, in ardore & calore febrili ad extinguendam sitim solatium est magnum, si ex illo bibant.

TITULUS XXIV.

VULNERARIA.

Oleum anodynum refrigerans.

℞. *ol. spermatis ranar. lumbricorum. ex succo cancror.* ā. ℔ß.
medullæ crurum boum ℥iv. His mixtis immergantur
fol. hyoscyami, solani, sempervivi ā. ℥iß.
flor. nymphææ, verbasci, sambuci, rosar. ā. ℥ij.

Digerantur aliquandiu, postea coquantur leniter, & ad humiditatis exhalationem; colentur: post exprimantur fortiter. Omnes dolores calidos mitigat; In febribus ardentibus, spina dorsi eô inungenda est. Ex hoc oleo fit

Unguentum refrigerans.

℞. *olei anodyni antea præscripti* ℥iv. *ceræ albæ* ℥j.
quibus invicem liquatis sub continua agitatione adde
aq. rosar. odor. ʒvj. in qua prius dissol. sit
anodyni mineralis ℈ij. *spermatis ceti rec.* ʒvj. *camphoræ* ℈ij.

Fiat l. a. unguentum refrigerans, quod potenter sistit omnes inflammationes; Efficacissimum est ad combustiones, dolores podagricos, & ulcera dolorifica maximè antiqua.

In do-

In doloribus renum & inguinum à caussa calida & inflammatione ortis egregiè conducit.

Unguentum auratum, in scabie & alopecia leprosa, remedium certum.

℞. *bals.* ♀*ris terebinth.* ℥ißs. *ol.* ♀*ri foetidi rectif. cum* –E ℥ß.
flor. ♀*ris* ʒij. *sulph. aurati ex scor. Coron.* ℥ii ʒj. ℈j.
mercurii dulcis gr. xxiv. M. fiatque linimentum.

Præmissis præmittendis, loca scabiosa, bis in die inungenda sunt. Tollit & psorã, & in alopecia leprosa remedium est singulare & sæpius probatũ.

Balsamum Samaritanum.

℞. *olei olivarum crud.* ℔ißs. *rectif. per cineres* ℔ß.
herb. momord. ophioglossæ ã. mj. *balsaminæ, millefolii* ã. mß.
flor. hypericonis miij. *verbasci,* mj.
Macerentur per octiduum, post adde
tinct. flor. hyperican. per vinum. odor. fact. ℔ß.
Bulliant deinde in duplici vase opt. clauso, ad consumpt. vini. Post colaturam exprimantur species fortiter; oleo expresso rursum infundo
flor. hypericonis mij. *momordicæ* mj.
balsami Indici ℥ij. *crudi de Botin* ℥iv.
Digerantur denuo in MB. vitro benè clauso, postea exprimantur iterum, & balsamum ita conciliatum usui asservetur. Balsamum est præstantissimum, quod omnia vulnera inflicta brevissimo tempore sanat, agglutinat & conjungit, absque suppuratione, etiam dissolutum reparat, carnem renovat & ab omnibus aliis symptomatibus defendit.

Balsamum Saturni, aliàs butyrum Saturni D. D. Craft.

℞. *olei anodyni refrigerantis* ℥iij. *sacch. saturni crystallisati* ℥ß.
aceti rosacei q. s. Redigantur in mortario plumbeo, seu patina stannea, agitando in butyri consistentiam, adde
ol. stil. ver. rosarum gtt. iij.
Omnibus inflammationibus, ambustis, erysipelati, multisque aliis convenit, est enim unguentum nobile refrigerans.

Empl. Samaritanum vulnerarium domesticum.

℞. *olei, seu balsami Samaritani* ℔iij. *lithargyrii pulv.* ℔ißs.
Coqu. lento igne, spatula fraxinea semper agitando ad empl. consistentiam, cui statim adde, prius liquefact.

ceræ ℔j. *terebinthinæ Venet.* ℥iv. *ol. lauri* ℥iß.
in quibus dissolutum sit (scil. in tereb. seu oleo) *gummi elemi* ʒx.
post immisceantur & pedetentim, sub continua agitatione,
gum. purgat. *ℵi.* *opopanacis.* *galbani* ā ℥ij.
soluta prius in *phlegmate* ⊕*li, ad pultis formā.* q. s. tandem add.
aristoloch Odæ, & *longæ* ā. ℥iij. *masticis* & *olibani* ā. ℥ij.
myrrhæ ℥j. *camphoræ dissolutæ,* (*in bals. de Peru*
ad pulticulæ formam q. s. ℥ß. Fiat, omnibus exactè mixtis & copulatis, (cum pistillo, ex ligno fraxineo) emplastrum universale omnibus vulneribus, antiquis & recentibus conducibile, quod brevissimo tempore conglutinat, sanat, & ab omnibus symptomatibus defendit, & quidem absque alio remedio balsamico adhibito.

Empl. vesicatorium Cnoeffelianum.

℞. *axung. ursi, leporis* ā. ℥ß. *ceræ citrinæ* ℥iß.
cantharid pulv. ℥ß. *cinab. præparat.* ʒj. *euphorbii* ʒij.
camphoræ ℈ij. Fiat massa emplastri,
cujus ℥j. vel ℥iß. & ℥ij. extenditur super alutam, ad loca à Medico monstrata.

Empl. ad fracturas ossium Illustriss. Domini Adergast, præfecti stabuli S. R. M.

℞. *ol. olivarum* ℔ij. *lithargyrii pulv.* ℔j.
Coquantur ad consistentiam cerati. Adde in alia patella prius liquefact.
ceræ ℥iv. *resinæ* ℥iij. Quibus omnibus exactè mixtis superinspergantur sequentes pulveres, utpote:
rad. consolid. maj. pulv. *boli Armenæ subtil. pulv.* ā. ℥viij.
farinæ fabarum ℥ij. *mumiæ Ægyptiacæ, tragacanthæ* ā. ℥j.
Misceantur omnia exactè, fiatque emplastrum justæ consistentiæ.

VIRES hujus emplastri sunt insignes, ad fracturas ossium sanandas; Eorum enim coalitum promovet, callum, quo semel agglutinantur, auget, insuper fovet calorem partis nativum, genus nervosum roborat, & humorum fluxiones sistit, partibus vero prius reductis, & ligaturis, ferulisque idoneis probè adjunctis. Commendatur in herniis quoque sanandis, & in doloribus podagricis placandis; quemadmodum Ser. Majestas, JOH. CASIMIRUS, p. m. Rex Pol. hujus emplastri auxilio sæpius restitutus est.

Pulvis

Pulvis pro cataplasmate ad fracturas & luxationes ossium. (Germ. Dorband)

℞. *rad. consolidæ majoris* ℥iij. *ulmariæ, farinæ fabarum volatilis* ā. ℥j. *boli Armenæ, Terr.* ⊕*li dulcis, flor. osteocollæ* ā. ℥ß. ʒij. *sacchari* ♄*ni* ℈iv. *pulv. simplicis ex spermate ranarum* ℥ß.

M. fiat pulvis subtilissimus.

Usus hujus pulveris: ℞. *pulveris præscripti* ℥ij. vel iij. *albuminis ovi in spumam agitatione redacti* q. s. ad incorporandum, & fiat cum stupa ✛ to madida cataplasma frigidè applicandum membro luxato.

In sanandis ossium fracturis ejusdem virtutis est cum emplastro superius descripto: omnes namque fluxiones ad partem affectam impedit, & ne humores affluxi corrumpantur, cavet. Necesse est, ut hoc cataplasma per septem vel octo dies cum adhibita ligaturâ in parte affecta relinquatur, donec ægrotus persentiat, se melius habere. Plura vide apud authores, qui chirurgiam tractant.

TITULUS XXV.

MEDICAMENTA SECRETIORA EX SPERMATE RANARUM

D. D. A. C.

SPerma ranarum (Germ. Froschleich) à *Paracelso* sperniolum, sperma aquaticum, & gluten aquaticum, à Cl. *Cnæffelio* in observationibus mucago aquatica dictum, est illa mucilago instar albuminis ovi, quæ ineunte vere hinc inde circa lacus, paludes & stagna invenitur, unde postea beneficio solis viva animalia, seu ranæ, generantur, quamque medici & chirurgi hujus seculi in summo pretio habent.

Colligitur à pharmacopolis brevi ante novilunium vel in ipso novilunio, quo tempore collecta, teste *Hartmanno in not. ad Croll.* ad annos triginta durare potest, econtra ea, quæ in plenilunio colligitur, facilè putredinem concipit & maximè fœtet.

Conservatur autem beneficio aluminis istud sperma, in doliolo è ligno querno recenter fabrefacto, quem modum Cl. *Dn. D. Cnæffelius* cum D. D. *Zwelfero* observavit in hac proportione, nempe ad *liquoris*

sperm. ran. per sacc. clarificati ℥xl. adjecit *aluminis usti* ʒj. tantum, aliquando ʒij. & sic, sine ulteriore destillatione in loco frigido repositum hoc sperma ranarum in virtute & efficaciâ conservatur, citra periculum corruptionis per totum annum, ac diutius. Virtutes à *Cl. Hartmanno* in *l. c.* enumerantur.

Sperniolum siccum ordinarium D. D. A. C.

℞. *sperm. ranar. Mense Martio & in ipso novil. coll.* q. v. (*Not.* in nostro climate vix ante Mensem Aprilem sese prodit) ponatur in saccum: quæ sponte defluit ▽ interim seorsim asservanda.

Jam ℞. *oculorum nigrorum in sacco relictorum,* q. v. in patella cupreâ supra ignem spatulâ ligneâ continuo movendo, donec in pulverem subtilissimum redigi queant; vel quod melius, in calore ☉is, vel post fornacem sponte exiccentur.

Pulvis ex oculis sperm. ranar. tali modo paratus imprægnetur sæpius cum proprio spermate superius per saccum tanscolato & denuo exiccetur; pulvis tandem asservandus.

Alius modus.

℞. *sperm. ran. justo tempore, i. e. circa novil. collecti,* q. v. immittatur in cucurb. vitream ac apposito XXco cœco, benè munito, leni carbonum igne in cineribus digeratur & continuò detineatur, donec omne hoc sperma prius in liquidam & postea in crassiorem substantiam abeat. Continuata digestione materia coagulatur, & fit instar pinguedinis & tandem totaliter exiccari incipit, ut facilè in pulverem redigi possit. Pulvis demum ita laboriosè confectus aliis medicamentis admiscetur, de quibus postea & suo loco.

Citius absolvitur negotium, si liquor prius per destillationem abstrahatur usq; ad siccitatem, materia in fundo vitri relicta pulverisetur, & postea irroretur sæpius, cum liquore suo recenti & sponte resoluto, atque iterum iterumque exiccetur.

Sperniolum siccum ordinarium ex ranis D. D. A. C.

℞. *ranar. aquatitar.* in aquis puris & circa fontes Mense Martio & Aprili captarum & adhuc viventium numero xxxx vel q. v. immittantur cucurb. vitr. appositoq; capitello, in MB. igne lento destillatio instituatur, liquor egressus interim ud suos usus reponendus est. Destillatio adhuc continuanda est, donec ranæ totaliter exiccatæ sint, ut facilè in pulverem teri possint, qui tandem ita paratus cum proprio spermate (per

saccum

saccum recenter transcolato) sæpius imprægnandus & rursum exiccandus est.

VIRES magnæ sunt in quacunque hæmorrhagia & effervescentia sanguinis; datur à ℈j. ad ij. in propriâ aquâ destillatâ; externè inspergitur vulneribus.

Sperniolum siccum compositum D.D. A. C.

℞. *spermat. ceti* ℥jv. *thuris mastich.* ā. ℥ij *croc.* ʒß. terantur singula in pulverem, postea misceantur, & cum spermate ranar. (in sacco resoluto) irrigentur pulveres ter, quater & sæpius, & dein sponte exiccentur. Quo facto hic labor etiam toties cum spermate juniperino & flore cœli instituendus est, tandem add. *camphor.* ʒiij. misc. fiatque pulvis in vitro puro asservandus.

VIRES sunt æquales cum sperniola Crollii; in hæmorrhagia sc. narium, gutturis, uteri, hæmorrhoidum, sanguinem quippe frigiditate & virtute specificâ coagulat. DOS. à ℈ß. ad gr. xv.

Exterius idem pulvis inflammationes omnes mitigat, dolores podagricos lenit, (cum vino calidè applicatus) insuper omnia ulcera antiqua, inflammata, dolorifica, & cancrosa curat.

Not. *Pro externo usu in vulneribus omitti potest.*

Sperniolum mucaginosum compositum.

I.

℞. *spermatis ranar. sponte resoluti & beneficio aluminis seu* ⊕*i asservati*, ℥xlviij.
myrrhæ commun. aloes soccot. ā. ℥ij. Mixta asserventur in lagenis vitreis bene clausis locoque frigido, pro nostro *topico externo*.

II.

℞. *spermat. cet. mastich.* ā. ℔ß. *myrrh. camphor.* ā. ℔j.
phlegmat. ⊕*li, spermat. ranar. transcolat.* ā. q. s.
Misc. & sign. *mixtura nostra localis externa.*

III.

Sperniolum pro Illustriss. Principe van Eggenberg in Styriâ, compositum.

℞. *spermat. ranar. servat. & colati* ℔vj. *ceti* ℔ß. *juniper.* ℔j. *cælifolii*, quantum haberi potest, *myrrhæ el.*

thuris,

thuris, mastich. ā. ℥j. *croc. pulv.* ℥ß. *camphor.* ʒiij. Misc. & in vitro bene clauso insolentur ad omnimodam resolutionem.

In chirurgia ejus usus est insignis, ideo ad sananda ulcera antiqua, fœtida, chironea, cancrosa & maligna, præsertim ad cancrum mammillarum & faciei remedium est magni solatii. Applicetur cum plumaceolis seu floccis mollioribus circa semen cardui benedicti collectis & in hac mixtura intinctis, superposito etiam emplastro spermatis ranarum; tollit etiam omnes dolores & inflammationes partium externarum, ideo in doloribus podagricis cum linteis (sc. eo imbutis) singulari cum successu applicatur.

Non dissimilis mixtura sequens, à *Paracelso*, in libro von offenen Schæden *p. 434.* (*operum latin. Tom. III. Sect. 2. tr. de Apostem.* &c. *cap. 5. p. 42.*) descripta, quæ ℞. *sperm. ceti, sperm. ran. sperm. juniper. cœlifolii* ā. p. æqv. Fiat destillatio in sole; ad erysipelatis exulcerati curam ab autore commendatur.

Hic adjungo etiam ex ipsius D. D. *Cnœffelii* M. S. quæ de mucagine juniperina sibi annotaverat, quid sit, & ubi colligatur.

Gelatina sive *gluten* hoc *juniperinum* (teste experientiâ rusticorum in Styriâ) nunquam toto anno magis reperitur, quam mense Majo, inprimis horam unam aut duas post imbres nimbosvè, ubi circa nodos seu juncturas stolonum annuorum juniperi instar candidæ, interdum flavescentis gelatinæ ex internodiis exudat, quemadmodum synovia ex articulis hominis, ibique concreta adhærescit, non tamen ita firmiter, quin vento vehementiore concussa decidat, aut à solis radiis liquata defluat, quod ipsemet hisce vidi oculis. Quod si contingat, ut gelatinam hanc nec venti nec imbres nec solis radii lædant, in fungos concedit, qui vitro inclusi solique expositi in limpidum liquorem resolvuntur. Liquor iste virtute eâ præditus est, ut membris paralyticis applicatus (juncturis quotidie bis inunctis) omnem contracturam perfectè sanet: quod certè summum arcanum est, ipsa etiam signaturâ præbente argumentum. Quare etiam ab arthritide confectos articulos eundem liquorem restaurare & corroborare necesse est. Experimentum dictis faciet fidem. *Hus usque Cnœffelius*, qui in allegato M. S. Germanico, quid sit & ubi inveniatur cœlifolium, quod & flos cœli dicitur, sequenti sensu hæcce annotaverat:

Cœliflos seu cœlifolium, nonnunquam in æstate aut autumno in ripis maris Balthici, quandoque etiam in viis, instar gelatinæ coagu-

latum

la um invenitur, ſed frequentius matutino tempore ante ortum ſolis; nam quamprimum ſolis illud radii attingunt, in aquam mox reſolvitur, ideoq; ultra horam poſt exortum ſolem non durat, nec uſpiam totâ die reperiri poteſt. Vulgus hominum vocat iſtam gelatinam das Sterngeſchos oder Sternputzen/quaſi dicas, ſtellarum jaculum ſeu ſtellarum purgamentum. *Tantum ille.* Ipſemet ego in juventute mea peregrinando & poſtmodum hinc inde iter faciendo, gelatinam iſtam multoties in viis & juxta eas vidi, ſed ſemper ante ſolis ortum, uti laudatus modo Autor noſter annotaverat. Ruricolæ eâ utuntur ad comæ productionem.

Obſervationi Cnœffelianæ ſubjungo & hoc de COELI FLORE, quod in *Joh. Erneſti, M. D. tractatu de oleis p. 500.* legi; hic flos, *inquit*, menſe Majo circa Pentecoſten temporeque nocturno inſtar mucoris narium in prata incidit, idque trepidanter & quaſi in circulo; hæc aqua lentè deſtillata (alias enim nimis cito aſcendit) eſt corroſivum dulce; omnes dolores cum admiratione ſedat, ulcera quotcunque rebellia curat & ſanationi obedientia reddit, cum emplaſtris ad puncturas mixta: in cancro & fiſtulis eſt valdè admirabilis, cum pannis laneis applicata, vermemque interficit.

Helvetus quidam ex eo fecit pulverem album, & cum ejus granis duobus vel tribus ſiſtebat omnes dolores internos intenſiſſimos, eoque ut exterius in ulceribus, ita etiam intra corpus ſummâ felicitate utebatur.

Paracelſus hujus *cœlifolii* etiam meminit aliquoties & ab illo NOSTOCH & CEREFOLIUM nuncupatur; videlicet *Tr. de vita longa l. 4. c. 2. & 8.* (*Tom. II. p. 65. & 67. edit. Lat. noviſſ. Genev.*) item *de ſignat. rer. natur. l. 9. p. 920.* (*Tom. II. p. 1151*) porro *l. 2. Berthon. c. 7.* (*Tom. III. ſect. II. p. 32.*) & *Tr.* von offenen Blattern *c. 5.* (*Tom. III. ſect. II. p. 42. b.*) denique *loco jam ſupra citato.*

Noſtoch *in Lexico chimico Jonſtonii* eſt jaculum alicujus ſtellæ, vel potius ejus repurgatione dejectum quid in terram. Invenitur potiſſimum Junio, Julio & Auguſto ſuper latos campos vel in pratis inſtar fungi magni vel ſpongiæ, foraminoſum quid & leve, tendens in fulvum & ravum colorem, & ut coagulatum jus tactum contremiſcit.

Petrus Borellus Obſ. 41. C. III. Hiſtor. rarior. Medico-Phyſicar. Vidi, *inquit*, noſtoch ſive florem cœli, ſpeciem muſci, terræ friabili & monticuloſæ incumbentem, tanquam gluten poſt pluvias à quibusdam hi-

micis decantatum, illum enim pro universi spiritu capiunt, & ex eo spiritum dulcem, sed maximis praeditum viribus, aurumq; solventem educunt.

Emplastrum spermatis ranarum D. D. C.

℞. *ol. sperm. ranar. lumbricor. cancror.* ā. ℥viij.
cerussæ pulverisat. ℔iß. Coquantur igne leni in sartagine amplâ, spatulâ continuò agitando ad consistentiam emplastri mollioris, cui ab igne remoto & parum refrigerato adde
ceræ albæ, (seorsim liquef.) ℥iij.
pulv. mastich. thuris opt. ā. ℥ß. *ran. cum propr. sperm. insucc.* ℥j.
camphor. in oleo ovor. dissol. ʒiij. Misc. accuratè, fiatque empl. debitæ consistentiæ, quod multum conducit in inflammationibus & doloribus coërcendis, & ad ulcera contumacia fluida & antiqua in tibiis curanda; insuper salutare topicum externum est in omni fluxu sanguineo, ac speciatim hæmorrhoidum, menstruorumque dorso solùm applicatum.

TITULUS XXVI.

COSMETICA.

Magisterium talci.

℞. *talci Veneti & albi, striis brevioribus* q. s. Suspendatur in parte interiore campanæ vitreæ, subtus in crucibulo accendatur sulphur, prius igne dissolutum [ut in præparatione spiritûs sulphuris chimico more fieri solet)& vapor seu fumus, spiritibus sulphuris prægnans, penetrando talcum reddet friabile candidumque: postea contundatur in mortario candente pistillo ferreo, itidem prius calefacto, tamdiu donec nullum amplius splendorem scintillantem prodat. Pulvis tum trajiciatur per linteum rarum, ut subtilis & impalpabilis instar alcool evadat, qui in scatulâ mundâ & sicca pro usu adservandus est.

Qui laborem majorem in se suscipere vult, talcum prius per vaporem aquæ dulcis mollius reddere potest, prout in calcinatione philosophicâ cum cornu cervino, ebore & aliis animalium ossibus fieri solet, qui labor tertio die aliquando absolvitur; tandem & per aliquot dies cum elevato fumo ex sulphure accenso maceretur, ut modo docuimus, & sic talcum fiet ita friabile, ut digitis conteri possit.

Not,

Not. cum talco Muscovitico res non succedit, sed solo Veneto.

Hic modus reducendi talcum in alcool, commodus nec vulgaris est: retinet enim suam lubricitatem & mollitiem, ita ut, cum cutis eo teritur, butyri instar evanescat, redditque cutim elegantem, subtilem ac formosam. Plurimi laborarunt, ut hunc pulverem ex talco parare possent; sed nullus unquam cum tanto effectu paravit, quantum quidem hoc nostro modo paratus edit. Aliqui enim talcum subtili limâ terebant, alii in cute balenæ, alii in solâ papyro, sed tardissimè ubique successit, & valde parum obtentum. Qui vero talcum igni reverberatorio in fornace calcariâ vel lateraria commiserunt, & in calcem reducere voluerunt, longè minorem sunt consecuti effectum; talco enim humidum suum radicale per illam calcinationem omne fuit absumptum, & nihil acceperunt, præter calcem vulgarem sine viribus. Idem etiam accidit præparationi olei hujus talci, cujus ubique in libris fit mentio; quod quidem parare sæpius vidi, & ipse etiam elaboravi; sed nihil aliud obtinui, præter liquorem salinum, qui nihil aliud præstat, quam vulgare illud oleum ♀ri ex sale per deliquium factum.

Pulvis cosmeticus compositus.

Rec. *magist. talci præced. marcasitæ, spermatis ceti albissimi* ā. ℥ij. M. in mortario vitreo seu vitreato & fiat pulvis subtilissimus.

USUS. Pulvis lanugine seu gossipio exceptus, adhibeatur cuti vesperi, dum itur cubitum: sequenti die facies linteo puro & sicco iterum abstergatur.

Pulvis alius cosmeticus.

Rec. *spermatis ceti albissimi, magisterii talci* ā ℥ij.
sacchari ℞ni *albissimi* ℥ß. M. F. Pulvis.

Eandem habet virtutem & usum cum pulvere cosmetico superiori.

Rosetta Italorum.

Rec. *magisterii concharum margaritferarum & splendentium* (matr. perlarum) *magist. marcasitæ* ā. ℥ß.
laccæ Indicæ purpureæ vel Flocentinæ finissimæ, vel quod melius, *magisterii carmasini, quod Galli & Itali* carmein & carmion *vocant* q. s. Usus hujus pulveris est notus.

*Bb 2 Linteum

Linteum ceratum pro larvis seu masquis, ut vocant.

ANte omnia linteum Hollandicum subtile & crudum extendatur in quadrato: postmodum cum liquore recenti spermatis ranarum, (per saccum densum tamen prius absque igne transcolati) humectetur sæpius linteum & denuò sponte exsiccetur, scilicet sexies vel septies: posteà in patinâ vel patellâ purâ super aquam bullientem dissolvatur

ceræ albæ ℔ß. *unguent. pomati, seu adipis ex pedibus agninis excocti* ℥j. dissolutis adhuc adde

spermatis ceti ʒij. *camphoræ* gr. vij.

misceantur insimul quam optimè.

Cum hâc mixturâ inungitur postea linteum (superius cum spermate ranarum jam paratum) & quidem penicillo magno & molli ex unâ parte solùm. Quibus peractis, linteum ceratum cum alio panno crudo & puro terendo poliatur.

Ex hoc linteo postea fiunt masque pro fœminis contra varias injurias aëris nocentes faciei.

Hanc etiam habet virtutem, quod faciem ardentem & rubentem refrigeret, atque cutim mollem, delicatam & albam reddat, & ab omni immunditie præservet. Fuit quondam secretum Sereniss. LUDOVICÆ MARIÆ, p. m. Poloniæ & Sveciæ Reginæ.

Ex singulari amicitiâ & communicatione Magnifici Dn. N. Nolle, Cubicularii ejusdem Reginæ.

Bezetta rubra seu torna solis bezedina.

DEscriptiones hujus sunt perquam multæ, nos potiores hic recensebimus, & primò modum illum, quem olim in aulâ Serenissimæ Mariæ Ludovicæ p. m. Regiæ Poloniæ & Sveciæ virgo quædam nobilis adhibuit: qui sequens est:

Rec. *baccarum spinachiæ bacciferæ recenter collectarum* lib. j.

succi acidi citri seu limonium rec. express. lib. ß.

factaque maceratione per aliquot horas, in loco frigido, succus rubicundus per colaturam & expressionem separetur; cui denuo immergantur recentes spinachiæ baccæ, & iterum fiat expressio. Post in liquore colato & per resistentiam purificato immergantur bis vel ter linteamina Armeniaca seu Turcica, ex gossypio confecta, & iterum sponte exsiccentur, inque scatulâ pura ad usum serventur. Pannis hic

tinctus, & dicto modo tincturâ rubicundissimâ & eleganti imprægnatus fœminis pallidis servire solet ad inducendum vivaciorem colorem genis pallescentibus. Modus adhibendi est notus. Liquori alicui destillato seu simplici impositus, colorem communicat purpureum elegantissimum.

Vidi etiam bezetta rubicundissima solo succo baccarum solani Americani infecta & parata. Sed hic cautè agant tragematopolæ, qui saccharata, & similia ex sacbaro comestibilia, his pannis tingere solent, ne talia sibi linteamina tincta eligant, quæ succo aliquo nocivo imbuta sunt, & inde sanitatem destruant.

In Hispaniâ & Gallia paratur bezetta beneficio Ræ seu succi granorum chermes vel cocci infectoriæ. In Italia cum Râ rubrâ, ex lanâ è panno scarlato detonsâ, seu filis sericis, carmasini coloris, cum decocto aluminis extracta; vel cum ipsâ laccâ finissimâ Florentina, & succo acido granatorum seu citri.

In Belgio sunt contenti cum decocto verzino, cum aceto & alumine parato, quo faciem pallidam ornant. Germanæ & Polonæ fœminæ ex filis sericis aquæ simplici calidæ impositis cum pauco alumine colorem extrahunt pulcherrimum, quo simili modo genas & labia tingunt in colorem vivacem & rubentem.

Plura his similia qui desiderat, is inspiciat *Alexandrum Pedemontanum & Weckerum de secretis. Joh. Bapt. Portæ magiam naturalem lib. IX cap.* 17. & alios plures, qui hanc materiam fusius tractant.

Charta di Spania.

HUc pertinet & *charta Hispanica purpurea* seu *cosmetica*, cujus beneficio & genarum roseus seu eleganter incarnatus color conciliatur, qui usûs modò ferè in totâ Europâ fœminis curiosis est notus. Hæc charta itidem paratur cum Râ seu magisterio cochinellæ seu cocci infectoriæ; per succum acidum limonum & parum aluminis extracto. Nos curiositatis caussâ quondam citra ullam difficultatem rem instituimus in hunc modum:

℞. *laccæ Hispanicæ pulch. & finissimæ in granis vel loco hujus Florentinæ optimæ ex floccis scarlati paratæ,* & non ex scobe ligni factæ, ut modò in Italia plerumque fieri solet, q. v.

Hanc laccam dissolve super lapidem, vel in mortario lapideo, cum succo acido citri & granatorum q. s. Mixturam liquidæ consistentiæ

ita paratam extende cum penicillo in papyro purâ, cum aciditate citri itidem prius insuccatâ, & postquam mixtura benè exsiccata fuerit, denuo aliam illine, & ad exsiccandum repone, quod tertiâ etiam ac quartâ vice immo sæpius iteretur, sicque charta parata erit.

Qui vero colorem rubeum papyro inductum, Hispanico more occultare vult, (quod tamen superfluum existimo & nullius utilitatis est) is purpuram nostram in aquâ salis ammoniaci dissolutam, quæ etiam suo loco à nobis describetur, adhibeat.

Tincturam hanc, inquit *Cl. Wormius Musei cap. XI. lib. 4.* ex cnici floribus, spumâ maris & arenâ in Hispaniâ confici dicunt; Ego eam ex ligno Brasiliano aut sandalo rubro extractam chartis his illini arbitrarer, ut exsiccari & hâc formâ circumferri queat. Hoc fuco quando utuntur, digitum salivâ madefaciunt, & chartæ affricant, qui tantum abradit Ræ, q. s. reliquum in usus servatur.

Unam chartam seu folium pro ducatone emere quendam vidi, hic verò ejus præparatio gratis communicatur.

Aqua cosmetica composita D. D. C.
pro Principissa d. Eggenberg.

℞. ▽æ *florum fabarum, nymphææ, lil. alborum* ã. ℥ij.
rad. sigilli Salom. sperm. ranar. ã. ℥iß. *rosar. albar. parum* sc. ℥ß.
Ræ *cosmeticæ* q. s. pro lactescentiâ, *magisterii marcasitæ* ℈iv.
sacchari ♄ni *crystallini* ʒj. *camphoræ* ℈ij.
ol. ♀ri *per deliquium facti* gtt. xxiv. M. F. aqua.

Nota, Tinctura cosmetica rubra à Principissâ non admiscebatur, prius, quàm eâ uti vellet, tali proportione:

℞. ▽æ *cosmeticæ* cochl. j. *mixturæ cosmeticæ* gtt. ij. vel iij.
Faciem rubram refrigerat, & albedinem gratissimam conciliat, cutim etiam tenerrimam & subtilem reddit.

Tinctura cosmetica alba.

℞. *balsami albi & clari Ægyptiaci* q. v. *spir. vin. optimè rectificati* q. s.
ol. veri stillatitii rosarum gtt. aliquot. M. &, in vitro benè clauso (quod chimici phialam vocant) sufficiente digestione peractâ, Ra albi effunditur, novus spiritus affunditur, ad totalem dissolutionem balsami usque: conjuncti postea colentur per linteum subtile & purum. Usus esto talis:

℞. ▽æ *sigilli Salom. flor. fabar. lil. albor. saponariæ* ã. ℥ß.

Ræ

℞. *cosmeticæ albæ præcedentis* pro lactescentia q. s.
essentiæ odoriferæ rosarum gtt. j. M. & fiat lac virginis.
Mixturâ istâ facies manè & vesperi abluatur; cutim abstergit & albiorem atque delicatiorem reddit.

Tinctura cosmetica rubra.

℞. *myrrhæ rubræ electæ, asæ dulcis, styracis calamitæ* ā. ℥j.
spir. vin. opt. rectif. ℔i ß. 🜂 *rosarum ardentis opt. rectif.* ℔ß
Stent in vitro benè clauso, tamdiu in digestione, donec spiritus rubicundissimè tingatur, postea filtretur per chartam, in vitro puro servetur ad usum.

Asthmaticis prodest, uti & catarrhosis & aliis morbis pectoris. DOSIS gtt. x. ad xx. in aquâ veronicæ, tussilaginis vel violarum. USUS externus est cosmeticus, ad manuum & faciei lavacra, & cum ℞â cosmetica albâ superius descripta convenit. In aqua florum fabarum, liliorum alborum seu spermatis ranarum infusa lactescentem reddit liquorem, inde & lac virginum dicitur, quod strophiolo puro prius infusum, manibus & faciei adhibitum, cutim reddit nitidam.

Sequens vero præstantius reperi:

℞. ▽*æ nostræ* ☿*ialis communis* (vid. Mercur. cosmet.) part. j.
fontanæ limpidæ part. vj.
🜂 *rosarum fragrantis* gtt. aliquot, (aquam rosarum, quoniam destillata est, nunquam commisceo) misceantur & cum tincturâ cosmeticâ rubrâ præcedente præcipitentur, ut liquor fiat lacteus, cui in mortario vitreo mundo admiscui tantillum pulveris cosmetici posterioris supra descripti, ut fieret

Linimentum cosmeticum.

℞. ▽*æ* ☿*ialis nostræ* p. j. *commun. fluviat. non destillatæ* p. vj.
mixturæ rubræ cosmeticæ pro lacte virginis q. s. Jam
℞. *pulveris cosmetici superioris secundæ descriptionis* ℥ß.
mixturæ hujus ☿*ialis lactescentis* q. s. Fiat linimentum.
Cum hâc mixturâ illinc faciem ab omni immunditie prius lotam & purgatam, albedinem conciliat gratissimam & amabilem, sed cautè adhibendum est, ne oculos & dentes contingat, & raro.

Illiniri quoque potest linimentum hoc lineo panno, decies prius mucagine recenti imprægnato, (uti feci Regiomonti) ex quo deinde chirothecæ ac larvæ confici possunt nocturno tempore applicandæ.
Ex manuscriptis Clariss. Dn. D. Gnöffelii.

Balsa-

Balsamum cosmeticum.

℞. *unguenti pomati* ℥ß. *ol. jasmini Romani recentis* ʒj.
⊖*is* ♀*ri deliquat.* ℈ij. *spermatis ceti* ℈v.
magisterii marcasitæ ʒij. F. balsamum.

Balsamum aliud cosmeticum.

℞. *spermatis ceti* ℥ß. *olei* ♀*ri per deliquium facti* q. s.
misceantur optimè in mortario vitreo, deinde adde
ol. jasmini ʒij. *succi acidi citri* ʒiij.
magister. marcasitæ, sacchari ♄*ni* ā. ʒj. M. F. balsamum.
Asperitatem cutis lenit, glabram, subtilem & albicantem econtra reddit.

Unguentum rubrum pomatum Ser. Reginæ CÆCILIÆ, pro tingendis labiis atque medendis fissuris.

Rec. *unguenti pomati albi odoriferi rec. facti* ʒij. *radicum anchusæ* q. s.
Bulliant simul lenissimo calore, in vase clauso tamdiu, donec omnis rubedo ex radicibus extracta sit: colato unguento adde
ol. caryophyll. gtt. iij. *cinamomi* gtt. iv.
citri ex corticibus recent. sine △*e extracti* ℈ß.
moschi, ambræ ā. gr. ij. F. l. a. unguentum rubrum.

Unguentum cosmeticum.

Rec. *album. ovor. recent.* n. ij. *benè conquassati & in spumam redacti,*
succi seu aciditatis citri recenter extracti tantundem;
Mixta coquantur in ollula novâ vitreatâ lento carbonum igne tamdiu, donec tandem abeant in consistentiam pometæ albissimæ: materia interim inter coquendum spatula lignea continuo agitanda est, & ubi refrixerit, adhuc addi possunt
spermatis ceti ℥ß. *ol. jasmini* ʒj. M. F. linimentum.
Uteudi modus est iste, ut cubitum itura faciem eo illinat, manè verò eandem linteo puro iterum detergat.

Linimentum defensivum, cujus beneficio à vestigiis variolarum plures immunes manserunt.

Rec. | *frustum lardi veteris.* Hoc accende super patinam flore lactis plenam, pinguedinem destillantem & lacti supernatantem cochleari argenteo collige, & cum penicillo in eadem intincto, variolas jam maturas, & antequam arescere incipiant, inungito. Sic facies immunis erit

erit ab omnibus variolarum vestigiis, quod non solùm in aliis multis personis, sed & in ipsâ Serenissimâ Reginâ probatum est. Medicamentum quidem videtur esse simplex, sed est magnæ virtutis & utilitatis.

Sapo cosmeticus S. R.

Rec. *saponis albi Italici, non fœtidi* ℔j.
consciNdatur aut radatur subtiliter, adde
biaccæ Hispanicæ ℥iij. *rad. ireos Florent. subtil. pulverif.* ℥iß.
magist. marcasitæ, spermatis ceti ā. ʒvj. ⊖ ♀ri *ex* ☉ *extracti* ℈vj.
contundantur & misceantur in mortario lapideo cum
▽*æ rosarum odoriferæ* q. s.
donec omnia per minima commixta sint, in fine adhuc adde
ol. ligni Rhodii, vel rosarum veri ℈j.
Formentur more solito globuli, magnitudinis ad placitum.

Sapo cosmeticus alius S. R. E.

℞. *amygdalarum dulcium excortic. & ad pultis formam cum ▽ â aliquâ odorif. q. s. redactarum.* ℥viij.
vitell. ovorum recent. n. ij. ▽*æ odoriferæ rosarum* ℥iij.
Coq. in patellâ aliquâ argenteâ vel cupreâ, ad consistentiam crassam instar pastæ, in vase non adhærescentem, continuò itaque pistillo ligneo agitanda est; Deinde adde
saponis Veneti subtiliter rasi, & cum ▽ â rosarum odoriferâ aliquoties loti & perfumati ℔ij.
contundantur in mortario lapideo quàm optimè, semper admiscendo aliquid *ol.* ♀*ri per deliquium facti* c. gr. ℥ß.
tandem inspergantur sequentes pulveres; scilicet
magisterii marcasitæ ℥iß. *pulv. rad. ireos* ℥j.
amyli, biaccæ Hispanicæ ā. ℥ij.
M. donec omnia per minima commixta sint, tandem adhuc adde
olei jasmini Romani ʒj. *rosarum veri* ℈ß.
moschi optimi ad libitum.

TITULUS XXVII.

LIQUOR ALKAHESTICUS

Cl. Helmontii & Cnœffelii.

QUid hoc nomen *Alkahest*, *Althaest*, & *Alcahest* denotet, & qualis medicina sit, nullibi clarè explicatur.

Clarisſ. D. D. *Guern. Rolfincius* cum nonnullis vult, quod alcaheſt, quaſi *alcali eſt* indigitandum ſit, & medicamentum eſſe, ad liquida chimica opera perficienda, ſi conſideretur perfecta ejus præparatio; ad ſolida; ſi inchoatio.

Ex *Polemanni* ſcriptis liquet, liquorem eſſe igneum volatilem, quô facilè ♃ra metallorum & mineralium ſequeſtrantur.

Joh. Glauberus hic producit ⊖ artis philoſophorum, & ⊖ mirabile, univerſalis ⊖is titulo, quod trium regnorum climata pervadit, & eorum ſumma ſit medicina.

Innuit ex ⊖e culinario, ⦶o, alumine, aliisque rebus parari poſſe, de quibus omnibus extenſius tractat Clar. *Rolfincius, in chim. in artis form. redact. lib. 5. ſect. 1.*

Modus procedendi circa fixationem, à dicto D. *Cnœffelio* & *Helmontio*, triplici via inſtituitur, ratione triplicis

Objecti, in quod alkaheſt agere debet. Inde triplex etiam reſultat alkaheſt: 1. minerale. 2. vegetabile. 3. & animale.

Sed remotis aliis circumſtantiis, accedo tandem ad ipſius ſecretiſſimi liquoris præparationem, & primo

Pro reſolutione mineralium.

℞. ✝ti *mineral.* (*ex minera immatura* ♁ii *per ſe more conſueto* ♌ti) ſ. q.

Paſce hanc aciditatem cum ⊖e ♀ri, quousque deſinat ebullire, perge in additione ⊖is ♀ri, donec liquor plane fiat lixivialis, poſt adde ⊖is ✻ci, quoad odor aſcendat planè ⊡lis, deſtilla lento calore humiditatem, ad ſiccitatem uſq;, deſtillationem repete, liquorem à fecibus cohobando, & ſemper ⊖is ♀ri novi adjiciendo parum, donec liquor planè fiat igneus, & erit liquor alcaheſticus, ad uſus ſequentes paratus.

Pro reſolutione vegetabilium.

℞. ✝ti *vegetabilis, (ex lachrymis vitium) propriis foliis fermentat.* & per ſe parat. q. v.

Paſce hanc aciditatem cum ⊖e ♀ri, & procede omnimodè ut ante factum cum minerali menſtruo.

Pro reſolutione animalium.

℞. ✝ti *animalis, (id eſt ſeri lactis acidum)* q. v.

Paſce

Pasce hanc aciditatem cum ⊖e ♀i, & idem præparandi servetur ordo, ut supra de mineralium menstruo dictum.

Hæc sunt tria menstrua particularia, universalia cuncta magisteria, cum tribus his menstruis fieri possunt, in rerum natura, quia per ea in prima essentia sua tria principia resolvi possunt, ex quibus post circulationem fit ⊖ volatile seu essentiale, quod summum est magisterium.

De subjecto mirabili hujus liquoris, vide sis *Helmontium tr. potest. med.* §. 3. ubi ea vocat, *ex electro opaco, cujus nomen gemma rosæ, nondum apertæ*; i. e. ☿ immaturum; *sapor austerus & terrestris*; elicitur namq; ☿ ope ignis ex ☿o; qualitate liquor iste est *ignis-aqua, nomen prorsus simplex, singulare indeclinabile, inseparabile, immutabile & immortale*, i. e. ALK-AHEST, plura vide apud dictum *Helmontium*.

USUS hujus menstrui in extractione rerum instituitur hoc modo; e. gr. in vegetabilibus.

Rec. *res extrahendas, ut radices, herbas. &c.* e. g. *fol. melissæ, basilici, absinthii, seu alius generis plantæ* q. v.

Hujus prius in mortario lapideo contusæ pars j. liquoris alcahestici vegetabilis part. ij. M. stent in vitro hermetice clauso, ad digerendum, per octiduum, seu diutius, & quidem calore lenissimo, tinctum quod est auferatur, & liquor novus affundatur, digerendo & extrahendo tamdiu, donec omnis essentia plantæ extracta sit, & ne quid impuri & crassi eò misceatur, extractiones omnes per chartam filtrentur, & cum spir. vin. opt. rectificati & alcoolisati s. q. misceantur bene, in phiala, hermeticè clausâ; Hic sine mora spir. in se recipit Ram, & omne hoc, quod in liquore alkahestino est extracti, iterum extrahit, & ambo à se invicem separantur, ita ut spir. vin. cum imbibito extracto seorsim, & liquor alkaheft similiter seorsim, & quidem purus, omniq; extracto privatus in vitro stet, quod & *Cl. D. D. Rolfincius*, de suo ex ☽o parato liquore alkahestico refert. Tandem spir. vin. essentia plantæ impraegnatus, & à liquore alkahestico separatus in leni digestione exhalet ad justam essentiæ consistentiam.

Hoc peracto, utrumque tam essentiam, quam liquorem alkahesticum ad usum serva:

Essentiam tanquam medicinam, ad extirpandos morbos: liquorem verò alkahest, pro extrahendis rebus aliis plurimis, in quibus iterum inservire poterit.

Sic proceditur quoq; in extractione Rrarum & ♀rum metallicorum:

rum: ubi hoc annotandum, quod temporis hic requiritur plus, & aliquando tres vel quatuor menses, antequam extractio perficitur.

Nota. Parata dicto modo essentia, alkahest innatans instar rubini, separari atque in ovo philosophico & hermeticè clauso ulterius circulata, in lapidem, sive ⊖ essentiale mutari potest, quod virtutibus sui concreti seu individui instructum erit.

F I N I S.



INDEX
FASCICULI SECUNDI MEDICAMENTORUM SINGULARIUM.


A.

Zedoa-

solaris


SUCCO-

FINIS.



M. S. Ca-

MS. CATOPTRICUM
IN
JACOBI JANI,
MED. DOCTORIS ET REGIÆ MAJESTATIS DANIÆ, ARCHIATRI, B. M.
BIBLIOTHECA
repertum.




FRANCOFURTI ad MOENUM & LIPSIÆ
Sumptibus JOHANNIS FRIDERICI Gleditsch.
Anno 1688.

B. L.



Um MS. Catoptricum hîc exhibitum, Nobil. & Consultiss. Dn. CHRISTIANO ERNDELIO, Dresdensi, J. U. D. & Mathematico, Ephemeridum Collectores debeant, gratitudinis testandæ ergò Viri ingenium felicissimum & circa Opticæ inprimis culturam occupatissima studia meritis prosequerentur laudibus, nisi vererentur, ne, quæ summa Ejus est modestia, in publico laudari ægrè ferat. Quare in Tuam tantùm, *Honorande Lector*, gratiam paucis saltim & quasi obiter subinnuisse juvet, laudatum Virum diversissima & rarissimæ inventionis quidem perficere instrumenta, sed in eo potissimam mereri laudem, quod perpaucis fortasse hucusq; noto, certè à nemine propalato artificio minutissima vitrorum Opticorum segmenta elaborare suapte ingenio didicerit, ut nullum penitissimè vestigium sui politura liquidissima reliquisse deprehendatur. Ne ex aurâ captitari videantur encomia, sufficiat dixisse, vitra ab Erndelio elaborata Illustriss. Domino Tito Livio Buratino, cujus Cele-

bratissimum Nomen ignorare non potest, qui Magni Hevelii in scriptis hospes non est, non reprobata fuisse, uti id haut obscuris indiciis è literis Magnifi & Nobilissimi Dn. D. Bernhardi de Bernitz, S. Reg. Majest. Polon. Person Medici & Secretarii, ad D. Vollgnadium probari posset: quin & ipsemet laudatissimus Dn. de Bernitz simile judicium repetiit occasione vitri à D. Erndelio elaborati atq; Cracoviã mittendi, quando talibus qua sensum verbis ad Vollgnadium scripsit: Vitrum *ex hyperbole elaboratum* Illustrissimo Dn. Buratino *D. Erndelii nomine tradi curabo: politura vitrorum suorum est optima, pura & accurata; optârim, ut lenticulam more suo elaboratam pro Cameræ obscuræ confectione impetrare possim.* De cætero quantum præfatus Dn D. Erndelius in excolendâ Opticâ præstet, Ipse brevi, dubio procul, *de vero & genuino visus organo, Tractatu* abundè comprobatum dabit. Vale!



AD



AD CATOPTRICAM ANACAMPTICAM SEU ANACLASTICAM ALTERAM OPTICES PARTEM DE MIXTIONE REFLEXIONIS ET REFRACTIONIS SEU DE MULTITUDINE IMAGINUM IN UNO SPECULO FORMATARUM ADDITAMENTUM

I. DE IMAGINE SIMPLICI.

OMne radiosum, si ad superficiem quandam politi corporis feratur, sui imaginem exhibere potest, clarè satis.

Et de hâc re nulla est controversia, quia in sensûs incurrit. Sed quomodo id fiat, Optici, & qui Catoptrica hactenus tradiderunt; nec satis perspexisse, nec rectè tradidisse videntur.

Pleriq; Recentiorum, inter quos *D. Rhodius Opt. lib. 2. cap. 1.* loqvuntur; Lucem & id, quod vi lucis radiat speciem scil. radiosam, in densi corporis superficiem illapsam repercuti in plagam oppositam. Quod enunciatum sic explicat *Rhodius*: *Quando nimirum radiis lucis & coloris in diaphano incidentibus occurrit densum, impediens transitum ipsorum in directum, tum radii illi redeunt per reflexionem in partem unde venerant; non secus atq; pila ad parietem projecta, denegatô ulteriore transitu resilit, in quantum durat vis impellentis. Quia enim in primo libro motum tribuimus luci quidni etiam pulsum, ceu speciem quandam, ipsi tribueremus? Non ergò secus atq; in motu physico violentiore confligentium corporum durio-*

 rum

rum, vi movente non omni abolita in conflictu, motus ille superare laborans terminum illum, cùm non possit in directum & occursu alterius corporis, in oppositum tendit. Solet pari ratione lux superficie quâdam sui in corporum densiorum superficies vi quâdam movente sui fontis agitata incidere; eaque fortiore urgente in conflictu illo quasi resilire in partem oppositam, quem repercussum dicimus.

Verùm ut repercussionem illam & reflexionem radiorum, & specierum radiosarum non negamus, ita repræsentationis specularis doctrinam hisce terminis, & hâc ratione explicari commodè, dubitamus.

Quam rem Vir acutissimus *Keplerus* vidisse, & agnovisse videtur, unde in his pronunciatis admodum cautus est: cum *cap. 1 prop. 18 paral. in Vitell.* non ad modum aliorum, sed cautius sic loquitur: *Lux in superficiem illapsa repercutitur in plagam oppositam, unde advenit.* Ubi nudam superficiem allegat, non densitatem aliquam. Et postea: *quod est in motu physico durities confligentium, quæ consistit in permanentia superficierum: hoc est in luce nuda superficies seu terminatio vel figuratio corporum.*

Sed cùm idem *Keplerus* pergit, causam exponere, cur in luce ejusque motu accidat repercussio; communi utitur loquendi modo: ita ut nec ipsam rem satis assecutum esse inde colligere liceat. Dicit: *Motûs violentiam caussam esse repercussionis*, quod si explicat: *Cum vis movens non omnis à conflictu aboleri possit, superabit motus terminum suæ lineæ, superficiem scil. At non potest in directum, obsistit enim hic superficies superficiei. Relinquitur igitur ut in oppositum.*

Nos Catoptricam & repræsentationis illius specierum, quæ fit per specula, rationem, nec per repercussionem in densi corporis superficie factam, nec per vim moventis radii repulsam, quam existentia superficiei parit; nec obsistentiam superficiei: vel terminationem etiam radiorum allapsorum & postea iterum diffusionem in partem oppositam, rectè demonstrari seqq. probamus. Iisq; ut opinamur, firmis satis rationibus, seu demonstrationibus ad oculum.

Rem autem hanc dum aggredimur, quam nemo hactenus tentavit: multa erunt exponenda, quæ non tam ex simplici refractione; sed ex mixturâ reflexionis & refractionis contingunt. Unde & hanc doctrinam imperfectè traditam, plenius explicandam assumemus: Ex quo doctrinæ optices supplementum accedet, & multa incognita hactenus in lucem clariorem & sensuum judicium collocabuntur.

Pro-

Propositio 1.

Corpus politum instar speculi seu speculum planum, nullam habens profunditatem diaphanam seu perspicuam, unius rei unam & simplicem exhibet imaginem.

Corpora talia polita sint lignea, lapidea seu metallica, ut ferrea, aurea, stannea, plumbea, argentea vel ex pluribus composita, ut illa, quæ ex stanno & cupro, & pauco antimonio debitâ proportione mixtis, vel ex aurichalco cum incrustatione reguli martis & metallo, quod *Zinch* appellant, conflantur. Patet autem veritas ipsâ experientiâ quia quodcunq; admotum objectum, sive rectè, sivè obliquè simplex & unicum videbitur in tali speculo, reliqua infrà demonstrabimus. De tali ergò speculo *prop. 19. lib. V. Vitell. & 23. lib. II. Optices* intelligendæ: Secus si fiat, res erit falsa, ut jam docebimus. Demonstratio ibi videatur, hîc enim nobis non est propositum ab aliis rectè tradita repetere.

Propositio 2.

Corpus politum speculare, seu speculum planum diaphanum insignem profunditatem obtinens, unicam saltem refert imaginem.

Verificatur per experientiam, quia aquam profundam inspicientes simplicem solummodò vident rerum imaginem: & habetur ratio; quia una saltem illaq; adversa superficies format imaginem illustrissimam; aversa autem nequit formare, vel quia non plana, unde species informes & debiliter radiantes, vel quia obscuras exhibet, quæ disparent in respectu illustriorum.

Propositio 3.

Corpus politum speculare seu speculum planum diaphanum, mediocrem obtinens profunditatem, unicam etiam exhibere potest imaginem, si debitô modô collocetur.

Tale speculum sit vitreum aliquod diaphanum, profunditatem mediocrem obtinens, vel unius digiti transversi vel plurium. Collocandum autem ita speculum, ut radii incidentes sint obliquissimi. Nam sic illi soli in unica illa superficie reflexi ad oculum devenient, & imaginem exhibebunt simplicem.

Hæc de imagine simplici, sequitur de variâ & multiplici per refractionem & reflexionem simul generata. Sed quia specula vitrea, de quibus nobis sermo erit, stanno & Mercurio vel alio quodam cor-

pore,

pore inducuntur (nam alias imagines non exhibent rectè) de hujus ratione quædam dicenda.

Propositio 4.

Specula vitrea ex diaphano corpore polito elaborata, supposito Mercurio & stanno, vel simili aliquo corpore, demum claras exhibent imagines.

Ratio hujus propositionis rectè ex opacitate vel potiùs denegata transparentia deducitur. Nam si quodcunque politum perspicuum ita disponatur, ut nihil actu transpareat: tunc imago excepta & reflexa visibilis evadet; secus si fiat, minimè. Opacitas quidem ad reflexionis actum nihil facit per se, cùm illa fiat vi luminis & specierum per lumen radiantium & corporis politi virtute reflexio fiat ordinata benè: Interim de imaginum reflexione nihil judicare poterit oculus, nisi sentiat imaginem reflexam. Ut ergò sentiatur imago reflexa in speculo illo vitreo polito transparentia illa adimenda. Nam si quid post speculum constitutum radiet radio recto, illudq; diaphanum transeat, licet nonnihil refractè, obliterabitur quasi species reflexa debilior, ob radiantis fortioris (quod luci primæ quasi comparatur) imaginem oculo impressam. Unde necesse erit opacitate inducta prohibere ne diaphanum illud politum corpus transeant species aliæ visibiles.

Inducunt autem opacitatem tenebræ. Unde nocturnô tempore in tali polito vitro imagines, quas fundunt objecta illuminata, rectè cernuntur; Quia cùm omnia tenebris sint involuta, nihil radiosi vitrum transiens reflexas species vitiare potest. Simili ratione interdiu vitra talia tenebricoso loco obversa exhibent imagines. Aptissimè autem infertur illa opacitas & vitrum usui huic accommodat Mercurius, stannum, plumbum & similia.

Propositio 5.

Vitra polita transparentia ita quoq; collocari possunt, ut interdiu sole splendente in aëre illuminato, nullo subducto Mercurio & simili corpore, vivas tamen oculis exhibeant imagines.

Fit hoc si res repræsentatæ in speculo obliquè inspiciantur. Nam tali pacto saltem reflexæ imagines oculos feriunt & directè radiantes, propter obliquitatem speculi ad illas, excluduntur. Prohibetur ergò illarum transparentia & sic oculi immunes ab illorum pictura remanent.

Deducitur hinc, rectius aptitudinem specularis corporis ad species repræsentandas per prohibitam vel denegatam transparentiam aliorum visi-

visibilium describi, quàm per opacitatem: Cùm in aëre lucido vel radiis solaribus illuminato opacitas adsit nulla; & tamen dictâ ratione species in ejusmodi vitris appareant; ob hanc solummodò causam, quia excluduntur radiantia illa; quibus visis emoritur imago reflexa, exclusis ex oculo, optimè apparet.

Propositio 6.

Similia vitra polita nullo Mercurio obscurata, objecta lumine multo radiantia ita clarè reflectunt ad oculum, ut alia objecta colorata illuminata post speculum posita planè disparant.

Confirmatur hoc experientia. Nam si fenestræ excipiantur ejusmodi vitro, imago illarum occupabit visum & absorbebit omnes illas species radio recto radiantes per vitrum, ita ut planè non appareant.

Sequitur inde insigniter illuminata & multo lumine radiantia, fortiùs radiare, licèt reflexa sint; quam alia colorata directè radiantia: quod contra doctrinam opticam.

II.

DE MIXTURA REFLEXIONIS ET REFRACTIONIS ET DE MULTITUDINE IMAGINUM.

Propositio 7.

Omne speculum vitreum planum pellucidum profunditatem habens diaphanam, Mercurio & stanno subducto, duplicem reddit imaginem.

De planis hîc loquimur speculis ceu simplicioribus, ex vitro seu materiâ pellucidâ compositis. Est hæc propositio notabilis, licèt paucis nota, & verificatur per experientiam; Capienda autem ea per objecta illustria & maximè illuminata; qualia sunt fenestræ, lampades vel faculæ ardentes & similia. Nam quamvis & in reliquis objectis paulò debiliùs, ob pauciorem irradiationem luminis, idem contingat, uti id ipsum plumbum, quibus vitrei fenestrarum orbes continentur, ostendit; & quilibet attentus observator animadvertere potest: tamen in lucidis vel multâ luce radiantibus observatis est evidentior & oculis manifestior. Deinde & hoc attendendum, ut imagines obliquè incidant & sic reflectantur; sic enim manifestè apparebit imago duplex in speculo. Perpendiculariter autem incidens, licèt & ipsa duplex sit; tamen quia simili ratione reflectuntur, fit ut utraque concurrat & sic gemina pro una percipiatur imago; vel cùm radius perpendicularis non

non refringatur, necesse est & hâc ratione utramq; concurrere in uno loco & pro una haberi. Qui ergò cupit veritatem propositionis indagare, is statuat alicubi speculum, & in eo contempletur imaginem fenestræ obliquè incidentis (vel etiam rectè, si speculator sit exercitatus) videbit imaginem duplicem, unam illustriorem, alteram obscuriorem cum cæteris accidentibus. Similiter si tali speculo hyalino flamma obliquè repræsentetur; tum imago apparens erit duplex satis clarè (licèt & multiplex sit, sed obscurius, ut in sequentibus docebimus) illaque duplicitas ita manifesta erit, ut nemo de rei veritate dubitare possit amplius. Cum primum hoc spectaculum se nobis offerret, quod factum in Aulâ Illustriss. Elect. Saxon. Lichtenburg. ubi in fenestris vitreis, speculi instar utrinq; politis, nocturnô tempore accensa cerea geminas imagines referebant, diu hæsimus attoniti, & novitate rei moti, nullos non adivimus opticos, frustra rationes inibi quærentes. Donec tandem re diligentiùs considerata, & pluribus institutis observationibus in vitreis & metallicis speculis, certitudo & ratio rei elucesceret. Nam quod vitrea facere vidimus, id metallica non præstabant; unde rationem facilè subolfacere licuit, refractionem & diaphaneitatem speculi vitrei causam hujus apparentiæ constituere. Hæc res si cognita fuisset *Bapt. Portæ*, alias adhuc rationes invenire potuisset, quibus imaginosum speculum constitueret. Nam plura specula sibi invicem superposita multiplicare imagines; item speculum unum plana non habens parallela duplicare imagines, uti *Mag. Nat. lib.* 17. *cap. I.* habet, non est mirum. Simplex autem speculum unicam planam parallelam insuper habens superficiem duplices reddere imagines res mirabilior & *Bapt. Porta* incognita.

Propositio 8.

Vitrum speculare nullo folio (qui mos loquendi obtinuit) vel Mercurio vel stanno, vel opacitatem inferente alio supposito, duplices reddit imagines.

Tale est vitrum utrinq; politum, quod postica parte aversa opacum respiciens locum imagines exhibet; & quidem duplices æquè ac prius, quod experientia confirmat, & ratio in sequenti manifestabit.

Propositio 9.

Imaginum duarum, vitreis speculis exhibitarum, una est clarior, altera paulo obscurior.

Veritas per experientiam patescit.

Pro-

Propositio 10.

Superficierum politarum duplicitas duplicitatem parit imaginum; unde cum in speculo vitreo duæ sint superficies, ad quas species radiosa devenire potest, duæ etiam harum causæ erunt imaginum.

Propositio 11.

Imago, quæ perpendiculariter opposito nobis vitro apparet clara, formatur non à superficie speculi vitrei anteriore seu adversa, sed posteriore seu aversa.

Hujus propositionis assertio insigne est paradoxon, 1. quia in speculo metallico locum non habet, cujus anterior polita superficies reddit imagines, 2. deinde quia non capit ratio, quomodo reflexio accidere possit radiorum à superficie, quæ non obversa, sed aversa est, 3. planè probabile illam anteriorem reflectere; quia maximè resistit & excipit species, unde & in oppositam reflectat. Verùm nihil obstantibus hisce, verissimum tamen est, imaginem, quam intuemur in speculis vitreis, sive nostra fuerit sive aliena, ab aversa speculi parte formari & exhiberi; idq; ob sequentes evidentias.

Quia vitrum speculare planum, unâ saltem superficie anteriori politum, optimè imagines non exhibet benè formatas, sed informes & confusas quasique nullas; quale quid accidere esset impossibile, si adversa vitri politi superficies redderet & reflecteret imagines.

Hæc res diu nota fuit & probatione non eget, unde & speculorum elaboratores Venetiis duplicatô labore utramque superficiem elaborare coguntur; quo labore, si finis optatus adesset, lubenter supersederent.

Secus se res habet posito alio polito planô corpore metallicô, lapideo, ligneo vel quocunque alio, quod profunditatem perlucidam non habet, imago apparebit debitô modô benè formata, secundum *prop. I.* quia propter opacitatem corporis altera superficies, quæcunque illa sit & quocunque modo formata nec speciem referre, nec priorem turbare potest. Colligitur ergò inde adversam superficiem speculorum vitreorum politorum non reddere illam, quæ in oculos maximè incurrit imaginem. Secundo, Imago in speculo vitreo perpendiculariter visa, æmulatur non figuram superficiei anterioris, sed posterioris. Talis enim est, qualem exhibere solet aversa superficies. Unde infallibiliter concludimus, non adversam, sed aversam superficiem formare imaginem in speculo visam. Quod ut clariùs fiat, assumatur speculum

lum anteriore superficie planum, altera posteriore gibbum, imago apparens inibi talis erit, qualem exhibet speculum cavum. Unde certò constat, non anteriorem esse superficiem, quæ talem refert picturam. Similiter si superficies postica sit cava, imago apparebit ac si in speculo orbiculari repræsentaretur. Quodsi autem postica superficies in planam mutetur, tunc statim imago apparebit talis, qualem exhibent plana.

Porrò si dicta vitra invertantur & superficies plana fiat posterior, tunc illustris illa imago talis erit, qualem reddit planum speculum. Ex quibus omnibus convincitur iterum, speciem visam in speculo concavo vitreo sobolem esse superficiei posterioris, non anterioris.

Propositio 12.

Imago, quam aversa superficies speculi exhibet, non formatur ab illa superficie tanquam aversa, sed tanquam adversa.

Res sanè mirabilis, interim vera & experientia comprobata. Nam speculum plano convexum non reddit imaginem convexorum more; sed cavorum, inversa scilicet extra centrum, recta sed ingentia intra centrum; sic plano cavum, reddit imaginem ritu convexorum. Suboriri hic potest dubium non contemnendum; Annon superficies aëris, plumbi, vel Mercurii immediatè contingens speculum hoc vitreum, exhibeat & reflectat imagines? Nam cum alterius corporis superficies ambientis superficiem convexam, sit cava: & è contrario, cavam convexa, imagines autem se habeant simili modo, videtur probabile non ipsius vitri superficiem aversam formare imagines has, sed aëris post vitrum siti, vel Mercurii, vel plumbi, stanni &c.

Verùm ut hîc veritatem indagarem, vitris ejusmodi, certis superficiebus expolitis, applicuimus alia corpora opaca, seu minimè polita, vel complanatos poros habentia immediatè, ita ut nullus intercedere possit aër: observaturi, num, quia aëris planities sic interrupta & fermè exclusa à speculo, imago quoque dispareret vel hiulca & interrupta ad modum aëris se offerret. Sed hauserunt oculi imaginem priorem eadem facie & formâ; quam propterea non ab aëre ejusque superficie speculum contingente, hic enim vi corporis opaci applicati exclusus nec ab opaco corpore, hoc enim non fuit politum; sed ab ipsa superficie aversa speculi non tanquam aversa, sed tanquam adversa repræsentari conclusi.

Quâ ratione autem hoc contingat, intellectus vix capere potest; interim licèt ignoretur causa, res tamen non erit neganda, monente *Scaligero*, qui sic fatur: *si de re constet, & opinio adversetur rei, quærenda ratio, non res ignoranda.* Inquirant ergò Viri docti, quæ tam mirabilis repræsentationis imaginum causa sit: Et discant alii, traditam hactenus doctrinæ causam, hujus reflexionis non esse omnibus numeris planam, absolutam & perfectam. Falsum enim erit pronunciatum hoc, speciem radiosam in densi corporis superficiem illapsam repercuti. Demonstratum enim est ocularitér, speciem radiosam densi corporis superficiem transgressam esse, imò ipsum corpus densum superâsse, & penetrâsse; sed post absolutam penetrationem aliquid pati, & speciem suam exhibere spectandam mediante superficie aversa, tanquam esset adversa. Falsum similiter erit & hoc, quod tradit *Rhodius*, radiis lucis & coloris in diaphano incidentibus si occurrat densum impediens transitum; radios redire per reflexionem in partem, unde venerunt, non secus ac pila ad parietem projecta resilit. Nam radius lucidus & coloratus superat densum speculi corpus, & fertur per illud usque ad ejus profunditatem, quæ emensa nihil habet obstaculi, nihil quod cogat ad reflexionem, nihil quod restringat & ulteriorem motum prohibeat, & tamen is ipse quasi reflexus & repercussus imaginem suam exhibet in parte oppositâ. Nulla prætereâ superficierum resistentia, secundum *Keplerum*, hîc locum invenit. Nam vis movens in luce superavit primam superficiem, superavit densitatem corporis vitrei, in quibus, si quid patiendum fuisset, perpessa esset: sed absoluto omni labore, ubi jam iterum liberum aërem ingredi posset, patitur, & imaginis suæ vestigium relinquit, quæ in oppositô locô fit aspectabilis.

Propositio 13.

Imagines à speculo plano vitreo exhibitæ, licèt sint duplices, tamen non semper tales apparent: sed videntur simplices interdum.

Hoc contigit, si objecta perpendiculariter incidant in speculum & sic repercutiantur. Nam talium una saltem videtur imago. Interim ex necessitate speculi, & propter duplicitatem superficierum politarum, duas quoque reddi imagines necesse est. Sed quia in perpendiculari incidentia coincidit utraque imago, tam illa, quam anterior, tuam illa, quam posterior format superficies, una occultat aliam & oculus utramque pro unâ agnoscit.

Propositio 14.

In vitreo speculo plano, ut appareat imago gemina, vel etiam multiplex facit & plani diversitas & refractio.

Quamvis repræsentationis specularis imaginum causa sola sit polita superficies gemina in diaphano subjecto; tamen ut videatur quoque illa duplex imago, alia adjungenda ratio. Hæc videtur esse gemina; plani duplicis diversitas & posteà refractio. Diversitas plani utriusque eo modo duplicat imagines, quo duo specula metallica polita sibi invicem incumbentia; ita ut quâdam parte postposita promineat; Demonstratio autem est facilis. Nam sit speculum vitreum utrinque planum, e. g. f. h. in cujus superficiem adversam, e. f. species a. incidet in b. & reflectitur in d. hic videnda eadem species a. penetrans diaphanum speculi corpus erit in c. & radiabit in d. Constitutus ergò in d. oculus, videbit objecti a. imaginem reflexionis in b. factam, & etiam in c. duplicem scilicet. Sed quia refractio in hoc negotio abesse nequit, & hæc duplicitatem speciei confert; facit enim, ut imagines separentur, & distincta loca occupent: unde accedens oculus duplicitatem percipiens, menti hoc phænomenon ingerit: quæ peculiari speculatione causam rimatur & rem divinam admiratur.

Quid autem possit refractio in mutando loco imaginis, tertia pars Optices docet, quæ omnia hîc non repetimus, sed præsupponimus. Ergò quando species radiosa incidit in speculum vitreum politum: tum ejus imago prima repræsentatur in superficie adversa polita: posteà eadem species penetrans diaphanum corpus speculi fertur ad posticam & aversam superficiem. Sed cùm corpus vitri sit densius aëre, fit refractio, & motu latissimo, si valdè obliqua sit incidentia ad perpendicularem; Hinc necesse est speciem radiosam, dum alteram occupat superficiem speculi, locô suô motam esse, & sic speciem fieri duplicem, primam quam superficies anterior parit, alteram quam posterior, distinctè autem visibilem, quia in diversis locis fit figuratio imaginis. Deinde probat & hoc refractionem accidere radiis, & hac perpessa demum in postica formari imagines; quia una imago semper grandior apparet alterâ.

Propositio 15.

Imaginum, quas speculum vitreum folio subducto exhibet duplices, illa est vividior & clarior, quam format superficies aversa seu postica.

Probatur experientiâ, nam si quis intuetur imagines fenestræ in spe-

speculo tali; duplices deprehendet; alteram & quidem priorem, quam antica format superficies esse dilutiorem; alteram & quidem posteriorem, quam postica fingit esse vividiorem, clariorem & magis perceptibilem. Ratio est opacitas major, quæ in profundo hæret; nam in superficie anteriori lux affluens & reflexa etiam diluit imaginem.

Falsum ergò est, quod habet *Rhodius Opt. lib. 3. cap. 2. prop.* 14. Imaginem per refractionem & reflexionem genitam esse debiliorem. Nam experientia planè contrarium evincit; quâ constat, illam, quæ in aversa speculi formatur parte esse vividiorem & clariorem seu fortiorem.

Propositio 16.

Imago ab aversa superficie formata, qualis illa est, quæ illustrior apparet, minor est illa, quàm aversa parit.

Probatur experientia hoc pacto, si eadem imago excipiatur à pluribus speculis juxta se invicem positis. Nam plano-convexi imago recta, quæ ab antica formatur, & metallici illa unica, æquales erunt vitrei speculi imagini obscuriori, qualem refert adversa superficies; sed illustrior & clarior pauló erit minor. Ratio est ipsa refractio, qua propter medium densius fit coitio radiorum ad perpendicularem, unde angustati radii præbent picturam pauló minorem.

Propositio 17.

Imago clara in speculo vitreo, utrinq; polito, sed nullo subducto Mercurio obscurato, formatur à plano polito anteriori non posteriori.

In vitris specularibus ejusmodi, si * *intueantur* imagines, apparebunt quidem geminæ, sed illustrior erit illa, quam format superficies anterior speculi; cujus rei ratio; quia hic major obscuritas, cùm longiùs absit à visibilibus post speculum positis illustrioribus, imaginum perceptiones impedientibus *secundùm prop.* 4.

Propositio 18.

Imago in vitro speculari non obscurato, illustrior apparens, major est, alterâ dilutiore.

Contraria hic accidunt *prop. 16.* & est consequentia antecedentis. Nam quia anterior superficies has claras format, hæ erunt ex necessitate majores obscurioribus; quia refractione minimè angustatæ.

Propositio 19.

Solis imago in speculo vitreo plano, solo, obliquè visa, duplex apparet satis manifestè, & figura grandi satis.

* *observentur*

Patitur hic Sol id quod reliqua visibilia & radiosa reflexa. Nam cùm duplex talium speculorum sit superficies polita, quælibet illarum peculiarem parit imaginem oculis perceptibilem; quam si quis propter visus debilitatem intueri nequit, assumat vitrum viride politum vel cœruleum, quo mediante imaginem Solis in speculo facilè oculis usurpabit.

Propositio 20.

Imaginum Solis duarum in speculo plano visarum una est paulò major, sed obscurior, altera minor, sed illustrior.

Consequitur ex prioribus & confirmatur *αὐτοψίᾳ*. Ratio autem est, quòd majuscula formetur ab anteriori superficie speculi unde & obscurior & grandior, quia nihil patitur. Minor autem & illustrior ob refractionem ad perpendicularem & coitionem radiorum talis est, & quia ibi major opacitas. Errat ergò *Rhodius Opt. lib. 3. cap. 2. prop.* 14. dùm putat imaginem illarum, quæ geminæ videntur propter mixturam refractionis & reflexionis, illam, quæ per refractionem & reflexionem fit, debiliorem esse. Nam manifestè apparet fortior.

Propositio 21.

Speculum aquæ immersum triplicem exhibere potest imaginem.

Nam speculum hoc Solis imaginem duplicat per se; deinde ipsa aquæ superficies tertiam addit speciem.

Decipiuntur ergò, qui sic aspicientes Solem, vel planetam Mercurium illi adjungi, vel canicularem conjunctam esse autumant. Qui si solummodò hoc observarent, unam illam imaginem ad motum aquè mobilem esse, & semper *imposita* Solis eodem & eodem speculo æquè distare, facilè errorem deprehenderent.

Propositio 22.

Lucidum corpus & flammans in plano speculo vitreo, duplicem refert imaginem vividam.

Res est notabilis, mira, & cujus occasione, primùm in hasce speculationes catoptricas penetravimus, scilicet hyberno tempore cereus accensus in vitro speculari fenestris inserto, exhibuit imaginem apertè duplicem, quam rem cùm miraremur per longum tempus, tandem adhibitis speculis, illius rationem cognovimus. Nam metallica specula nihil tale exhibebant, sed vitrea plana omnia, duplicabant species manifestè. Unde non obscurè licuit colligere phænomeni causam esse duplicitatem superficierum politarum speculi; ut autem res hæc ocu-

lis possit usurpari, cereus obliquè erit speculo opponendus ; nam sic species duplex apparebit. Causa autem rei à refractione & polità superficie alterâ deducenda.

Propositio 23.

Imagines flammæ vel ignis duplicatæ in speculo visæ, eò longius à se invicem recedunt ad latus, quo speculum obliquius est ad objecta.

Patet per experientiam. Nam obliquissimè positus cereus imagines præbet à se longè invicem recedentes, quæ eò magis sibi invicem appropinquant, quo objectum lucidum ad perpendicularem accedit propiùs. Quodsi exquisitè perpendiculum obtinuerit, utraque imago planè conjungitur & pro unâ habetur. Ratio rei à refractione de promenda & superius est tacta.

Licebit & hâc ratione perpendicularem lineam ad speculum exquisitè satis invenire.

Propositio 24.

Imaginum harum duplicium in speculo visarum, una antrorsum spectat, altera retrorsum abire videtur, & quidem distantia valdè magna: & quo lucidum à speculo remotius, eò distantia hæc specierum major.

Probatur experientia.

Propositio 25.

Imago propior speculo formatur à superficie anteriori polita speculi, remotior à speculo formatur à posteriori.

Probatur ex superioribus.

Propositio 26.

Imago formata à superficie adversa speculi, est illustrior illa, quam aversa parit.

Est contraria *prop.* 15. & probatur experientia, qui anterior imago illustrior est posteriori.

Causa autem videtur objecti luciditas, quæ tantâ opacitate non indiget ad sui repræsentationem, unde statim ad anteriorem superficiem delata reflectitur cum splendore insigni; quia oculos feriens facit posteriorem obscurius oculis pingere.

Propositio 27.

Imago posterior, quam peperit aversa superficies, & distinxit refractio, mobilis & pro loci oculi vel objecti lucidi mutatione, modò dextrum, modò sinistrum tenet latus.

Habet experientia, & causa ex legibus refractionum deducenda.

Prpositio 28.

Objecti lucidi, ut cerei accensi, imago in speculo vitreo plano, quod Mercurius opacum reddidit, quintuplex apparet, unioculo.

Res est notabilis & in sensus incurrens. Nam cereo accenso, & obliquè posito speculum flammæ lucidæ imaginem quintuplicem exhibet, & quidem, ut omnis vitetur error, uni etiam oculo. Causa ex varia refractione & reflexione deducenda est, quam nos ita se habere putamus. Unam præbet superficies anterior irrefractam vi fortis lucidi, secundam superficies posterior refractam & reflexam vi fortis lucidi, tertiam species prima in anteriori facie speculi recepta & per se radians non vi fortis in superficiem aversam, quartam producit species posterior vi suâ radians in anteriorem speculi superficiem & inibi refractam, quintam species tertia è postica in anticam superficiem regrediens pingit.

Sit v. g. objectum lucidum A. speculum duas habens superficies anteriorem *b.c.* posteriorem *d.e.* Dico imaginem ex A. in superficiem speculi *b.c.* allapsam reflexam in *f.* videri ab oculo *l.* Secundò radium *a.f.* refringi ad *g.* & ex superficie *d.e.* reflecti & videri ab oculo *l.* tertiò imago in *f.* recepta radiabit quoq; in *h.* & videbitur ab *l.* sic quartò regrediens *g.* videbitur in *i.* & quintò remeans *h.* videbitur iterum in *k.* sic itaq; quintuplex producitur unius rei imago in superficie duplici, refractione quaterna & reflexione quintuplici. Hæc res adeò incredibilis fuit *Schvventero Mathem. Prof. Altorf.* ut licet illam ab autore *Gallo Prof. Parisiensi Anonymo* Viro acutissimo & solertissimo descriptam & notatam videret in *deliciis suis Physico-Mathematicis lib. 6. prop. 6.* tamen quasi negaret. Quæ pertinacia ex causæ, quæ sanè hactenus occulta fuit & profectò abstrusa satis est, ignorantia nata fuit. Uterq; autem tàm *Gallus* quàm *Germanus* errabundus est in assignanda causa. Nam *Gallus*, dum refert rationem ad triplicem reflexionem in speculi plano medio & profundo, quod sic trium imaginum rationes exhibeat: Cùm tamen quatuor & quinq; sint imagines. 2. cùm in medio vitri, ubi nulla superficies, imago formetur, res iterum dubia & probanda. *Schvventerius* autem *Germanus* errorem committit longè gravissimum, cum verè plana specula unicam saltem exhibere imaginem dicit: multiplicitatem autem imaginum ex inæquali superficie provenire judicat. Nam refutatur

tatur is infallibili experientiâ, quâ constat, omnia specula plana, imò planissima, vitrea, nullo omninò cujuscunq; bonitatis is sit excepto, duplices manifestè imò quintuplices reddere imagines.

Propositio 29.

Tres imagines posteriores semper sunt obscuriores prioribus duobus, & obscuritate ita decrescunt, ut tertia sit obscurior secundâ, quartâ tertiâ, & quinta quartâ, quinta ergò omnium est obscurissima.

Patet experientia.

Propositio 30.

Imaginum quintuplicium secunda semper posterior est, huic succedit vel potius accedit ad spectatorem prima. sequitur tertia, hanc quarta, quam tandem quinta, debilissima licèt videatur, proxima.

Propositio 31.

Hæc est perpetua mobilitas imaginum, ut lucidissima sit quasi basis circa quam secunda posteriori parte, & tres aliæ anteriori parte moventur, hâc lege, ut secundâ dextrum tenente, tertia, quarta & quinta sinistram obtineant; & vice versa, secundâ sinistrum primæ occupante, tertia, quarta & quinta dextram teneant.

Experientia comprobatur & ex refractionum legibus deducitur ratio.

Hæc de multiplicatione imaginum in speculo: sequitur earundem multifaria generatio vi refractionis & reflexionis simul facta.

In vitro globoso seu rotundo, diaphano seu nullo stanno vel Mercurio opaco reddito, quales sunt, cucurbitæ, Phiolæ &c. vel globi vitrei intus vacui.

Propositio 32.

Objecti lucidi imago visa in globo vitreo vacuo diaphano quadruplex est.

Veritas demonstratur experientia. Nam assumatur ejusmodi globus vitreus internè cavus, seu vitrum quodcunq; globosum, ut Phiola seu cucurbita vitrea; in tali vitreo corpore objecti lucidi, ut cereorum accensorum seu fenestrarum multâ luce radiantium imagines quatuor distinctæ apparebunt. Nam quia quatuor sunt superficies talium vitrorum globosorum ex natura & hypothesi, quælibet illarum unam generabit imaginem, *secundùm prop.* 8. Prima fiet à superficie extrorsum spectante gibba, secunda ab opposita cava introrsum spe-

ctan-

ctante seu orbiculo aversa; tertiam pariet cava antrorsum spectans, quartam convexa retrorsum.

Propositio 33.

Idem præstant, & alia objecta illuminata, sed non ita clarè, unde non nisi exercitatorum oculos feriunt.

Quia ratio universalis est, non habetur dubium, quodlibet objectum idem præstare posse; sed quia talia vitra opacitatem non admittunt, ex hypothesi, non nisi illustrissimorum objectorum imagines luculentè depictæ oculos movere possunt.

Propositio 34.

Imaginum harum quadruplicium duæ anteriores sunt erectæ; posteriores autem inversæ.

Res est clara, cujus ratio ex superioribus petenda & ex opticis. Nam imago prior à superficie gibbâ seu convexâ formata erecta est, secundùm leges opticas, secunda & ipsa est erecta. Nam licèt formetur à cava introrsum spectante, tamen ea reddit imagines non ut aversa superficies ab objecto; sed ut adversa seu tanquam convexa ex *prop. 12.* Posteriorum imaginum utraq; est inversa, quia formatur à superficie cava seu tanquam in speculo cavo. Nam prima objectum spectans revera cava est, secunda licèt sit convexa, tamen instar cavæ reflectit imagines. *Ex prop.* 12.

Propositio 35.

Quo vitrea illa sphærica sunt profundiora seu crassiora vel ex majori copia materiæ constantia, eo imagines longius à se invicem distant.

Nam superficies, quæ exhibent imagines, longius à se invicem recedunt: unde & imagines longiùs à se distare & distinctiùs videri necesse est.

Propositio 36.

Quadruplicant & alia vasa vitrea, ex planis lateribus composita; sed quia illis deest plani æquabilitas & politura, & imagines in illis exhibitæ grandiores & distortæ erunt.

Propositio 37.

Facile erit sex-duplicem oct-duplicem efficere imaginem unius objecti.

Fit pluribus vitris diaphanis compositis ita, ut unum statuatur post alterum. Nam sic quolibet propter geminatam superficiem duplicem dabit imaginem.

III. DE

III.
DE SPECULIS PLANO-CONVEXIS.
Propoſitio 38.

S*Pecula vitrea plano-convexa duplicem reddunt imaginem.*

Cùm enim duas habeant ſuperficies,& ad utramq; ſpecies deveniat propter diaphaneitatem vitri, neceſſe eſt duplicem reddi imaginem.

Dicimus autem ſpecula plano-convexa, quæ anteriori parte polita plana ſunt, poſteriori autem convexæ lentis formam obtinent.

Propoſitio 39.

Imaginum duarum in ſpeculo plano-convexo, opacitatem ex Mercurio vel plumbo obtinente, prior, quam format plana ſuperficies, ni ſpeculator ſit exercitatus, obſcurior eſt & diſparet, altera eſt illuſtrior & oculos notabiliter ferit.

Probatur experientia, & eſt ratio, quia terminatio radiantis ſpeciei in poſtica facta vim obtinet majorem, quam eodem adhuc in motu exiſtens, ſeu priorem ſuperficiem penetrans.

Propoſitio 40.

Eadem prior imago & recta eſt, & in toto conformis illis, quam planum parit ſpeculum.

Res plana eſt.

Propoſitio 41.

Imaginum in ſpeculo plano-convexo exhibitarum poſterior imitatur naturam imaginis exhibitæ in cavo ſpeculo.

Res mira, ſed certa eſt, & quàm pauci aſſecuti ſunt.

Hujusq; rei ignorantia cauſa fuit, ut inutiles ſumtus impenderentur in ſpecula concava, de quarum virtutibus * *nulla* admiranda deprædicantur. Viſumq; nobis eſt Venetiis ejusmodi ſpeculum ſatis grande, quod ex vitro erat elaboratum, anteriori parte cavum, magnis procul dubio impenſis, de quo fruſtrà expectavimus id, quod nobis pollicebamur, & aliàs cava præſtare poſſe exploratum habuimus. Unde artificem, vel qui expenſas fecit, deceptum arbitramur, cujus rebus conſultum fuiſſet, ſi, neglectâ cavitate in parte anteriori, convexitatem induxiſſet poſteriori.

Accidit autẽ illa repræſentatio inverſa quaſi; quod imago à ſuperficie poſteriori formata & ſpectata, ac ſi eſſet anterior, neceſſariò inverſa ſe

* *multa*

habeat, cùm superficies convexa sic oculis opposita fiat quasi cava, & vice versa, cava fiat quasi convexa.

Propositio 42.

Imago in plano-convexo à convexâ superficie formata, si objectum sit constitutum prope speculum & intra centrum superficiei, est recta quidem; sed longè maxima, & eò major, quo centro vicinius sit objectum, in quo unum punctum tantum quantũ totum speculum, eadẽ quoq; ultra speculum videtur.

Manifestatur experientia & fit hic idem, quod in cavo simplici metallico. Immane autem hic videre, faciem hominis in giganteam mutari, & minimos nævos ita manifestari, ut pudorem inferant, qui negligebantur propter disparentiam.

Propositio 43.

Imago rei extra centrum constitutæ minor est & inversa apparet, & cis speculum; tantoq; magis recedit à speculo in anteriora, quo magis appropinquat objectum; & accedit ad speculi anticam faciem, quò plus removetur objectum.

Phænomena hæc demonstrantur in opticis, nec hic aliquid addere licet, cùm ratio utrobiq; sit eadem.

Propositio 44.

Speculis plan-convexis licebit ad radios solis accendere ignem.

Scilicet quod cavis metallicis factitatum hactenus, hoc idem licet expedire hisce convexis, quæ si ex vitro fingenda, paratu faciliora & constantiora, cùm rubiginem non contrahant; nec polituram tam facilè amittant. Reiq; veritas facilè exploratur experientia.

Corollarium.

Idem præstabit, & multò perfectius quidem, speculum, cui posticæ parti impressa sit figura parabolica; excepto illo impedimento, quod radiis reflexis accedit, eosq; in uno puncto exactissimè concurrere prohibet, ex refractione quam superficies anterior obliquè radiantibus conciliat. Quale tamen per exiguum, in sensus vix incurrit.

Propositio 45.

Eodem speculo plano-convexo tres lucidi vel multum illuminati splendentis corporis exhibentur imagines.

Probatur experientia, & est ratio, quia licèt duæ tantùm sint superficies, poterit tamen refractio geminare unam imaginem, ita ut tres exsurgant.

Expe-

Experimentia capiuntur vel cum flamma, vel si immittantur fenestræ vitreæ illuminat & coruscantes multo lumine, vel alia polita & splendentia corpora opponantur.

Propositio 46.

Trium imaginum una post speculum apparet recta, duæ ante speculum inversæ, quarum remotior à speculo est major & illustrior, vicinior minor & obscurior.

Ratio est, quòd prior recta à superficie planâ formetur: unde imitatur modum præsentationis ejus, quæ fit in speculis planis. Duæ inversæ fiunt à superficie convexâ, cujus facies anterior objectum respiciens quasi cava est, unde instar cavi speculi invertit imagines & minuit. Harum inversarum major remotior est illustrior, quia nihil patitur: Minor vicinior est, quia ex refractione exsurgit, unde abbreviatur ejus non spectata in anteriori recessus, & imminuitur splendor & claritas.

IV.
DE SPECULIS CONVEXO-PLANIS.

Propositio 47.

Speculum vitreum seu vitrum speculare convexo-planum duplices reddit imagines.

Tale speculum seu vitrum speculare fit, si invertatur prius, ita ut superficies convexa antrorsum spectet & objecta respiciat; plana aversa sit & retrò spectet. Duplices autem imagines exhibet; propter duplicitatem superficierum, ut suprà dictum.

Propositio 48.

Imaginum harum illustrior imitatur naturam superficiei convexæ, & est recta, sed quantulum incurvata retrorsum, & minor.

Ratio pendet à naturâ convexorum speculorum: incurvatur autem secundùm normam superficiei convexæ; quæ eandem imminuit imaginem congregando radios ad centrum.

Propositio 49.

Imago altera in convexo-plano formata non imitatur naturam planorum.

Res mirabilis, & magnæ indaginis, quæ primùm visa nos valdè turbavit ob novitatem rei & insolitam contra communia fundamenta apparentiam.

Propositio 50.

Imago altera in convexo-plano formata imitatur naturam cavorum speculo-

iulorum, & objecto propinquo existente, fit imago recta, sed ingens & valdè amplificata; objecto ex remotiori locô radiante, imago est universa & minor.

Stupendum est hoc phænomenon, cujus ratio obscura satis, res tamen manifesta & in sensus incurrens. Nos in hisce tenebris intellectûs humani aliter judicare non possumus, quàm in planâ quidem superficie fieri & exhiberi imagines, formari autem à convexâ, & quidem ea norma & forma, quam habet, dùm respicit planam; qualis non convexa sed cava quasi videtur. Vel, quod probabilius, propter refractionem in convexâ lente vel superficie factâ decussari radios & sic inverti, ut plana superficies exhibeat quidem, sed imaginem inversam propter refractionē.

Quod autem non sola globosa seu lenticularis superficies imaginem formet & simul exhibeat; sed & planum aliquid præstet exhibendæ: hoc fundamento probamus.

Quia imago ipsa licèt minor sit illâ, quam plana format superficies; est tamen & major illâ, quam cava, eo circulo, quo speculum est convexum, exhiberet. Quod speculator facilè experietur, si vitrum idem speculare convertat, & videat jam imaginem inversam in plano-convexo, jam imaginem conversam in convexo-plano. Nam manifestè apparebit, hanc illâ esse multò majorem; Unde concludimus, formari quidem seu inverti imagines à superficie convexâ, non autem exhiberi in illa, quatenus cava; cùm leges circuli non servet, sed multùm & valdè excedat. Hæc doctrina in sequentibus magis illustrabitur.

V. DE SPECULIS PLANO-CAVIS.

Propositio 51.

Duplicat imagines speculare vitrum plano-cavum.

Planum cavum vitrum politum est, quod unam superficiem & quidem anteriorem objectum respicientem habet planam, alteram aversam cavam; hoc duplicat species seu imaginem propter duplicitatem superficiei.

Propositio 52.

Imaginum illa, quam plana anterior format superficies, recta est, & clara; imitatur illas, quas speculum planum aliud simplex format.

Nihil novi, & ratio ex opticis petenda.

Propositio 53.

Imaginum in plano-cavo vitreo visarum, altera convexi speculi simplicis naturam imitatur, & est recta parva, recurva. Patet

Patet experientiâ, & habetur ratio ex ſuperioribus; cum enim ſuperficies averſa ſpeculi vitrei convexa, reddat imagines inſtar cavæ, cava inſtar convexarum; inde colligendum & hic cavam ſuperficiem averſam inſtar convexi repræſentare imagines rectas, parvas & retrorſum inflexas.

VI.
DE SPECULIS CAVO-PLANIS.

Propoſitio 54.

Speculum cavo-planum vitreum duplices quoq; exhibet imagines.

Tale ſpeculum fit, ſi invertatur prius, & duplicat imagines adinſtar omnium vitreorum.

Propoſitio 55.

Vitrum ſpeculare cavo-planum unam imaginem ex objecto ultra centrum remoto invertit & antrorſum ſtatuit, illamq; inflectit pronam verſus objectum.

Proprium hoc eſt cavorum ſpeculorũ, invertere imagines, cujus ratio in opticis habetur, inflectitur eadẽ ad modum cavi plani, cujus ſoboles.

Propoſitio 56.

Idem ſpeculum imaginem, quam objectum propinquum intra centrum conſtitutum fundit, rectam exhibet, ſed grandem & poſt ſpeculum conſtitutam.

Manifeſta eſt ex naturâ cavorum.

Propoſitio 57.

Altera imago in cavo-plano viſa non imitatur naturam planæ ſuperficiei; ſed convexæ.

Res æquè admiranda ac illa, quæ *prop. 49. & 50.* docetur, dum hîc idem contingat. Scilicet non vi planæ ſuperficiei efformatur imago altera; ſed planè alia, ſcilicet inſtar convexi majoris. Ratio rei, fateor ingenuè, me latet; nec quæ ibi ad *prop. 50.* dicta ſunt, mihi ipſi ſatisfaciunt. Puto tamen cauſam, quòd in plano nulla exhibeatur imago, facere refractionem ſpecierum in ſuperficie tàm cavâ quàm convexâ factam. Et cùm ſic planum exhibeat nihil, concavum poſtica parte, qua convexum æmulatur, reddere imagines inſtar convexorum.

Propoſitio 58.

Imago hæc poſt ſpeculum conſtituta major eſt, quam admittit convexitas, quæ cum cavitate coincidit.

Res notabilis & vera. Alias certum, cavum ejusdem circuli cum convexo majores reddere imagines in eadem diſtantia, convexum minores: ſed

sed hic planè contrarium contingit, quia imago ceu in convexa repræsentata, multò major est illa, quam parit eadem superficies ceu cava spectata, quæ notabiliter major. Et hinc deduxi *prop. 50.* planam superficiem aliquid posse in hisce formandis imaginibus. Sed annon quid aliud subsit, quod ego nondum capio, judicet benevolus lector, & veritatem studiosè inquirat; quam indagare multitudo aliorum arcanorum, quæ nos aliorsum semper rapiunt, & studium, praxisq; Medica prohibet.

VII.
DE SPECULIS UTRINQUE CAVIS.

Propositio 59.

Ab utraq; parte concavum speculum duplices reddit imagines.

Ejusmodi speculare vitrum exhibet lens utrinq; cava & geminat speciem instar omnium vitrorum.

Propositio 60.

Utrinq; cavum vitrum speculare, unam imaginem cavi instar invertit; alteram convexi instar rectam statuit.

Ratio ex cavorum naturâ & convexorum petenda, neque hic quicquam restat dubii. Verùm ubinam recta formetur imago, an in superficie posteriori cava, quæ antrorsum spectata convexa est; an autem in cavæ anterioris convexitate, quam obvertit posticæ parti, dubium est. Prius volunt *prop.* 7. 8. *&* 10. Posterius probabile reddunt *prop.* 49. 50. *&* 57. Decisionem dabit *prop. 62.*

Propositio 61.

Anterior imago multo minor posteriore.

Ratio quia anterior nihil patitur; posterior ex fractis formatur radiis & angustatis.

Propositio 62.

Posterior imago ita parva est, ut exilitate vix æquet illam, quam duplo minor cavitate convexitas parit.

Res est certa, quam demonstrabit experientia, si excipiatur eadem imago in æquali distantia, tam ab utrinq; cavo; quàm à convexo, quod de duplo minori sit circulo quam ipsum est cavum. Licebit hinc firmiter colligere non anteriorem superficiem cavam, quâ parte est aversa formare imaginem, sed posteriorem quâ parte est adversa, pro expositione *prop. prioris* 60. Nam si prior superficies daret imaginem, necesse esset illam multò majorem existere; sed quia plus duplo minor,

fit

fit manifestum, ipsam imaginem refractionem passam, in posteriori cavâ, quâ parte convexum videtur & objectum respicit, exhiberi.

In secundâ

VIII.
DE SPECULIS UTRINQVE CONVEXIS.

Propositio 63.

Utrinque convexum speculum geminat imagines.

Tale est, quod ex lente crystallinâ vel vitreâ utrinque convexâ conficitur, & propter duplicitatem superficiei accidit duplicatio imaginum.

Propositio 64.

Duarum imaginum ab utrinque convexo formatarum, anterior est inversa, ceu simulacrum in cavo speculo visum, posterior recta ceu species in convexo deprehensa.

Ratio, quia prior à superficie posteriori convexâ, quæ tanquam adversa spectata, concavæ naturam imitatur, figuratur; & propterea omnia illa phænomena imitatur, quæ cavum speculum parit. Posterior autem convexi speculi naturam imitata, recta est.

Propositio 65.

Magnitudines imaginum imitantur naturam formamque circuli, ita ut si anterior superficies minoris sit circuli quam posterior, recta imago appareat minor, inversa major, pro magnitudine circulorum plus minus: & si anterior superficies sit major posteriori (quod fit lente inversa) recta quoque imago videatur major, inversa minor.

Res est plana.

Propositio 66.

Imagines imitantur naturam & formam superficierum ambo convexarum tam anterioris quàm posterioris.

Ideoq; hæc propositio est adjuncta, ne quis existimet unam convexam superficiem & rectam & inversam generare imaginem, sicuti quis autumare possit persuasus speculo convexo plano. Nam assumtâ crystallo seu speculari vitro inæqualis segmenti ab unâ parte majoris, ab alterâ parte minoris; Majus segmentum obversum objecto, imaginem dabit inversam minimam, minus majorem, quod concordat cum superficiebus posticis non anticis. Quod si verò antica convexitas utramq; exhiberet imaginem rectam & inversam; tum necesse esset majoris segmenti inversam imaginem esse majorem, minoris

mino-

minorem, ex naturâ speculorum cavorum & convexorum; quod contra experientiam pugnat. Vera ergò est expositio *prop.* 63.

Propositio 67.

Imago inversa multò minor est, quàm magnitudo circuli superficiei aversæ seu posticæ postulat.

Ratio quia.

(Hæc Propositio in M.S. digito deleta erat: nihilominus sequebatur Prop. 68.)

IX.
DE SPECULIS CONVEXO-CAVIS.

Propositio 68.

Speculum convexo-cavum duplices rectè intuentibus exhibet imagines.

Tale speculum est globus vitreus, qui propter duplicitatem superficiei unam convexam extrorsum spectantem & alteram cavam, quæ interna respicit, duplicem format imaginem.

Propositio 69.

Speculum convexo-cavum duas imagines reddit rectas minores paululum incurvas, instar convexorum speculorum.

Ratio prioris imaginis est manifesta; posterioris autem jam supra dicta, scilicet superficies interna cava, quæ externum spectans, convexa quasi, unde & convexorum naturam imitatur.

Propositio 70.

Imaginum in convexo-cavo visarum prior, quæ à convexæ superficie formatur, est illustrior in vitris non admodum puris diaphanis.

Causa est refractionis carentia, inquinamenti omnis absentia; quæ duæ actiones posteriorem nonnihil obscurant.

X.
DE CAVO-CONVEXIS SPECULIS.

Propositio 71.

Speculum vitreum cavo-convexum duas habet imagines.

Tale speculum est vitrum recurvum intus cavum, extra convexum, hoc ob duplicitatem superficiei & diaphaneitatem geminat imagines.

Propositio 72.

Imagines in cavo-convexo visæ ambo inversæ sunt, & illarum prior illustrior & clarior.

Invertit scilicet cavum, & quia convexum cavum esse videtur, eâ parte, quâ cavum respicit, propterea & ipsum cavorum imitatur naturam. Claritas ex causis propositione præcedente allatis deducitur. Id manifestissimè observatur in Menisco.

F I N I S.

